CREMONENSIUM MONUMENTA

r.

CREMONENSIUM
MONUMENTA
ROMÆ EXTANTIA

COLLEGIT ATQUE ILLUSTRAVIT

F. THOM. AUGUSTINUS VAIRANI

ORDINIS PRÆDICATORUM

PARS I.

EXCUDEBAT ROMÆ

GENEROSUS SALOMONIUS

PUBLICA AUCTORITATE

MDCCLXXVIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/cremonensiummonu00vair

CREMONENSIBUS STUDIUM NOSTRUM GRATUM ESTO. NAM ID NOBIS NEGOTI SOLUM PROPOSUIMUS IIS UT PATRIA PLACERENT MONUMENTA QUÆ EDERE ET ILLUSTRARE CURASSEMUS. QUOD SI NON DISPLICERE ALIIS ERUDITIS ET LITERATIS VIRIS DATUM SIET ID PRÆTER SPEM EVENIET ET DEPUTABIMUS ESSE IN LUCRO.

NOS

FR. BALTHASAR DE QUIÑONES

Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac univerſi Ordinis FF. Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

HArum ſerie, noſtrique authoritate officii licentiam concedimus, quantum in nobis eſt, R. P. M. Thomæ Auguſtino Vairani Provinciæ noſtræ utriuſque Lombardiæ typis edendi opus ab eo compoſitum *de Cremonenſium monumentis, quæ Romæ extant Pars I. & II.* Dummodo a duobus Ordinis S. Theologiæ Profeſſoribus probetur, ac ſerventur cætera de jure ſervanda. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ ſupra Minervam die 8. Julii an. 1778.

F. Balthaſar de Quiñones
Magiſter Ordinis.

Reg. pag. 8.

F. Dominicus Vincentius Maria Bertucci
Mag. Provincialis Daciæ, & Socius.

AP-

APPROBATIONES.

JUſſus a Reverendiſſimo Patre Fratre Balthaſare de Quiñones, totius noſtri Ordinis Prædicatorum Magiſtro Generali, legi Opus *inſcriptum* Cremonenſium Monumenta Romæ extantia collegit atque illuſtravit F. Th. Aug. Vairani O.P.: *In eoque nihil eſſe arbitror, quod impediat, quominus in lucem edatur, præſertim quod vel hæc ſola Monumentorum in Urbe extantium collectio, ad quam diligenter animum retulit Auctor, quamque ſermonis elegantia, & eruditione in ordinem redegit, plurimum conferat ad pernoſcendum, quantis floruerit ſemper (uti etiamnum floret) Viris & Scientiarum genere, & Dignitatibus præclariſſimis Cremonenſis Civitas.*

Romæ in Ædibus S. Mariæ ſuper Minervam XIII. *kal. Aug. anni* MDCCLXXVIII.

F. Hyacinthus Maria Bonfilius Ord. Prædicatorum
S. Theol. Mag. & Cathedraticus Caſanatenſis.

JUſſu Rm̃i P. F. Balthaſaris de Quiñones Magiſtri Generalis Ord. Præd. perlegi opus inſcriptum Cremonenſium Monumenta Romæ extantia collegit atque illuſtravit F.Th. Aug. Vairani O.P. *cumque in eo nihil repererim, quod fidei, bonis moribus, aut prudentiæ legibus adverſetur, Auctoris vero diligentiam, ac ſingularem eruditionem, quæ in eo maxime elucet, demiratus ſim: præcipue vero laude dignum exiſtimaverim ejuſdem conſilium cll. hominum Platinæ, & Vidæ anecdota probatiſſima edendi, dignum cenſeo quod publica luce donetur.*

Romæ in ædibus S. Mariæ ſuper Minervam XIII. *kal. Aug. anni* MDCCLXXVIII.

F. Philippus Angelicus Becchetti S. Theolog. Mag.
& Bibliothecarius Caſanatenſis.

Quam-

IMPRIMATUR;

Si videbitur Rmo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. A. Marcucci ab I. C. Ep. Montis Alti, ac Viceſg.

APPROBATIONES.

Quamquam præclariſſimi viri P.M. Fr. Thomæ Auguſtini Vairani Cremonenſis Ord. Prædicatorum, Sociique Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici in patriam, & literariam rempublicam merita exploratiſſima plane ſint, cum neminem lateat, quanto cum plauſu ſuſceptæ jam fuerint egregiæ illæ ejus epiſtolæ de Cremonenſium Monumentis, quæ Romæ exſtant pertractantes, quæque ſingillatim, ac ſeorſum publici juris factæ ſunt; attamen, ſi gratus animus in hominibus adhuc ſpirat, multo etiam magis, ſummiſque nunc præconiis illaudanda profecto erit ſollicitudo, ac diligentia, quibus nedum eas in unum collectas typis excudendas curavit, verum etiam tot tantaque, quæ hac de re retruſa, atque abdita in bibliothecis jacebant, ipſe ſolerter elicuit, æque ac fideliter evocavit in lucem. Equidem quum demandatæ mihi a Rmo P. Fr. Thoma Auguſtino Ricchinio Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro cenſendi provinciæ accuratius incubuiſſem, non potui non demirari tum infinita propemodum, quæ ad exactam, eruditamque illorum virorum cognitionem apprime faciunt; unde habebunt certe generoſa Cremonenſium pectora in quo recreentur, ſimulque in omnem virtutum uſum apta ſibi ſumant exempla: tum multa in adnotationibus, quibus ipſe epiſtolas ſuas adauxit, & ornavit, ſcitu digniſſima. Patet ſiquidem id unum propoſitum ſibi fuiſſe, ut ne minimum prætermitteret, quod de concivibus eſſet in hac Urbe inquirendum. Probitas tandem, quæ prima religioſi viri laus eſt, nudæque veritatis amor ubique nitent. Quæ cuncta cum rectæ fidei, ac pietati conſentanea omnino ſint, ſuadent, ut communi omnium commodo, ac utilitati, prælo in publicum emittantur.

Ex ædibus S. Callixti die prima Julii anno MDCCLXXVIII.

D. Petrus Aloyſius Galletti Ord. S. Benedicti Congr. Caſinen. Abbas SS. Salvatoris & Cirini.

AP-

APPROBATIONES.

J*Uſſu R̃mi P. Magiſtri S. Palatii Apoſtolici accurate perlegi Librum, cui titulus*: Cremonenſium Monumenta Romæ extantia collegit atque illuſtravit F.Th. Aug.Vairani O.P.Pars I. & II. ; *gaviſuſque ſum vehementer, Urbi nobiliſſimæ, & clarorum virorum gloria præſtanti Scriptorem obtigiſſe doctum, induſtrium, patriæ amore flagrantem, qui ſuorum Civium res memoratu dignas & diligentiſſime conquiſiverit, & ornatiſſimis Diſſertationibus copioſe, dilucide, eleganterque illuſtraverit. In quibus cum nihil omnino vel ab Orthodoxa Fide alienum, vel a recta morum diſciplina abhorrens deprehenderim; immo pleraque admiratus fuerim nova, recondita, & ex anecdotis abditiſſimiſque monumentis deprompta, minime dubitare poſſum, quin ſi in manus hominum pervenerint, eruditis omnibus, ac præſertim hiſtoriæ literariæ ſtudioſis, plurimum ſint & voluptatis & utilitatis allaturæ. Itaque e re publica eſſe cenſeo, ut typorum ope in lucem primo quoque tempore emittantur.*

Romæ ex ædibus, S. Congregationis de Propagdnda Fide pridie kal. Julii MDCCLXXVIII.

Petrus Antonius Seraſſius.

CL. OPERIS EDITORI
GESALTES SCANDEJUS P. A.

Dum Patriæ monumenta refers exſtantia in URBE
Optimus es Civis, navus es Hiſtoricus:
Quos profers cum laude viros dum Fama loquetur
Clarum etiam nomen reddet ubique tuum.
Dumque illos memori ſervabit mente CREMONA,
Adijciet Faſtis Te quoque grata ſuis.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. S.P.A.M.

IN-

INDEX EPISTOLARUM.

P. I.

I. AD Zachariam Piazza Auguſtinienſem. pag. 1

P. II.

II. Ad D. Hieronymum Manaram Abbatem Canonicorum Regul. Lateranen. 1

III. Ad Comitem Alexandrum Schinchinellium Patricium Cremonenſem. 61

IV. Ad Julium Cæſarem Bonettum Patricium Cremonenſem. 63

V. Ad Ignatium Mariam Fraganeſchium Cremonæ Epiſcopum. 79

VI. Ad Joannem Calvium Doctorem rei Medicæ in Academia Piſana. 89

VII. Ad Thomam Cadilinium Ord. Præd. Præfectum Bibliothecæ S. Dominici Cremonæ. 99

VIII. Ad D. Aloyſium Albertonum Patricium, & Canonicum Cremonenſem. 103

IX. Ad D. Ubaldum Sartium Abbatem Hieronymianum. 115

X. Ad Cæſarem Vicecomitem Patricium Cremonenſem. 119

XI. Ad Marchionem Julium Cæſarem Vainium Patricium Cremonenſem. 133

XII. Ad Marchionem Joſephum Sorexinum Vidonum Patricium Cremonenſem. 145

XIII. Ad Marchionem Jo. Baptiſtam Fraganeſchium Patricium Cremonenſem. 161

XIV. Ad Marchionem Mutium Pallavicinium Clavellum Patricium Cremonenſem. 177

XV. Ad D. Joſephum Mariam de Lugo Congregationis de Somaſcha. 185

XVI. Ad Petrum Mart. de Rubeis Ord. Præd. Eugubii Fidei Quæſitorem. 191

IN-

INDEX MONUMENTORUM.

P. I.

BArtholomæi Platinæ. 1

P. II.

Hieronymi Vidæ Albæ Epiſcopi. 1
Gabrielis Faerni. 61
Gregorii XIV. Pont. Max. 79
Pauli S. R. E. Cardinalis Sfondrati. 88 92 94
Deſiderii S. R. E. Card. Scaliæ. 99
Hiacynthi Scaliæ Abbatis. 102
Bernardini Roccii. 106
Cyriaci S. R. E. Card. Roccii. ib.
Joannis Petri Foliatæ Magiſtri in aula Leonis X. P. M. 109
Coriolani Catanei a cubiculo ſecr. Gregorii XIII. P. M. 110
Joannis Franciſci de Rota utriuſq. Sign. Refer. & Abbreviator. Parci maj. Decani. 112
Aſcanii Mariæ S. R. E. Cardinalis Sfortiæ. 116
Pauli Allii Dulcii. 121
Petri Mart. Nerii. 122
Rochi Capellini 124
Matthæi Boſelli. 125
Sfortiæ Lucatelli. 126
Cæſaris Rodiani. 127
Franciſci Porti. 128
Andreæ Gariboldi. 129
Rogerii Gallerati. 130
Herculis Cacetæ. 131
Dominici de Sumo Epiſcopi Biſinianen. 134
Joannis de Cavalcabobus. 135
Joannis Baptiſtæ Comitis Stanghæ. 137
Antonii Mantegatii Auguſtinienſis. 140
Zachariæ Albriconii Ord. Min. Conventual. 142

Ber-


Bernardini Georgii . 143
Joannis Marchionis Vidoni .)
Hieronymi S. R. E. Card. Vidoni .)
Petri S. R. E. Card. Vidoni .)
Thomæ Sorexinæ Vidoni Archiep. Edeſſeni , & Ca-) 145. ſeqq.
meræ Apoſtolicæ Clerici .)
Joannis Baptiſtæ Goldoni Vidoni Præſidis Cameræ)
Apoſtolicæ .)
Thomæ Turci Magiſtri Gen. Ord. Præd. 161 168
Eriberti S. R. E. Cardinalis Ariberti . 169
Antonii Mariæ Pallavicini Archiep. Naupacti , & Præceptoris S. Spiritus in Saxia . 177 181
Franciſci Ariſiii . 185
Monetæ Ord. Præd. 191
Olympiæ Mangoniæ . 196
Martiæ Julianæ . 197

ZA-




Effigies Sixti IV. Pont. Max. et Platinę ex pictura Petri della Francesca in pariete veteris Vaticanę Bibliothecę.

Templa, domum expositis, vicos, fora, mœnia, pontes,
Virgineam Trivii quod repararis aquam;
Prisca licet nautis statuas dare commoda portus,
Et Vaticanum cingere Sixte jugum:
Plus tamen Vrbs debet. Nam quę squalore latebat,
Cernitur in celebri Bibliotheca loco.



Benedetti


XYSTI IIII
PONT. MAX.
AN. VIII
STEPHANO QVI
VIXIT AN. XXVII
MEN. VIIII D. XII
PLATYNA FRATRI
BENE MERENTI
POSVIT
SIBI QVE AC POSTERIS
QVISQVIS ES SI PIVS PLATINAM
ET SVOS NE VEXES ANGVSTE
IACENT ET SOLI VOLVNT ESSE
ΘΑΡCΟΝ ΑΔΕΛΦΕ ΚΑΛωC
ΘΝΗCΚωΝ ΠΑΛΙΝ ΦΥΕΤΑΕ
PALMO ROM.

ZACHARIÆ PIAZZA
AUGUSTINIENSI CONGREGAT. LONGOBARDIÆ

FR. THOMAS AUGUSTINUS VAIRANI ORD. PRÆD. S.

MOnumenta Cremonenſium , quæ Romam perluſtrantibus patent , tabellis æneis inſculpta , ac prælo impreſſa ad cives meos tranſmittere conſtitui , ut memoria etiam augeatur illorum , qui laudem dignitate , ſapientia , literis ampliſſimam ſunt conſecuti : quod jucundum hominibus eſſe ſolet , & igniculos addere ad virtutem . Gabrielis Faerni effigiem nuper edidi , non ultimum muſei Capitolini ornamentum . Sepulchrum Platinæ aurea ſimplicitate , & hominis fama præclarum nunc ad te mitto mi ornatiſſime , ac ſuaviſſime Piazza , quod tute vidiſti , & baſilicam Liberianam , qua parte Quirinalem reſpicit , ingredientibus læva occurrit . Id niſi in iis , quæ utilia hoc tempore habentur , connumerandum velis , excipias tamen uti quoddam meæ erga te voluntatis , & amicitiæ , qua mirifice delector , monumentum . Tu Roma excedens poſt abſolutum ſumma cum laude ampliſſimæ congregationis tuæ regimen , patriam conceſſiſti , quam ornas , & beas ; ego jamdiu ſuſcepto munere fungor ; ita pacato tamen animo , ut cum ex ipſis curis , tum ex illuſtribus præſertim religionis , & artium priſcis , noviſque monumentis , maximam capiam voluptatem .

In lapide nomen, ut vides, deſideratur, non tantum familiæ, unde prodiit celeberrimus vir, verum etiam quod illi, dum ſacro luſtraretur baptiſmo, impoſitum fuit. Platina vulgo appellabatur, a loco nimirum, ubi in lucem editus, agri Cremonenſis vico. Quo factum eſt, ut Sacchium quidem illius genus hominum memoria non exciderit, ſed de nomine præſtantes eruditione viri continenter pugnarint. Litera enim grandiuſcula, ac prima B. cum ille ſuum nomen deſignare conſuerit, quam etiam in lapide prætermiſit, alii Baptiſtam, alii vero Bartholomæum interpretati ſunt. Liti componendæ quoniam Voſſius imprimis auctoritate eruditorum uſus eſt, nulla non ita multo ante certa patebat via. Sandius enim, quem laudat, in ea opinione verſari videtur, quæ apud pleroſque de *Baptiſtæ* nomine obtinebat. Allemontius vero apud eundem id plane ſcribit, quem Lambecius ſecutus Ludovici Cavitelli præclari rerum Cremonenſium, aliorumque ſcriptorum teſtimonia in medium profert: idque vel in ipſo Platinæ *de Perfecto Principe* Francofurti excuſo libro vidit (1). Hæc in diſſertationibus Voſſianis cl. Apoſtoli Zeni. Qui tamen Apoſtolus, disjectis tenebris, palam fecit noſtro Platinæ nomen eſſe Bartholomæum. Neglectis enim incertis opinionibus, levibuſque conjecturis, dum rem ſerio perpenderet, incidit in opus Danielis Molleri quod inſcribitur *Diſputatio Circularis de Platina*, & perſpexit Bartholomæum illum nominari in brevi Sixti IV. quo primus bibliothecæ Vaticanæ præfectus dicitur. Id etiam cognovit ex conſtitutione Pii II., de qua Ciampinus in libro *de abbreviatorum antiquo ſtatu*. In illa enim conſtitutione *abbreviator apoſtolicus Parci majoris* Platina *Bartholomæus* appellatur.

His ego pauca addam, quæ dum ſuum egregio ſane, doctiſſimoque viro nomen tribuunt, aliarum quoque præclare ab eo geſtarum rerum notitiam augent. Codicem membranaceum bibliothecæ Vaticanæ ego ipſe vidi, quo plurimas ſelectas veterum inſcriptiones in unum collegit labente ſæculo xv. vel ineunte xvi. & Laurentio Mediceo dicavit frater Jucundus de Verona ordinis mei vir, quem nemo bonarum artium cultor ignorat, & cujus inſigni quodam hydroſtaticæ facultatis conatu Venetorum urbs perpetuo fruetur. Duæ autem in eo codice inſcriptiones recenſentur deſumptæ e lapidibus in *domo Bartholomæi* Platinæ ſervatis. Illas recenſet etiam Mazzocchius Bartholomæi

pa-

pariter, cujus erant, mentionem faciens. Cum vero id Mazzochio fuerit inſtitutum, ut ſuæ ſingulis Urbis regionibus, vulgo *Rioni*, inſcriptiones tribuerentur, hoc item de Platina didicimus, ipſum nempe regionem *Montium* incoluiſſe, quæ laudatas illas duas ſibi vindicat. Domum autem ſuam, de qua fuſius agam in notis ad hanc Epiſtolam, illum ſibi ædificaſſe ex ſcriptoribus ejus ætatis refert idem Zenus, quam moriens amico Pomponio teſtamento reliquit.

Majus fortaſſe eſt, quod legi in quodam Hieronymi Pauli libro, cui titulus *Practica cancellariæ apoſtolicæ* edit. Lugdunen. 1549. pag. 230. Primordia imperii ille perſcrutatur, & juris, quod apoſtolica B. Petri Sedes in provincias, & regna obtinuit, & nonnullis de donatione M. Conſtantini prolatis, adjungit; *unde ergo habuerit terras Eccleſia, vide geſta Caroli M. & Pipini, & Pium* (II. Rom. P.) *in dicto dialogo, & collecta noviſſime per dominum Bartholomæum de Platina bibliothecarium, qui omnia inſtrumenta pertinentia ad ſtatum Eccleſiæ in temporalibus, præſertim circa acquiſitionem terrarum, & aliorum jurium, & cenſuum, collegit in valde magno volumine, ad cujus collectionem etiam operam noſtram præbuimus in revidendo*. Nihil equidem opportunius ad proprium Platinæ nomen comperiendum, ejuſdemque virtutis laudem augendam. Tot enim ingenii, doctrinæ, & eruditionis operibus a Platina editis, hoc alterum, magno quidem labore perfectum, recenſendum eſt. Ariſius profecto noſter ex eodem Hieronymo hoc *valde magnum volumen* lectoribus indicat, ſed ad uberiorem notitiam præterea nihil. Alii in colligendis Platinæ ſcriptis diligentiſſimi præclarum hocce non noverunt, nec ſane cognoſcere potuerunt. Romæ in Archivo Arcis S. Angeli aſſervatur, atque in tres miræ magnitudinis tomos diſtinctum opus eſt, membraniſque omnia deſcripta: Titulum vero habet, *Privilegiorum S. Romanæ Eccleſiæ*.

Hæc habui, mi ornatiſſime Piazza, quæ occaſione ſepulchri, quod Platina ſibi poſuit, & in quo conditus fuit an. 1481. paucis proferrem. Lapidem ipſum ſententiis ornavit. Priore, quæ latina eſt, aureo lepore proprius ſepulchrum accedentes commonet, ab iiſque quietem precatur ſibi, ſuiſque. Græca autem chriſtiano philoſopho digna ſententia Stephanum fratrem alloquitur: *Fiduciam habe*, inquit, *frater*, *bene qui moritur ad vitam denuo reſurgit*. Poſtremum verbum oſcitantiam prodit ſculptoris, cui incidendum omnino erat ΦΥΕΤΑΙ.

Sed vereor hoc loco, ne quis Platinæ cognoſcendi cupidus, doleat, me multo ſcripſiſſe de illo brevius, quam occaſio poſtulare videtur. Quamvis enim Nicolaus Angelus Caſerrius illius vitam expoſuerit, quæ in aliquibus vitarum Romanorum Pontificum editionibus legitur, quod opus eſt Platinæ celebratiſſimum, tamen, ut omittam in manus paucorum exemplaria illarum perveniſſe, non omnino ille ſatisfecit eruditis. Itaque hac occaſione ſcribendi data, ut cætera etiam, quæ illum ſpectant, perſequar, optari a multis puto, immo & expectari facile poſſe; id quod libenter, ita tamen perficiam, ut non omnem vitæ illius rationem exponere videar, ſed tantummodo ſummas attingere.

Platina ortus anno 1421. initio caſtra ſecutus eſt, duce Franciſco Sfortia. Deinde militari abjecta diſciplina literas præceptore uſus Omnibono Leoniceno Victorini Feltrenſis alumno, coluit, quod ſerius cæteris, felicius tamen pluribus fecit. Quem domo evocaverat Mars, evocavit deinde Minerva, eumque temporibus primis Mantuæ detinuit, tum ipſa Florentiam perduxit, quæ etiam in Urbe ſuum domicilium collocarat. Hominem aptum ingenio ad artes optimas perhumaniter excepit Ludovicus Mantuæ Marchio, & liberaliter adjuvit. Id ipſe Platina memor grato animo teſtatur in procemio hiſtoriæ urbis Mantuæ, Gonziacæque familiæ ad Franciſcum Cardinalem Mantuanum marchionis, & Barbaræ Brandedurgenſis ejus uxoris filium an. æt. XVII. Cardinalem Diaconum S. Mariæ Novæ a Pio II. an. 1461. die 18. Decembris creatum, cui majora etiam ſe debere profeſſus eſt. *Haud ſcio*, inquit, *an ulli magis, quam mihi hic labor conveniat, quem & civitas tua prope aluit, & illuſtris pater tuus munificentia, & gratia in ſtudiis literarum continuo juvit, & tu (quod pluris ſemper faciam, quodque e memoria mea nunquam excidet) auctoritate, qua vales plurimum, ab interitu me liberaſti* (quod poſtea videbimus) *liberatum munifice adhuc foves, atque adeo juvas, ut liberiore vita, atque ingenio in urbe Roma me certe fruatur nemo*. Florentiæ vero Coſmus, & Petrus Medicei veluti familiarem habuerunt. Horum principum virorum liberalitatem, & humanitatem Platina commendavit in procemio dialogi *de optimo cive* ad Laurentium Medicem, eorumque beneficio acceptum retulit, quod literas feliciter coluerit, *Quod peregrinus*, inquit, *ad civem Florentinum de gubernanda*

da

da republica ſcribam, non eſt cur quiſquam miretur, cum multi ante me id facerent, cumque etiam ejuſdem civitatis merito civis appellari poſſim, in qua annis aliquot vixi in tanta civium charitate, & benevolentia, ut facile dignoſci non poſſet, civis ne, an peregrinus eſſem .... Multum enim patriæ iſti tuæ florentiſſimæ debeo; quæ me, licet externum, tot annis non modo aluit, verum etiam erudivit; multum præterea avo, ac patri tuo viris certe clariſſimis, quorum benignitate, & gratia in clientelam familiæ veſtræ ſuſceptus ſum. Hæc longius, quam vellemus, expoſuimus, ut tandem conſtet, quibus adjumentis, quibuſque in locis egens, & obſcurus Platina, unoque tantum ingenio nobilis, ut ait Paulus Jovius, literis operam dederit.

Interea viſendæ Romæ cupiditate Platina flagrabat, fortaſſe ut in hoc maximarum rerum veluti theatro quodam experimentum ſui faceret. Poteſtate illi facta diſcedendi Florentia Romam venit Calliſto III. Pontifice Maximo anno 1458., ut eſt apud Spondanum. Volaterranus in commentariis Urbanis narrat, illum in Urbem veniſſe cum Card. Gonzaga Mantuano. Proſpere heic ei ceſſerunt ſane multa, quod vir doctiſſimus, & eloquentiſſimus haberetur, & omni eruditionis genere præſtans: Conflictatus vero etiam eſt cum adverſa fortuna, quod liberius loqueretur, & animum non attenderet ad cavendum. Inter abbreviatores, ut vocant, parci majoris a Pio II. Calliſti ſucceſſore cooptatus eſt anno 1464. quod munus ſuo ſumptu comparavit. Sic autem vitam inſtituit, ut inter eos, qui literas colerent, & maxime Romæ florerent, veluti ſidus quoddam eſſet; ſingularem vero etiam locum amicitiæ tenuerit apud ſummos viros, ac præſertim cardinales Franciſcum eundem Gonzagam, Beſſarionem, & Jacobum Piccolomineum (Amannatum) quorum ille Nicænus, alter Papienſis ab epiſcopatu appellari conſueverunt.

Pio II. Anconæ vita functo, Paulus item II. Pontifex M. renunciatus eſt III. kal. Sept. ann. 1464. *Hic abbreviatores* (ſane multos, eoſque doctos, ac eruditos viros) *a Pio in curiam adſcitos, officio privavit, inter quos Platina*, qui inde ſibi malo fuit nimia imprudentia. Quum enim *inſolentius epiſtola quadam factum redarguiſſet, in cuſtodiam detruſus eſt*, ut verbis auctoris vitæ Pauli II. utar apud Labbeum T. XIII. E vinculis ſe expedivit poſt quatuor menſes opera Cardinalis Papienſis, & Pontifici reconciliatus eſt. Hæc accidere anno 1467. Initio

anni

anni ſequentis orationem Platina habuit ad eundem Pontificem de pace Italiæ componenda, & de bello Turcis inferendo. Haud multo poſt ſæviore conflictatus eſt tempeſtate, non ſcelere ſuo aliquo, ſed ſola ſuſpicione ſceleris, quam Pontifex animo cæperat, veritus ſcilicet neſcio quam conjurationem ex novo Academiæ inſtituto, quo multi docti viri una cum Platina, veterum clarorum virorum nominibus adſcitis, in literarium colloquium laureati (2) conveniebant in domo Pomponii Læti in Monte Quirinali (4), cui domus Platinæ confinis erat; atque illi ſuſpicioni Callimachus epulis deditus faviſſe viſus eſt, quod ſeditioſa quædam, & cum vino evaporantia dicta aliquando effudiſſet. In vincula denuo Platina, ut alios prætercam, conjectus eſt, atque ita res modo agebatur, ut ad corporis cruciatus deventum fuerit, & homo innoxius mœrore obrutus damna, exilia, mortem animo agitaret (4). Verum cauſa cognita ope Cardinalium, quos laudavi, abſolutus eſt, & in libertatem eductus, quod contigit circa æſtivum tempus anni 1469. Mox ad balnea ſeceſſit Petrioli (Petrojo), ut aliquod afflictato corpori levamen daret. Cardinalis Papienſis, qui tum apud Senenſes verſabatur, ad illum ſcripſit, ejuſque epiſtolæ hæc ſunt verba poſtrema. *Quod expleta lavatione reviſurus ſis Urbem .... & placet, & lætor. Pientiæ eſt tibi parata domus, cave alio divertas; indictum tibi alioquin bellum exiſtima. Vale. Sena die 6. Septemb.* 1469. De hoc Platinæ ſociorumque academiæ Pomponianæ, qui eadem cuſtodia tenebantur, infortunio, agit Petrus Lambecius in notis ad procœmium hiſtoriæ urbis Mantuæ apud Muratorium tom. xx. ſcriptorum rerum Italicarum pag. 618.

Sixtus IV. poſt obitum Pauli II. Cathedram Petri conſcendit v. id. Aug. an. 1471. Hujus Pontificis magna erat in Platinam benevolentia, & liberalitas. Itaque tanta rerum illius commutatio facta eſt, ut non ſolum in tuto deinde fuerit, ſed etiam fortuna uſus ſecunda. Sixti juſſu expoſuit ſine mendacio vitas Romanorum Pontificum, eidemque dicatas edidit anno 1473., qui liber famam, nomenque Platinæ conciliavit ſempiternum. Bibliothecam in Vaticano idem Pontifex, quum perfeciſſet anno 1475., Platinam primum Præfectum illius dixit, menſtruo decem aureorum ſtipendio auctum, victu inſuper Palatinorum, aliquibus familiaribus, qui illum adjuvarent, & equo uno. Fidem dedit Pontifici de bene adminiſtranda biblio-

bliotheca, quum libros omnes ordine diſpoſitos in indicem, quem Struvius in vulgus edidit, retuliſſet. His autem verbis uſus eſt, quæ exſcripſi ex Codice Vaticano 3954. *Ego Platina ſanctiſſimi domini noſtri Sixti divina providentia papæ IIII. familiaris, & bibliothecarius, libros in hoc libro annotatos, & in ordinem ac numerum redactos, polliceor me conſervaturum, reddituruмque ſemper rationem bene atque integre gubernatæ bibliothecæ. Die* XVIII. *Junii* 1475.

Tranquillatis rebus ſuis Platina, ac veluti portu receptus tutiſſimo, reliquum tempus eo vitæ genere egit, quo aptius ſtudiis ſuis optare nullum poterat. Quum autem ætatis annos compleſſet LX. vitæ finem fecit anno, quem ſupra dixi 1481. die XXI. menſis Septembris. Jacobus Volaterranus in ſuo *diario*, quem clar. Muratorius edidit to. XXIII. ſcriptorum rerum Italicarum, narrat, Pontificem in primis, atque Urbem totam Platinæ mortem ægre tuliſſe. Funus præterea deſcribit, quod anno ſequente die 18. Apr. illi decretum fuit cura, & ſumptu Demetrii Lucenſis ejus alumni, celebratumque in templo S. Mariæ in monte Exquilino maxima literatorum, & amicorum frequentia; qua occaſione Pomponius Lætus graviſſima oratione, & Aſtreus Peruſinus elagiaco carmine Platinam e ſuggeſtu laudarunt, ipſoque die poetæ quamplures eumdem in academia celebrarunt, quorum carmina extant in editionibus operum ejuſdem Lugdun. an. 1512. & Colonienſi ann. 1551. Ingenii celeritate, & acumine multum ille valuit. Græce & latine fuit apprime eruditus. Philoſophum, oratorem, hiſtoricum, & poetam egit pari felicitate, copia, eloquentia, doctrina. Critica arte, quæ tum in lucem vix prodibat, ita uſus eſt, ut cæteros ſui ævi ſcriptores ſuperaverit. Virtutes coluit, quibus mores componuntur, religio ſervatur, & præclare in multorum vivitur ſocietate, nullumque exiſtimationis detrimentum fecit, quod accuſatus, & in vinculis detentus fuerit. Moderationis tamen laude caruit præclara, quod adverſam fortunam parum ſapienter tulerit, & Paulum II. Pontificem M. ubique carpere ſcriptis ſuis inſtituerit.

De ſcriptis Platinæ editis (5) verba facere hoc loco non eſt neceſſe, poſtea quam Fabricius, Oudin, Ariſius, Apoſtolus Zeno, aliique, quos difficile eſſet numerare omnes, notitiam ſingulorum præbuerunt. Eorumdem tamen catalogum in appoſita adnotatione da-

dabo. Præter illa, quæ in vulgus edita fuerunt, extant Florentiæ in bibliotheca Ricardiana ejuſdem Oratio de laudibus bonarum artium cod. chart. in 4. N. III. num. I., in bibliotheca vero Vaticana Vita Victorini Feltrenſis cod. Urbinat. 915., Interpretatio dialogi Plutarchi de ira ſedanda cod. 1888., & de laudibus pacis cod. 481. c. 134. Tandem in codice chartaceo ſæc. xv. apud cl. Jo. Chriſtophorum Amadutium extant epiſtolæ, quas idem Platina cuſtodia detentus in Arce S. Angeli ſcripſit ad Pontificem, Cardinales, alioſque. Ex his Epiſtolas ipſas, Vitam Victorini, & tractatum de Laudibus pacis edere opere pretium exiſtimavi, & huic epiſtolæ ſubnectere, quod donum ſpero eruditis gratum, acceptumque fore.

Habes mi Piazza ſuaviſſime imaginem quamdam Platinæ noſtri, immo totius literariæ Reipublicæ. Plura de eo perſequi non eſt noſtri inſtituti. Ex hac vero mea brevitate id commodi capis, ut Platinam plane noſcas, nec multum te leve ſcripturæ genus iſtud offendat. Effigiem etiam illius ad te mitto ære inſculptam, quam dum cernis eundem ipſum cernere puta *(6)*. S. Palatii Magiſter avunculus meus apud quem ſeptimum jam annum egi, alioſque complures agere exopto, & equidem ſpero, te magnopere diligit, plurimi facit, ac ſalutem tibi plurimam dicit. Joſephum fratrem meum tibi multis nominibus devinctum oſculo ſaluta. Te D. O. M. diu incolumem ſervet, qui gaudium, atque ſuavitas amicorum es, maximumque patriæ, tuæque Congregationis ornamentum. Vale.

Dabam Romæ pridie kal. Majas MDCCLXXIV.

In

(1) In Veneta vitarum Romanorum Pontificum italice redditarum editione anni 1563. apud Michaelem Tramezinum, Baptiſtæ pariter nomen Platinæ tribuitur, & quod mirum eſt, in ipſa Platinæ ad Sixtum IV. nuncupatoria epiſtola: *Alla Santità di Siſto IIII. Battiſta Platina da Cremona*. Idipſum in pluribus operum Platinæ editionibus animadverti.

Vincentius Paravicini centuria 1. de viris eruditione claris Baſileæ 1713. Platinam recenſet, ſicque incipit, *Baptiſta Platina Veronenſis a Pio II. ſacerdotio donatus, & multis muneribus locupletatus eſt*.

(2) Parvum in ſuo horto Lauretum Pomponius colebat. Hic vero academiæ ab ipſo inſtitutæ mos erat, ut qui eidem adſcriberentur, nomine aliquo veterum clariſſimorum virorum aſſumpto, & corona e duabus virgulis lauri illius, quæ nullam habebat invidiam, fronti impoſita, academiam ſociis comitantibus, & plaudentibus ingrederentur. Quo die omnes menſæ accumbebant a Pomponio paratæ, & eruditis, amœniſque ſermonibus horas tranſigebant. Id etiam ſolemne illis erat, ut cœtu convocato, non adeſſet aliquis, niſi corona eadem ornatus.

Verum tota academia propter ſuſpicionem, quam dixi, conjurationis, & hæreſis everſa repente eſt, in cuſtodiam conjectis juſſu Pauli II. qui eo conveniebant. Primum tamen in alios Pontifex animadvertit: orta enim aliunde ſuſpicio eſt, in quam incidit academia. Rem totam expoſuit Platina in vita Pauli II. De hoc Pontifice, quum offenſa in eum eſſet voluntate, liberius loquitur; quod crimen illi ignoſcendum propter iram facete ſcriptum legi. *Platinæ quidem quis non ignoſcat, ſi ſit iratus?*

(3) Quo nam loco ſita Romæ fuerit celebris Pomponii Læti domus, & una ſimul domus, quam ſibi Platina ædificavit (rem ſane eruditis non injucundam) curioſius inveſtigando, me puto inveniſſe, ope cujuſdam inſtrumenti, quod extat in bibliotheca Barberinia cod. 3011. pag. 269. quod eſt hujuſmodi.

Die 17. *Aprilis* 1479.

In præſentia mei Notarii &c. Honorabilis vir Dominus Dionyſius de Nonate procurator, & perſona legitima honorabilis D. Margaritæ de Nonate ſororis dudum, & univerſalis hæredis quondam Mabilii de Nonate, prout de ſuo procurationis ſufficienti mandato fidem fecit per publicum documentum per me Notarium & teſtes viſum, & lectum, & in ſuis manibus retentum, & qui Dominus Dionyſius ultra officium ſuæ procurationis etiam principaliter ſe & bona ſua obligando de rato & rati habitione promiſit pro dicta ſua principali, & ſe facturum, & curaturum, quod omnia, & ſingula contenta in præſenti contractu venditionis rata, grata, & firma habebit, & contra non faciet, dicet, nec veniet aliqua ratione, titulo, ſive cauſa, nec aliquo quæſito colore, ſponte, & ex recta ejus, & D. Margaritæ principalis ſcientia, & ſuo nomine non vi, nec dolo coactus, nec ab aliquo circumventus vendidit, & titulo venditionis dedit, ceſſit, conceſſit, tranſtulit, & mandavit

Præclaro viro Domino Pomponio Læto Artium Humanitatis profeſſori ad artem Oratoriam in publico gymnaſio conducto Urbis Civi & incolæ præſenti, & recipienti quamdam dictæ D. Margaritæ domum, ſeu partem domus terrineam ſoleratam, & tectatam cum omnibus ſuis membris pertinentiis & adjacentiis, uſibus, utilitatibus, & commoditatibus quibuſcumque ad dictam domum ſpectantibus, & pertinentibus tam de jure, quam de conſuetudine, junctam cum alia parte totius domus prædictæ ad ipſum Pomponium ſpectante & pertinente, & per eundem, ut aſſeruerunt dictæ partes acquiſita tam virtute donationis dimidiæ partis prædictæ per quondam Mabilium ſibi factæ, quam etiam pro impenſis & melioramentis in ea factis per ipſum Pomponium, nec non & quia idem Pomponius ſolvit primo authori ſeu venditori domus ducatos viginti, & virtute ceſſionis jurium in eum dicta ratione factæ prout ipſæ partes concorditer aſſeruerunt, quæ tota domus ſita eſt in regione Montis in contrata Caballorum, cui ab uno latere tenet Dominus Bartholomæus Platina, ab alio ſunt res Sancti Salvatoris Corneliorum, & *quædam alia domus ipſius Domini Pomponii, ab alio eſt domus Ludovici, & Antonii de Trajetto, vel ſi qui ſunt plures, aut veriores confines, aut vocabula veriora ad habendum &c. ſimilique modo vendidit eidem omnia, & ſingula jura &c. quæ & quas habuit, vel habet dicta venditrix in, & ſuper dicta domo vendita, & omnibus pertinentiis ſuis. Nullo Jure &c. Ponens &c. conſtituens &c. & promiſit litem non inferre, nec inferenti conſentire, authori-*

rizare, obligare, defendere de jure & de facto, & ab omni moleſtante perſona, & ubicumque, & quandocumque continget litem moveri, quam in ſe ſuſcipere, proſequi, & finire ſuis propriis ſumptibus a principio uſque ad finem alias teneri voluit ad omnia, & ſingula damna, expenſas, & intereſſe de quibus ſtare, & credere voluit dicto & ſoli juramento emptoris, & ſuorum hæredum, & ſucceſſorum abſque alia probatione, ſeu taxatione Judicis aut boni viri arbitratu, promiſit etiam facere conſentire huic contractui venditionis, & omnibus contentis in eo, omnem perſonam, locum, vel univerſitatem jus habentem, ſeu habere pretendentem ad omnem ſimplicem requiſitionem dicti emptoris, & ſuorum hæredum, & ſucceſſorum, & dedit poteſtatem eidem emptori præſenti, & acceptanti, propria auctoritate intrandi, capiendi retinendi poſſeſſionem dictæ domus venditæ abſque alia judicis licentia, vel partis citatione, quam donec acceperit conſtituit. Quam quidem venditionem, & omnia, quæ dicta ſunt, & infra dicentur fecit dictus procurator quo ſupra nomine dicto Domino Pomponio præſenti, & recipienti, ut ſupra, pro precio & nomine precii ducatorum auri trigintaquinque, quos 35. ducatos auri in auro dictus procurator quo ſupra nomine habuit, & recepit nunc manuatim actualiter in pecunia numerata a dicto D. Pomponio dante, & ſolvente, & numerante in ducatis aureis, & de quibus 35. ducatis poſt ſolutionem, & numerationem prædictam dictus procurator quo ſupra nomine ſe bene contentum, tacitum, & quietum vocavit, & renuntiavit &c. ceſſioni &c. ſpei &c. & promiſit quod dicta pars domus, & jura vendita ſunt dictæ D. Margaritæ ſuæ principalis, & ipſam ſpectant & pertinent pleno jure &c. & nulli alteri perſonæ &c. & ubi contrarium appareret teneri voluit de evictione, & ad duplum rei evictæ, & ad omnia damna, expenſas, & intereſſe, de quibus ſtare, & credere voluit ut ſupra obligando ſe dictus procurator, & bona ſua principaliter ut ſupra in omnem caſum, cauſam, & eventum evictionis prædictæ & omnium contentorum in præſenti contractu.

Cujus procuratoris precibus, & de mandato, ut aſſerui, dictæ D. Margaritæ principalis providus vir Franciſcus Peratius de Tarviſio habitator Urbis in regione Pineæ ſponte &c. fidejuſſit, & ut fidejuſſor etiam in ſolidum obligando ſolemni pactione, & ſtipulatione interveniente, promiſit ſe facturum, & curaturum ita & taliter cum effectu, quod dicta D. Margarita principalis, & dictus ejus procurator omnia, & ſingula ſupra, & infraſcripta perpetuo obſervabunt, & quod dabunt in manibus ipſius emptoris copias omnium inſtrumentorum, jurium & titulorum dictæ domus teſtamenti, & inſtrumenti, mandati, procurationis, & literarum teſtimonalium, alias & ipſe teneri voluit ad omnia damna, expenſas, & intereſſe ut ſupra de quibus ſtare & credere voluit ut ſupra. Pro quibus &c.

Actum &c. præſentibus teſtibus &c.

Cammillus Beninbene Notarius in Archivio Curiæ Capitolii.

Pomponius igitur anno 1479. fundo pecunia comparato ampliavit domum ſuam ſitam in regione Montis Quirinalis in via *Caballorum* nuncupata, cui præter domum Bartholomæi Platinæ, conterminæ erant *res S. Salvatoris Corneliorum*. Conſtat eam regionem accepiſſe nomen ab equis, græcæ ſculpturæ opus eximium, quos Conſtantinus Imp. Alexandria aſportaverat Romam, ut eſt veriſimilior Panvinii opinio, eiſdemque thermas ſuo ſumptu ædificatas ornaverat, quarum partem in ampliſſimo cavædio ædium, quas olim Mazzarina, nunc vero nobiliſſima Roſpiglioſa gens incolit, ſe vidiſſe teſtatur Famianus Nardini, qui diem obiit an. 1661. Non procul equi iidem modo ſtant ante pontificias Quirinalis ædes. Latam eo nomine viam, & regionem vetera monumenta probant. Nam extat in archivo S. Mariæ in Via-Lata inſtrumentum an. 1160, ad moniales S. Cyriaci pertinens, in quo mentio fit templi S. Saturnini monachorum S. Benedicti *in regione equi marmorei*, cujus locum modo occupant ampliſſimæ ædes, vulgo *della Conſulta*, monachis a Pauli V. uſque temporibus ad Monaſterium S. Calliſti translatis. Præterea ad templum S. Agathæ in Subura regio *Caballorum* protendebatur. Nam in Calliſti II. Rom. P. Bulla, quam Torrigius refert in libro de cryptis Vaticanis pag. 316. hæc leguntur: *N. N. Diaconus Cardinalis S. Agathæ ad equos marmoreos.*

Pomponii & Platinæ ædes digito veluti monſtrabimus, ubi conterminas indicaverimus *res s. Salvatoris Corneliorum*. In veteri Roma vicus erat Cornelii, ſive Corneliorum, quem ipſum extitiſſe adhuc initio ſæc. XI. Nardinus cognovit ex ſcriptoribus illius ævi, at-

atque inſuper eo loco extructum fuiſſe templum s. Salvatoris de Corneliis nuncupatum, cujus antiquior ſane eſt memoria in iſtrumento quod edidi. Porro vicus ille Corneliorum, eodem Nardino teſte, in ea horti Columnenſis parte fuit, quæ a Quirinali deſcendens reſpicit cœnobium FF. Min. Convent. SS. XII. Apoſtolorum. *Deſcript.Veteris Romæ l.* IV.*c.*6.

Ex quibus compertum mihi plane eſt Pomponii Læti (& Platinæ) domum, quæ ſita erat in via *Caballorum*, & vico, & *rebus s. Salvatoris Corneliorum* contermina, eo circiter loco extitiſſe, ubi ſtatio eſt militum ad excubias, & equile aſſurgit pontificium.

(4) Duas ea de re literas ad Card. Papienſem Platina ſcripſit, quibus conſtat adverſæ fortunæ caſus animi magnitudinem non modo imminuere, verum etiam frangere ſolere. Librum, quem antea ſcripſerat *de honeſta voluptate* ad illum e captivitate mittens, ſubdit. *De libertate mea quid ſcribam neſcio, adeo incertus ſum, quorſum iturus ſit ille, qui potitur rerum. Spero, timeo, crucior, angor, & mihi manum injicere interdum cogito, ut me tandem, atque amicos his curis liberem. Si nocens ſum, cur non punior? ſi innocens, cur teneor in vinculis? Oh me infelicem, qui non cum Pio ſum mortuus! Ex illa morte tot mihi mala evenere. Feram ego, feram hanc calamitatem quamdiu potero. Ubi malis feſſo ſuccumbendum erit, cum tot ſint lethi viæ, occumbam generoſe. Quare amplius in vita eſſe velim non video, cum profligatæ ſint literæ, & ad tartara detruſæ. Ajunt in manum Rmi Domini Vicentini libertatem noſtram eſſe. Si ita eſt, ei me commendato, & Rmum D. Mantuanum tarde incedentem impellito. Si volunt trades obſidem; dabo utrumque, circumſcribant: multi locum relegent. Ibo quo volent. Rmam dominationem veſtram rogo, ut quibuſcumque modis poteſt, libertati meæ caveat.*

Altera ejuſdem argumenti inter epiſtolas Cardinalis Papienſis, & a laud. Caferrio edita omnino eſt hoc loco exſcribenda, ut cognoſcatur quibus Platina curis premeretur. *Tanta eſt*, inquit, *opinio, quam de tua amplitudine concepi, ut ambigam, immo deſperem quidquam ſalutare inveniri in re mea poſſe, niſi per te ſaluberrimum litteratorum omnium ſidus fuero adjutus. Jactamur undis acti vento, & fluctibus. Nil prodeſt tot ſævientibus procellis objectaſſe humeros, & caput; tot ſcopulos, tot ſyrtes, tot euripos evaſiſſe. Grandem video procellam jam jam nos feſſos, & extrema quæque timentes obruituram, ni fluctuantibus nobis, & totiens in ſaxa alliſis ſalutiferam manum, & a me tamdiu expectatam porrexeris. Inuritur hæc nota ingeniis, inuritur literis, inuritur muſis, quarum ſemper pater, & patronus es habitus. Collige nos quæſo, & ad te natantes, ac tandem his fluctibus libera. Vales auctoritate apud Pontificem, cujus ingenium a clementia, & miſericordia non abhorret. Vales apud Cardinalem, & reliquos hujus aulæ Præſides. Ora quos decet, adhortare quos opportet, ut erga nos miſeros, atque omnium, qui vivunt, infortunatiores, clementia, & miſericordia utantur. Intelliges quo in ſtatu ſumus collocati, & quos, ac qua de re habituri ſumus judices. Hos rogato, ut ex bono, & æquo judicent, atque voluntatem imperantis mitigent. Quod ut facias per Deum te rogo, & per animam illius, a quo habuiſti, virtute tua ita ſuadente, ut & velles, & poſſes calamitoſis ad te confugientibus ſubvenire. De me quidquid pollicebere & Pontifici, & aliis, id ego perpetuo, & conſtanter ſervabo. Commendare me Rmo D.Vicentino non erit a re mea alienum.*

(5) Quæ Platina ſcripſit, quibuſque in locis edita ejus opera fuerint recenſere poſt Ariſium, Niceronium, Bailletium, alioſque, actum agere exiſtimabam. Sed novis curis rem indigere cognovi, pluraque addi poſſe, ex bibliothecis Caſanatenſi, Barberinia, aliiſque. Neque tamen omnia me vidiſſe puto. Aliquid conferre ſtudeo ad rem perficiendam.

I. Vitas expoſuit omnium Romanorum Pontificum uſque ad Paulum II. & Sixto IV. dicatas edidit Venetiis an.1479. typis Joannis de Colonia. Idem opus excuſum fuit Pariſiis anno 1481., atque addita Pauli II. vita, eodem Platina auctore, Norimbergæ apud Antonium Koburgerum an. eodem 1481. & apud Joannem Vercellenſem an. 1485., eodemque anno Venetiis, ac præterea Pariſiis an.1505. Lugduni an.1512. Coloniæ Agrippinæ an.1529. 1540. Simul cum Platinæ opuſculis prodiit Venetiis an.1518. & Pariſiis 1530. productaque ab Onuphrio Panvinio hiſtoria Pontificum uſque ad Julium III. editum eſt Coloniæ typis Gaſparis Gennepæi an.1551. & 1568. additiſque vitis aliorum PP. ad Pium V. Lovanii

apud Joannem Bogardum an. 1572. Coloniæ Agrip. 1574. & 1611. Coloniæ Ubiorum 1593. 1599. 1610. 1612. & in Holandia an. 1645. & 1664.

Idem opus italice redditum a Lucio Fauno, & ad Paulum IV. ab Onuphrio Panvinio perductum prodiit Venetiis typis Michaelis Tramezzini anno 1563. cui vitam Platinæ ab Angelo Caſerrio ſcriptam editor præmiſit. Anno 1565. addita vita Pauli IV. prodiit iterum Venetiis ex typographia Comini de Trino, & uſque ad Gregorium XIII. anno 1583. & an. 1594. apud Bernardum Bacum, & Barezzium de Barezziis Cremonen., itidemque opera Bartholomæi Fanenſis typis Eliſabethæ Bajæ Bernardi F. an. 1600. Præterea vitæ PP. uſque ad Paulum V. recuſæ fuerunt Venetiis apud Alexandrum Vecchi anno 1612. & apud Juntas an. 1613. Ad Innocentium vero XI. perductæ apud Jo. Baptiſtam Brigna an. 1685. ad Clementem XI. anno 1707. apud Antonium Bartoli, & demum eaſdem edidit Hieronymus Savioni uſque ad Benedictum XIII. anno 1730.

Gallico præterea idiomate eaſdem RR. PP. vitas procuſas legimus hoc titulo. *Les Genealogies, faits, & geſtes des Saints Peres, Papes, Empereurs, & Rois de France juſqu' à Leon X. traduites du latin de Jehan Baptiſte Platine. Paris Galliot du Pré* 1519. *It. augmentées juſqu' à Paul III. Paris Real* 1551.

Pariſiis denuo editæ fuerunt opera Ludovici Coulonii, qui eas ita inſcripſit. *Vies des Papes traduites de B. Platine avec la continuation d' Onuphre Panvini, Cicarelli, Ciaconius, & autres juſqu' à Innocent X. traduites en françois par Louis Coulon. Paris* 1651.

Germanice etiam redditum fuit hoc Platinæ opus, ut ſcribit Draudius, editumque Monachii an. 1604. & Francofurti an. 1625.

Belgæ demum ſuo idiomate Platinam donatum vulgarunt typis Amſtelodamienſibus an 1650.

II. Scripſit hiſtoriam Urbis Mantuæ, & familiæ Gonzagæ uſque ad mortem Pii II. cujus editio Vindobonenſis adeo rara eſt, ut aliqui de eadem dubitaverint. Hunc porro titulum habet. *Hiſtoria inclitæ urbis Mantuæ, & ſereniſſimæ familiæ Gonzagæ in libros ſex diviſa, & nunc primum ex Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi a Petro Lambecio in lucem edita, atque neceſſariis annotationibus illuſtrata. Viennæ Auſtriæ typis Joannis Chriſtophori Coſmerovii* 1675. Eandem hiſtoriam cl. Muratorius edidit to. XX. Scriptorum rerum Italicarum.

III. Opuſculum elegantiſſimum de Obſoniis Platina e captivitate legendum miſit ad Cardinalem Papienſem initio anni 1468. illudque dicavit Cardinali Roverellæ. Franciſcus Ariſius in tria illud idem diviſit opuſcula *de natura rerum, de obſoniis, de honeſta voluptate*, variis titulis deceptus, quibus typographi illud procuderunt. Primam hujus opuſculi editionem perfecit Vindobonæ Gherardus de Flandria an. 1470. Prodiit deinde Venetiis ex officina Laurentii de Aquila, & Sybillini Umber an. 1475. tum in Civitate Auſtriæ (Cividale del Friuli) an. 1480. titulo *de obſoniis, ac de honeſta voluptate, & valetudine libri decem*, quo titulo Bononiæ recuſum apud Platonem de Benedictis an. 1499. Coloniæ apud Eucherium Cervicornum anno 1529. & 1537. Baſileæ vero an. 1541. hoc titulo *de tuenda valetudine, natura rerum, & popinæ ſcientia*, additum fuit opuſculis Cælii Apitii, & Pauli Æginetæ cum appendicula *de condituris variis* ex Joanne Damaſceno, quo eodem anno Sebaſtianus Gryphius ipſa opuſcula recudit Lugduni. Idem Platinæ opus *de honeſta voluptate, & valetudine, & arte coquinaria impreſſum Venetiis per Joannem de Cereto de Tridino alias Tacuinum an.* MCCCCCIII. *die* XVIII. *menſis Julii*. Demum Bernardinus de Vitulibus Venetus typographus an. 1562. illud inſcripſit *de honeſta voluptate, de ratione victus, & modo vivendi, de natura rerum, & arte coquendi*.

Idem opus italice redditum prodiit Venetiis an. 1516. typis Joannis Taurini de Trivio. Germanice editum a Stephano Vigilio Pacimontano ſcribit Franciſcus Ariſius.

Eadem a Gallis cura omittenda ſane non erat. Lugduni primum in vulgus editum ſapido hoc titulo. *Platine de l' honnête volupté, & ſanté, & de toutes viandes, & choſes que l'homme mange, leur aſſai-ſonnement &c. tranſlatè du latin par Didier Chriſtol. Lion* 1505. deinde Pariſiis an. 1516. & iterum Lugduni an. 1548.

Hunc librum aliqui exiſtimarunt gravitate Platinæ indignum, qui calamum vix a ſcribendis vitis Romanorum Pontificum amotum, ad rem coquinariam exponendam con-

ver-

vertere non debuiſſet. Hinc illud Actii Sinceri epigramma.

Ingenia & mores, vitaſque, obituſque notaſſe
Pontificum, argutæ lex fuit hiſtoriæ.
Tu tamen hinc lautæ tractas pulmenta culinæ:
Hoc Platina eſt ipſos paſcere Pontifices

Voſſius libro 3. de hiſtoria latina, *Mirum autem*, inquit, *Platinam poſt Pontificum vitas de re culinaria ſcribere voluiſſe.*

Verum quam rem vitio dant, ea de cauſa illos reprehendere æquum non eſt. Nam Platina hoc opuſculum in vulgus edidit, ut conſtat, ante decem annos quam vitas Pontificum abſolviſſet.

IV. Præterea Platinam habent auctorem, *Dialogus de falſo & vero bono* tribus libris comprehenſus.

V. *Dialogus contra amores ad Ludovicum Stellam Mantuanum.*

VI. *De vera nobilitate ad Joannem Urſinum Archiep. Tranenſem.*

VII. *Dialogus de optimo Cive lib.2.*

VIII. *Panegiricus in laudem Cardinalis Beſſarionis.*

IX. *Oratio ad Paulum II. de pace Italiæ confirmanda, & de bello Turcis indicendo.*

Hæc uno ſimul volumine prodierunt Lugduni anno 1512. quibus accedunt carmina in funere Platinæ. Eadem opuſcula, omiſſo dialogo contra amores, recuſa fuerunt Pariſiis apud Petrum Vidoveum an.1530. Dialogus vero ille Mediolani primum impreſſus typis Antonii Zarotti an.1481. gallicæ redditus fuit, edituſque Pariſiis an.1581. hoc titulo. *Deux livres du contramour de Baptiſte Fulgoſi, & le dialogue de Baptiſte Platine contre les folles amours.* Separatim edita alibi fuerunt.

X. *De Principe libri tres ad Federicum Gonzagam recens ex mss. editi. Genuæ excudebant Calenzanus, & Farronius ſocii an.1637.* Hoc opuſculum Platinæ Alexander Saulius edidit, dicavitque Auguſtino Pallavicino. Sed prodierat jam Francofurti an. 1608. ex typographia Nicolai Hoffmani hoc titulo. *Tractatus de pii Principis virtutibus, diſciplinaque aulica, & militari cum apophtegmatibus Card. Aldobrandini.*

XI. *De floſculis quibuſdam linguæ latinæ ad Lælium.* Venetiis 1480. & Mediolani 1481.

XII. Vita Cardinalis Jo. Mellini. Edita cit. to.IV. Ciaconii ex codice biblioth. Riccardianæ Florentinæ, aut Vaticanæ.

XIII. Vita Neri Capponi ex codice bibliothecæ Strozzianæ Florent. Extat inter ſcriptores rerum Italicarum to.xx. pag.477.

(6) Extat Romæ viviſſima Platinæ effigies depicta in pariete veteris Vaticanæ bibliothecæ a Sixto IV. ædificatæ, qui locus, poſteaquam ampliſſimam Sixtus V. bibliothecam conſtruxit, variæ Palatii Apoſtolici ſervandæ ſuppellectili addictus fuit. Petrus *della Franceſca* ea ætate pictor egregius aptum loco opus perfecit. Nam Platinam primum illius bibliothecæ Præfectum genibus flexis ante Pontificem ſedentem pinxit, digitoque carmina infra deſcripta indicantem, quorum ipſe auctor fuit. Aliis omiſſis, quibus conſtat pictura magno ſane in pretio habenda, ea quæ dixi, ut diligenter ære inciderentur, curavi, atque id maxime, ut os cum Platinæ, tum Sixti IV. ſimillimum picturæ eſſet. Figuras ipſas eadem magnitudine, iiſdemque lineamentis, ſimilibuſque coloribus, quibus pictæ ſunt, tabula expreſſas Cremonam quamprimum mittam ad ornatum inſignis bibliothecæ Prædicatorum. Carmina hæc ſunt

Templa, domum expoſitis, vicos, fora, mœnia, pontes,
Virgineam Trivii quod repararis aquam;
Priſca licet nautis ſtatuas dare commoda portus,
Et Vaticanum cingere Sixte jugum:
Plus tamen Urbs debet. Nam quæ ſqualore latebat.
Cernitur in celebri Bibliotheca loco.

COM-

COMMENTARIOLUS PLATINÆ
DE VITA VICTORINI FELTRENSIS
EX CODICE VATICANO

NEC præfationem apponimus, nec adjicimus, præterquam paucas, huic commentariolo adnotationes. Vitam enim Victorini uberrime expoſuit in ſuo dialogo Franciſcus Prendilaqua, & dialogum ipſum cl. Natalis Laſteſius ex alio codice Vaticano edidit typis Seminarii Patavini an. 1774. apud Jo. Manfrè, notiſque illuſtravit vir alter cl. Jacobus Morellius. Novis porro curis res non indiget. Quorſum vero hæc altera Victorini Feltrenſis vita? Scilicet ut elegantiſſimum opuſculum Platinæ in lucem emittamus, quod ipſe antea ſcripſerat, quam dialogus Prendilaquæ in vulgus prodiiſſet, ut conſtat ex illius epiſtola ad Suardum. Apparet etiam quanti Victorinum fecerint literati viri. Familiaritate conjunctus eidem fuit Platina, qui Mantuæ, illo vivente, aliquot egit annos, & fortaſſe in luctum prodivit optimi, & de ſe benemeriti ſenis, qui obiit anno 1447. IV. non. Februarii. Alumnum tamen illius fuiſſe, ut aliqui opinati ſunt, nuſquam ipſe indicavit, nec Prendilaqua memoriæ prodidit.

BARTHOLOMÆUS PLATINENSIS
BALDESARI SUARDO S. P. D.

QUum multa quotidie de ingenio, doctrina, religione, pietate ſanctiſſimi, atque optimi Victorini præceptoris tui, ſimul, ut conſuevimus, crebro cum veneratione tantæ virtutis loqueremur, plurimaque in dies dicenda ſupereſſent, cœpi ipſe mecum cogitare, viro de me, immo de tota Italia, de bonis omnibus, ac ſtudioſis, de omni eruditione, doctrina, & antiquitate benemerito maximam injuriam fieri; quod nemo adhuc ex tanto gymnaſio inventus ſit, qui meritorum ſanctiſſimi viri memor, ejus nomen omni auro, & argento pretioſius poſteritati ſcripto aliquo commendarit. Quamquam, quid vicem optimi præceptoris doleo? Quum ipſe vivat ævoque fruatur ſempiterno, & ſit ejus nomen etiam ſine ſcripto noſtro illuſtrius. Noſtra cauſa nobis dolendum eſt, & quod minus belle nobiſmetipſis conſulimus; quum tales deinceps futuri ſint hoc exemplo poſteri erga nos, quales in hunc ſumus, & quod ingratitudinis vitio notamur,

mur , quò nullum , ut apud Xenophontem legimus , aut majus , aut fœdius , aut humanæ ſocietati perniciosius Perſæ opinantur , majoreque ſupplicio vindicant : nec immerito quidem , quum ingratitudinem impudentia , impudentiam vero cætera vitia comitentur. Ne igitur hoc vitium incurrerem, a quo ſemper abhorrui , Victorini avi mei , ſi gentilitatis , & agnationis nomina in ſucceſſione diſciplinarum uſurpari poſſunt , vitam , & mores quanta maxime diligentia potui , breviter conſcripſi ; ad teque , qui ejus nomen cum amplificatione tantæ virtutis libenter uſurpas , eam miſi , quo tibi firmior , & clarior tanti viri imago obverſaretur . Vale .

VICTORINI FELTRENSIS VITA A BARTHOLOMÆO PLATINA EDITA

Victorinus Feltrenſis cognomento Romagno , matre Lucia , Patre Bruto , qui ob rem familiarem tenuem , & exilem ſcriptum faciebat , naſcitur . Puer admodum Ludi Magiſtro haud ſatis erudito traditur . Romana enim lingua , ut cæteræ artes , a barbaris labefacta , & corrupta , direpta perſæpe Italia , ablatiſque optimis latinæ eruditionis auctoribus , in ſitu , & tenebris ſupra ſeptingenteſimum annum jacuit : quam quidem paulo ante Victorini ætatem , Franciſcus Petrarcha , & Paulus Vergerius in lucem quoquo modo deducere ſunt viſi , conquiſitis undique doctiſſimorum virorum voluminibus , eiſdemque vel legendo , vel ſcribendo in uſum , & conſuetudinem deductis . Mox vero Gaſparini Bergomatis, Guarini Veronenſis , Leonardi Aretini , Poggii Florentini , Philelphi , Victorinique item labore , & induſtria , non ſolum denuo pullularunt hæc ſtudia , verum eo incrementi devenere ſive elegantes Poetas , ſive conſummatos Oratores velis , ut temporum noſtrorum felicitati, nil præterquam Principum , & populorum ingratitudo , atque avaritia obſtare videatur . Adoleſcens Victorinus ſolertia , & acumine ingenii ad cognitionem doctrinæ erectus , patriam relinquens, Patavium commune ſtudiorum domicilium petiit ; ubi eloquentiæ primo, mox Logicæ , Phyſicæ , Ethicæ tantum laboris , & ſtudii impendit , multum proficiendo , ut in numerum doctorum , totius Conventus Patavini ſuffragiis , ſit relatus . Factus inde Mathematicus appetentiſſimus , addixit ſe Blaſio Pellacano , qui tum Patavii erat , quique in Italia unus tum in ea doctrina maxime princeps habebatur . Nullum genus officii , obſequiive prætermiſit , ut bonum diſcipulum decet , quo hominis benevolentiam ſibi conciliaret . Tandem vero quum nil comitate, precibus , gratia proficeret , hominis mores , & cerebroſum ingenium peroſus, nullo præceptore uſus, ſingulari ſtudio, ſummaque diligentia Euclidem Megarenſem , atque deinceps Mathematicos reliquos adeo accurate perlegit , ut magnam in ea quoque ſcientia ſui opinionem concitaverit . Ferunt Pellacanum tum ſeipſum accuſare ſolitum , quod tale ingenium deſeruiſſet , quodque ſucceſſione tam clari diſcipuli eſſet cariturus , quo immortalis omni-

ni-

nino futurus videbatur, ſi huic quaſi ex teſtamento theſauros doctrinæ; qui poſteris ſuo nomine prodeſſent, reliquiſſet. Summæ admirationi apud omnes in quovis genere virtutis habebatur. A ſtudiis literarum labore, quo patientiſſimus erat, vigilia, qua magnam partem noctis inſomnem ferme ſemper ducebat, fame, quam tollerabat patientiſſime, inopia denique rerum, qua maxime vexabatur, deterritus nunquam. Dum quæreret animi ornamenta, exercitationes corporis, bonæ valetudinis cauſa, raro intermiſit, partito optime ad utramque rem tempore. Saltu enim certare, pila ludere, currere cum æqualibus ſtudioſus fuit: quod ejuſcemodi exercitationes, & corpus firmarent, & ingenium, intermiſſa cogitandi cura, promptius deinceps ad ea quæ inſtarent, redderetur. Non abhorruit etiam ab amore, quo maxime vexari adoleſcentes conſueverunt; ſed adeo natura, & inſtituto verecundi, ac ſimplicis ingenii fuit, ut nil vexatus ea perturbatione commiſerit, quo merito reprehendendus videretur. Tantæ modeſtiæ erat, ut nemini æqualium odium in ſe, aut invidiam concitaret. De ſolitaria vita quandoque cogitavit, quod ea maxime ad felicitatem duceret. Verum communi utilitati conſulens, ad quam natus videbatur, Patavii publice aliquot annis rethoricam docuit, nullo niſi publico præmio accepto; ſatis ſibi a diſcipulis fieri dictitans, ſi & eleganter loqui, & bene vivere didiciſſent. Auditores, qui plurimi ad eum confluebant cum bona ſpe dimittens, alacriores ſemper ad perſeverandum reddebat, lectione utens urbana, ſimplici, ac pudica, omni pompa ac faſtu verborum, quo concitari invidia, atque odium ſolet, procul amota; pertæſus vero ſcholaſticorum arrogantiam, & flagitia, in quæ adoleſcentes ob petulantiam, & licentiam in publicis maxime gymnaſiis incurrunt. Venetias profectus, ex tanta civitate nonniſi paucos, & qui præ ſe ingenium, ac modeſtiam ferrent in diſciplinam accepit: quoſdam etiam, quia minus ingenio, & moribus ſibi conſtabant, ad parentes remiſit, eos adhortatus, ut alia ratione filiorum vitam inſtituerent: mercedem etiam nonniſi a divitibus, & quibus ſolvendo eſſet, exigebat, qua pauperes, quos domi doctrinæ gratia alebat, ſubſtentaret. His artibus multos erudiens brevi effecit, ut non Venetiis tantum, verum etiam in tota Italia ejus nomen celebre haberetur. Confluebant undique, qui magnis propoſitis præmiis ejus eruditionem, & contubernium inquirerent; quos vir bonus nonniſi omni vitio, ac labe repurgatos, tamquam ſacellum ingreſſuros admittebat: ponderabat præterea, quid ipſe poſſet, quamque multis vacare: quid item de ſe ingenia adoleſcentium pollicerentur, ne & ipſe vano labore fatigaretur, ac parentes concepta inani ſpe fruſtrarentur. Quærebat tum filiorum cauſa Joannes Franciſcus Gongiacus Mantuanus princeps præceptorem moribus, ac doctrina ſpectatum. Hunc qui bene Principi, ac civitati Mantuanæ conſultum volebant, quovis premio accerſendum dicebant. Motus itaque Princeps hominis fama, patritium quemdam Venetum antiquum familiæ hoſpitem literis rogat, ut Victorinum quanta velit mercede ad eruditionem filiorum conducat. Cui Victorinus poſt longam conſultatio-

tionem , & multas preces , tandem eſt aſſenſus . Abhorrebat enim , ut ex Omnibono Leoniceno (1) *præceptore meo ſæpius audivi , aulas , moreſque principum , neque ſe ea ſeveritate in regios filios , quippe quos magnæ opes , & arridens fortuna inſolentes facit , qua in cæteros conſueverat , uti poſſe confidebat . Verum cognita virtute Principis , ac voluntate , tantum onus ſuſcepit ; cominus (ut ipſe dicebat) utilitatis cauſa , quod & principem optimum formans, populis , quibus is eſſet imperaturus , bene conſuleret , quum ad eorum mores , & inſtituta ſe accomodent, quos viderint in magiſtratibus , & imperio præeſſe ; & facultatem a liberaliſſimo principe eſſet habiturus , qua plures , ut ipſe ſemper concupierat , victu , veſtitu , doctrina juvaret . Mente enim academiam conceperat omnium bonarum artium , ſtudiorumve receptaculum .*

Mantuam itaque hac mente profectus , nullam cum principe liberali , ac munifico mercedem paciſcitur ; quem ideo Dii Victorini temporibus reſervarunt , ut eſſet qui liberalitate , & gratia tanti præceptoris , nil præter doctrinam habentis , ſcholam juvaret . Suſceptus perbenigne , ac comiter apud curiam domum , quam cives jocoſam vocant , cum gnatis principis inhabitavit : ad quorum eruditionem , & formandos mores converſus Ludovicum maximum natu , matris , ac pædagogi indulgentia adeo præpinguem , ut nullum inter pectus, & ventrem diſcrimen haberet , diminuto paulatim cibo , ſubſtrictoque ſenſim interiore ſago , ad honeſtam , & gratiorem habitudinem ſumma cum diligentia brevi redegit ; non ommiſſa interim ingenii cura . Princeps igitur admiratione tantæ virtutis motus, argentario publico , & diſpenſatori atrienſi imperavit , ne quid petenti Victorino denegaretur . Quare vir ſummæ prudentiæ ſtudiique ſingularis, tantam occaſionem bene de multis promerendi nactus , ex tota Italia præclara ingenia ad ſe vocat , gymnaſium inſtituit , libros parat , lectiones proponit , quo tempore quæque res ſit agenda , partitur . De moribus adoleſcentium maxima imprimis illi cura erat , ne quid flagitioſe aut facerent , aut loquerentur , quod eam ætatem norat maxime ad delinquendum pronam . Id fieri perfacile videbat , ſi eis pudor , & laudis ſtudium , veluti equis ſolemus calcar, ac frenum, proponeretur . Eos laudabat , qui obviam majoribus natu prodirent , quique omni officio graviorem ætatem proſequerentur . Neminem ingredi gymnaſium eſt paſſus , niſi in limine ſi quid vitii attuliſſet , id ſtatim depoſiturum ſe affirmaret, propoſita ratione totius vitæ ; quam qui conſulto præteriiſſet , ut ea ſancta eruditione minime dignus excludebatur . Ad labores & tolerantiam , voluptatem , & inertiam abominatus , unumquemque adhortabatur . Dicebat enim amo-

(1) De Omnibono Leoniceno gente Boniſolia Vicentiæ orto Franciſcus Prendilaqua Victorini alumnos recenſens pag.55. hæc habet . *Proximus . . . . . Omnibonus Leonicenus utriuſque linguæ peritiſſimus , eruditionis pater , oratione gravis , limatus , preſſus , ſeveritatis plenus . Hic defuncto præceptori poſt Jacobum Caſſianum* (Cremonenſem) *ſucceſſit, a Ludovico Mantuanorum principe , tuoque , o Alexander , germano conductus . . . .*

Omnibonum puto Patruum Nicolai Leoniceni , qui Ferrariæ ſexaginta annis Medicinam docuit , obiitque anno 1524. ætatis 96.

amorem ſtudiorum, & voluptatem ſimul eſſe non poſſe, qua ſpreta, adjunctaque modica exercitatione, quum non deſit boni præceptoris copia, quodvis etiam mediocre ingenium mature ad perfectam frugem deduci poſſe. Carpebat adoleſcentes audacius, atque inverecunde loquentes. Convenire etiam maxime juvenibus dicebat, in omnibus uti ſumma honeſtate, maxime vero corporis cultu, inceſſu, veſtitu. Pexos examuſſim, faciem, & muliebrem ornatum corporis, ac togæ nimia cura in ſpeculo quærentes, unguenta olentes, quod hæc ad flagitium lenocinia eſſent, acriter increpabat: contra vero mundos habitu, veſtitu, ac virili cultu, & robuſtos exercitatione corporis laudabat. Adoleſcentes ab uſu venereo, quoad fieri poterat, coercebat continua opera, ſobrietate; quod hinc firmari corpus, & ingenium, illinc enervari, & mentem tolli diceret. Verum ubi eos ad libidinem pronos vidiſſet, ut eſt hominum natura alia aliis libidinoſior, & ſi non innuebat, tamen in fœminas prolabi minus ægre tuliſſet. In mares quos ferri vidiſſet, eos omnino ex gymnaſio ſummovit, quod hoc crimine nil tetrius, aut flagitioſus putaret. Facilius ſuſcipiebat diſcipulos ex bona civitate, & optimis parentibus natos; ac ſuſceptos conſtanter adminiculo rerum omnium adhibito retinebat; quod tamquam pulli ex generoſis equis nati, optime inſtitui, atque erudiri poſſent. A crapula, & ebrietate eos admodum coercebat, parce victum, & nonniſi frugalem, ac ſimplicem præbendo, ne ex ſuperfluo cibo, vinoque, & hebetiores ingenio, & enervatiores corpore fierent. Lætos, & alacres, ac cætum æqualium, dum luderent, libenter frequentantes amabat, quod eoſdem quoque ad virtutem, & operam proniores futuros cernebat. Quos in parentes pios, in Deum religioſos, in æquales humanos videbat, eos præ cæteris amabat.

A nugis, ignavia, commeſſationibus diſcipulos deterrebat: quod diceret præſtare juvenem cogitare, quomodo, & doctus, & bonus fieret, quam fabulis tempus terere. Ab igne, media etiam hyeme, eos arcebat graviſſima caſtigatione adhibita, quod, ut canes hyeme ſolent, pigritia, ſcabie, deſidia labefactarentur, calorem dictitans exercitatione majorem, ac meliorem excitari. Ipſe vero ſive natura, ſive inſtituto, quo majorem præſentia ſui iniiceret pudorem, ad ignem nunquam, vel raro accedere viſus eſt. Simplicibus, & non magnifice paratis cibis conſueſcere adoleſcentes volebat; ad ſalubritatem corporis, ingenii ſollertiam, & acumen non parum felicitatis in ſobrietate, & continentia ponens.

Humanitatem, facilitatem, benevolentiam in adoleſcente laudabat: contra vero eos carpebat, qui quum nimium, aut blandi, aut ridiculi eſſe vellent adulationem, & ſcurrilitatem incurrerent. Pueris ignorantia, & non malitia peccantibus, admonitis tamen, ne deinceps tale aliquid facerent, parcendum dicebat. Pedagogos crebro, & accurate admonebat, ne aut quid ipſi agerent, dicerentve, quo ad vitia, eorum exemplo, impellerentur adoleſcentes; aut prolabentes negligentia peterentur errare, adhibita, ſi opus eſſet, tum ciborum, tum verberum caſtigatione. Tempus ita partiebatur, ut a ſtu-

ſtudio ad exercitationes corporis omnes traduceret: quo & pace, & bello, ſi opus eſſet, boni cives haberentur. Saltare enim, currere, æquitare, jaculum torquere, enſem rotare, arcum intendere non alienum a bono cive eſſe dicebat. Magiſtros item conduxit, qui cantibus, & lyra eos erudirent, quos maxime idoneos cernebat: hac quoque in re, ut in cæteris Atticos doctores imitatus; quod his etiam excitari animos concentu, & harmonia ad laudem, & pulchritudinem virtutis diceret.

Neminem acrius reprehendebat, quam dejerantem, & Deo, ac ſanctis maledicentem. Unde Carolum principis filium jam adultum, & prævalidum in aula pila ludentem ad ſe vocatum videntibus, qui aderant, ita acriter manu percuſſit, ac ſi unus ex infima plebe fuiſſet, quod minus religioſe de Deo ac Sanctis, ut per iram fit, locutus eſſet. Neque ob eam rem juvenis magnitudine animi, & robore corporis excellens, vim vi repellere eſt conatus: verum inſuper majeſtatem præceptoris veneratus, ad ejus genua provolutus, veniam, ſi quid deliquiſſet, rogavit. Religionem, & Dei cultum ante omnia diſcipulis proponebat, qui diceret, eruditionem, ac ſcientiam a Deo hominibus dari: quare omni labe, & impietate carere eos oportere dicebat, qui rem tantam, tamque divinam expeterent. Templa frequentabat, maxime quum res divina fieret, filios Principis ſecum ducens, ut, quos verbis continuo ad religionem adhortabatur, eos etiam moveret exemplo. Tamdiu ſupplex flexis genibus ſtabat, quamdiu vel ipſe horas Virginis dicebat, quas nunquam intermiſit, vel Sacrificium a ſacerdote fieret. Cogebat præterea Principis filios, reliquoſque item diſcipulos, ſingulis diebus Deo pro meritis gratias agere, vel preces fundere, ut ſalvos ſe, urbem, parentes, ac cives faceret. Nulla enim re magis augeri doctrinam dicebat, quam religione, pietate, quibus optimos, ac bene moratos adoleſcentes imbutos eſſe opportere aſſeverabat: hac ratione optimam parari ad eruditionem viam, quum & Deum, & homines tali præditus ingenio, ac inſtituto propitios, ac fautores ſit habiturus. Tria dicebat pueris neceſſaria, ingenium, doctrinam, exercitationem. Ingenium agro comparabat, exercitationem culturæ, quibus ex rebus ubertas oritur: doctrinam hoc præſtare, ut & virtute meliores fiant homines, & utriuſque fortunæ, quoad vixerint, receptaculum habeant. Adoleſcenti interroganti, quid ei ad capeſcendam doctrinam opus eſſet, reſpondit; dediſcere ſi quid male, ac perverſe didiciſti, repurgatoque animo omni labe, ac vitio totum te optimo, ac ſancto præceptori tradere, qui erga te parentis ſumat animum, cuique item tu, ut filium decet, obtemperes. Simplicis erat in legendo apparatus, nullo fuco, aut ambitu orationis utens; quod plerumque ad jactationem ingenii, ac doctrinæ fieri conſuevit. Varius tamen erat, diſtinctus, circumciſus, & brevis ex ingeniis auditorum, ac lectionum qualitate. Tota ejus oratio pudica erat, & ſimplex; nullum verbum minus honeſtum ex homine unquam auditum eſt, aut ſerio, aut joco. Si quid inter legendum obſcænum, ſordidum, humile, ut in Poetis cernitur, declarandum accidiſſet, id aut præteribat, aut honeſta periphraſi, ore etiam

verecundo explicabat, poetas reprehendens, quod Dyogenicos imitati, pudorem a natura datum impudica licentia tollerent. Voce continua, ac ſonora, diſcipulis, quantumvis multis, ſatisfaciebat, vultu, ac verbis fidem permaxime faciens, quum non aliter oratorum poetarum philoſophorum locos explicaret, ac ſi ei pithii Appollinis oracula de verbo ad verbum præfari ſacris neceſſe eſſet.

Admonebat perſæpe diſcipulos, ne lecturi publice, aut private, ad lectionem prius accederent, quam qua ratione ſententiæ verba, perſonarum affectus optime explicari poſſent, mente concepiſſent. Ad hoc autem maxime ſuo exemplo adhortabatur. Ab negotiis enim, quæ multa, ac maxima amicorum cauſa, præcipue vero pauperum, obibat, domum rediens, ſi forte, ut perſæpe accidit, congregatos ad audiendum diſcipulos vidiſſet, eos adhortabatur vir doctiſſimus, & qui multa lectione jam habitum in omni genere doctrinæ fecerat, ut tamdiu expectarent, quoad illi percurrere, quæ dicenda eſſent, liceret. Latinam pariter, & græcam linguam docebat, quod utraque alterius cognitione facilior videretur. Græcam ipſe jam grandis natu a Guarino didicerat, facta, ut mercatores ſolent, mercium commutatione. Guarinus enim Venetias Bizantio rediens, unde literas Græcas reportabat, latinam linguam a Victorino perdiſcens, eidem, pro mercede, græcæ eruditionis theſauros reliquit, quos poſtea auxit, & ſtudio, quo plurimum valebat, & commercio doctorum græcorum, quos e media Græcia accitos, domi continuo habebat.

Carmina optimorum poetarum, atque oratorum locos ediſcere memoriter adoleſcentes volebat, quod, quid ea ætas caperet, tenaciſſime uſque ad ſenectam teneret, ut nova teſta optimi liquoris odorem ſolet. Ætatum, atque ingeniorum rationem habebat. Quibuſdam enim in ipſo ſtatim principio ſine ulla arte quid eſſet agendum proponebat, cognita membrorum ad injunctum onus firmitudine; quibuſdam vero, ne, ut equi indomiti, frenum, & vim aſpernarentur, atque nondum bene ob tenellam ætatem firmatis, literarum formas variis coloribus pictas ad luſum chartarum pueris proponebat; quibus repetito, ut fit aliquamdiu inter ludendum, literarum nomine, earum nomina optime tenentes, poteſtatem deinceps ſine labore perdiſcebant. Ut promptos, & invidos adoleſcentes, ac luſum cum æqualibus amantes, laudabat, ita frigidos, & inertes reprehendebat, quod hos ad otium, & deſidiam, illos ad res tum mente, tum corpore pertractandas natos diceret. Si quem vidiſſet inter eundum, dum venatur, piſcatur, rivum, ac foſſam quantumvis latam, uno ſaltu traijcere, eumdem ejus diſciplina dignum putabat: quod diceret ex agilitate corporis, mentis ſolertiam deprehendi. Dabat & remiſſionem ſtudiorum, ne faſtidirent, quod nondum per ætatem amare poſſent, utque alacriores laxatione ad ſtudia redirent, propoſita ſpe deinceps ludendi, ſi operam pro tempore ſtudiis navaverint. Objurgatione frequenter, plagis raro, & niſi ex magno aliquo patrato flagitio, adoleſcentes in officio continebat, adhibita vultus ſeveritate, & triſtitia, quo eos magis in officio contineret.

Ma-

Maxime illi curæ erat, ut adoleſcentes crebra lectione tum poetarum, tum oratorum exercerentur, & ipſe perſæpe aderat, interrogando, & tentando, numquid inter legendum ſignum aliquod intelligendi præ ſe ferrent, diſtinguendo clauſulas, intermittendo ſpiritum, attollendo vocem, vel dimittendo, verborum copiam, varietatem figurarum notando. Clauſulas etiam ipſe de induſtria nonnunquam perverſe interpretabatur, ut intelligentiam diſcipulorum, quæ niſi ex eruditione, & longa conſuetudine haberi non poteſt, deprehenderet. Lætabatur admodum, ſi quem vidiſſet auſum malam interpretationem refellere, illud eſſe ſignum optimi ingenii, & intelligentiæ dictitans; & ne in arrogantiæ vitium inciderent, quod ſit difficile imbecilli ætati tenere mediocritatem, eos perſæpe mordebat, ne elati, ac tumidi falſa opinione ſui præcipites irent. Contra vero mæſtos, & ſe ejus judicio committentes extollebat, quo laudati alacriores ad ſtudia redirent. Adeo erat docendi cupidus, & communi utilitati ſerviens, ut quamvis eſſet nimium doctiſſimus, tamen inter legendum ad minima quæque deſcenderet, & ea quoque quæ ſtomachum vel mediocriter erudito faciunt, pro ingenio, & ætate puerorum repeteret.

Gaudebat ingenio adoleſcentium, & præ gaudio lachrymabatur, ſi quid eleganter vel proſa, vel carmine dixiſſent. Siccos, & aridos ad ubertatem adhortabatur, exundantes non carpebat; quod diceret, ſuperveniente ætate reprimi facilius, quam augeri ingenium poſſe. Audire perſæpe adoleſcentes volebat, & legentes, & declamantes, quo ſi quid vitii in pronuntiatione deprehenderet, id ſtatim corrigeretur. Vetabat eos aut in faucibus, quod pinguedinem, & barbariem quamdam, aut in extremis labiis, quod exſibillationem præ ſe ferrent, & audientes læderent, enunciare. Varia ſtudia etiam eodem tempore adoleſcentibus proponebat, quod diceret, ut corpus diverſitate ciborum, ſic animos alternatis ſtudiorum generibus refici. Laudabat illam, quam Græci Ἐγκυκλοπαιδείαν *vocant, quod ex multis, & variis diſciplinis fieri doctrinam, & eruditionem dicebat; aſſerens, perfectum virum de natura, de moribus, de motu aſtrorum, de linearibus formis, de harmonia, & concentu, de numerandis, dimetiendiſque rebus diſſerere pro tempore, & utilitate hominum oportere.*

Succenſebat adoleſcentibus, qui, ut fit, dum ambigitur, nihil peterent; dictitans id ſignum eſſe vel nullius, vel negligentis ſtudii: eos vero libenter audiebat, qui aliquid peterent diſcendi cauſa. Tentantibus autem, aut pertinacius inſtantibus nonnihil iraſcebatur; quod diceret, id nequaquam eſſe liberi, ac boni ingenii ſignum. Ut erat ad iram pronus natura, ita cito ratione mitigabatur. Docte, & ornate legens, verba, ſententias, genus dicendi, deſcriptiones locorum, affectus perſonarum, quos ipſe oſtendebat notando ex auctoribus admonebat; hinc copiam, diluciditatem, ornatum oriri dictitans; maxime quum ſententiæ, varietas rerum, latina perſpicua, & ornata verba ex diligenti, & bene digeſta lectione colligerentur. Carpebat in adoleſcente, dum loqueretur,

aut

aut ſcriberet, turbam inanium verborum, & copioſam dicacitatem: perſpicuitatem vero, propria verba, ordinem in ſcriptis cujuſvis laudabat. Mirum ordinem, rationem, modum rebus addebat. Virgilium, quem cura, & diligentia Smirnæum vatem ſuperaſſe dicebat, frequenter publice, ac privatim legebat; quod inde ſpiritum in rebus, motum in affectibus, decorem in perſonis, adoleſcentes magnitudine rerum a poeta ſcriptarum illecti ſumerent, quum rectus, preſſus, jucundus, grauis, copioſus rerum omnium ſcientia habeatur. Verecundum poetæ ingenium mirum in modum laudabat, quod perſæpe turpia non indecore circuitione verborum aperte, & eleganter explicaret, ut illud in Georgicis de præpinguibus equabus:

> . . . . nimio ne luxu obtuſior uſus
> Sit genitali arvo, & ſulcos oblimet inertes.

Legebat & Lucanum tum propter ardorem, & concitationem, quam mentibus adoleſcentium addit, tum propter amplitudinem rerum, & ſententiarum, quibus maxime poeta abundat. Elegos ut petulantes, & laſcivos omittebat, quod nocerent moribus. Laſcivum, & amabilem appellabat Ovidium, cujus nonnulla frequenter in manibus habebat opera. De Satyris Perſium, & Horatium, maxime vero in lyricis non omittebat; quod in dicendo ſurgeret, & plenus eſſet jucunditatis, ac gratiæ; poſthabito in lectione publica Juvenale, quod aperte nimium, & obſcene loqueretur. Legebat etiam tragædos tum græcos, tum latinos ob gravitatem ſententiarum, verborum pondus, ac perſonarum auctoritatem. Comicos laudabat, maxime vero proprietatem Terentii, gratiam & copiam Plauti, quod hi plurimum eloquentiæ conferrent: eorum tamen laſciviam nocere ingeniis non bene ſubſtitutis affirmabat.

In hiſtoria, quæ quaſi quoddam ſolutum carmen habetur, ut Salluſtium ob brevitatem, & latinitatem, ita Livium propter ubertatem, jucunditatem, amplitudinem, præcipue vero in concionibus, in quibus virtus ineſt maxima, extollebat, neque videre ſe dicebat, quid patavinitatis haberet miræ facundiæ, & elegantiæ vir, cui ab Aſinio Pollione peregrina verba objiciuntur. Eos item errare dicebat, qui tanti hiſtorici fidem, in qua virtute maxime excellit, facile calumniarentur. Commentaria Cæſaris laudabat, & legebat, quod ſtudioſus elegantiæ vim, & acumen, concitationemque in ſe haberet. Valerii Maximi lectionem frequentabat propter varietatem hiſtoriarum, & copiam exemplorum: hominem tamen carpebat, quod ut in ejus proœmio apparet, adulator eſſet maximus.

Ad perdiſcendam dialeticam adoleſcentes adhortabatur, quod ea ars reſolvendis ambiguitatibus eſſet accommodata. A Cicerone, ut ab uberrimo, & gratiſſimo fonte, nunquam diſcedendum dicebat, quia ſitim omnem tolleret in quovis genere dicendi, nec ſatietatem pareret, ſed deſiderium quoddam iterum inſtandi, ac legendi ejus ſtudioſis concitaret, & quum omnem honeſti, juſtique diſciplinam, omnemque item Academicorum, Stoicorum, Peripateticorum doctrinam ad tollenda animi vitia, & for-

man-

mandum optimum, ac doctiſſimum virum duceret perneceſſariam eſſe. Ciceronem egregium Platonis, Ariſtotelis, Zenonis æmulum legendum continuo dicebat, quia illhinc omne, quod ad publicam, ac privatam vitam facit, ſumeretur. In Seneca quantum ad ea, quæ de moribus ſcripſit, magnas virtutes ineſſe dicebat, ingenium facile, & redundans ſtudio, ac cognitione multarum rerum, & quum plus doctrinæ, quam eloquentiæ, qua corruptus habetur, ejus ſcripta præſeferant, accurata lectione utendum dicebat, ne virtus ſimul, & vitia imbiberemus. Quintilianum, ut optimum vitæ, atque eruditionis auctorem, miris laudibus extollebat. Diverſitatem rerum ex Plinio colligendam dicebat. De Marco Varrone, Cornelio Celſo, Marco Catone viris doctiſſimis, quod supereſt, legendum ad doctrinam, & eruditionem aſſeverabat.

De græcis Homerum inter poetas oceano ſimilem, ac omni virtutum genere exundantem, Heſiodum in præceptis utilem, Theocritum in ſuo quoque genere admirabilem, Pindarum ſententiis, figuris, rerum, ac verborum copia, lyricorum principem, Ariſtophanem doctrina linguæ, paritate ſermonis atthici ad formandum bonum virum, quod vitia inſectaretur, aptum, Euripidem jucundum, & ſententiis gravem, admirabilem Sophoclem, concitatum Aeſchilum primum tragediæ inventorem perſæpe legebat. Demoſthenis vim, Iſocratis candorem plurimum eloquentiæ conferre dicebat. Adjuvabat unumquemque ad id potiſſimum conſequendum, ad quod ingenio videret inclinatum, quum hunc hiſtoriæ, illum metro, alterum mathematicis idoneum cerneret.

Ad phiſicam, & jus civile, ac pontificium perdiſcendum, ſua etiam impenſa, ad gymnaſia publica quoſdam ex diſcipulis miſit, neque indignabatur, aut moleſte ferebat ſuos diſcendi cauſa ad alios præceptores commigrare. Nullas cum quovis hominum exercuit inimicitias, nedum cum literatis, quorum pleroſque carpebat, quod diceret, eos depoſito bene a natura, & inſtitutione accepto, male uti; & ut in bellis civilibus fit, arma ad tuendum rem publicam data, in ſeipſos vertere. Tantæ erat auctoritatis, & gratiæ, ut multi viri doctiſſimi, quorum de numero Philelphus, & Guarinus tum habebantur, eruditionis, & doctrinæ cauſa filios ad Victorinum miſerint. Ejus conſtantiæ fuit, ut neque rebus, neque verbis, vel ſuperbum, vel elatum, vel ridiculum, vel factum aliquid, quod quempiam læderet, dicere unquam ſit auditus. Urbanitate tum pudica, ac modeſta, quæ neminem læderet, contra audientes delectaret in ſermonibus, circulis, conviviis, inter legendum, recreandorum animorum cauſa, commode utebatur, in qua quidem nihil diſſonum a vita ejus, nihil agreſte, & unde exemplum minime decens, vel ore, vel geſtu ſumeretur, inerat. Altercantes ſecum de ſtudiis literarum, & ſi nonnihil primo movebatur, tamen ſuperiores in cauſa qua de agebatur relinquere malebat, quam eorum ineptis clamoribus cum pertinacia obtundi, quum ipſe modeſte, & graviter, nec inepte, & ſtolide, ut Dialectici noſtrorum temporum ſolent, argumenta efferret. Odio, invidia,

gra-

gratia, pecunia, largitione nil unquam fecit, quo reprehendi merito poſſet.

Tantæ diligentiæ fuit, ut non modo in adoleſcente vitia oris, ſi quid fuſcum, plenum, aſperum, contractum, durum, obtuſum dicerent, ad lenitatem, flexibilitatem, claritudinem, dulcedinem perduceret, verum etiam eorumdem inceſſum, geſtum corporis, motum capitis, pedum, & manuum ad decorem, & ornatum componeret. Si quem vidiſſet adoleſcentem minus patienter, & compoſite ſe habere (ut fit quando altero ſtandi laſſitudine innituntur, aut parieti inepte adherent) ſtomachatus, carbone ejus pedes circulo notabat, adhibita pœna, ſi ante præſcriptum tempus inde digreſſus eſſet; mordentem labra, vel os, aut naſum diſtorquentem, pituitam per guttur, & non per naſum trahentem, crebro ſpuentem, manus ſub veſte tenentem trepidas, vel maximo frigore chirothecis utentem, ut ignavum & nullius pretii futurum hominem graviſſimis verbis increpabat; illos extollens, qui diutius in eodem veſtigio ſtantes, quum alter alterum patientia ſuperare contenderent, plurima carmina recitarent, in quo maxime Carolus Gongiacus, & Federicus Urbinas excellebant. Si quem vidiſſet oſcitantem, aut ſignum quoddam inertiæ præſeferentem cum quavis caſtigatione a tali deſidia deterrebat; contra vero accinctos, & induſtrios ad æmulationem collaudans.

Optima quæque ad imitationem adoleſcentibus proponebat, ſive proſam, ſive carmen ſcriberent, dictitans nil eſſe inchoandum ſcriptione, ad quam maxime unumquemque adhortabatur, niſi concalefacta prius mente, & incitata ejus rei lectione, quam imitari volueris. Scribendum quam diligentiſſime incipientibus dicebat, & cavendum ne vitioſa, poſthabito mentis judicio, ſequerentur. Emendabat ipſe quam diligentiſſime, quæ a diſcipulis ſcribebantur, quædam adjiciens, plurima detrahens. Si quid legiſſet, quod ejus laudes contineret, ut exercitationis gratia diſcipuli facere conſueverunt, ſtomachatus, id vix perlegere, nedum emendare ſuſtinebat, deterrens adoleſcentem, ne de ſe tale aliquid deinceps ſcriberet.

Hunc fuiſſe doctiſſimum, atque optimum, diſcipuli ipſi, quos habuit plurimos, teſtantur. Et ne filios principis omittam, Ludovicum illuſtrem Franciſci Cardinalis parentem, qui nunc Mantuanis imperat, quique omnium ætate noſtra principum eruditiſſimus habetur, moribus, & doctrina ad principatum inſtituit. Carolum, quo neminem ſua ætas robore, ac magnitudine corporis præſtantiorem vidit, græca pariter, & romana literatura ad cæteras animi dotes præſtantem reliquit. Joannis lucidi ingenii acumen, atque animi præſtantiam adjuvit. Alexandrum imaginem optimi, ac ſanctiſſimi principis reliquit, morum facilitate, ac diſciplina. Federicum Urbinatum comitem, quem pater ad Victorinum miſerat doctrinæ cauſa, ita eruditione, & moribus inſtituit, ut magnitudine animi, rerum gerendarum ſcientia, auctoritate, gratia, paucos in Italia principes æquales habeat, nedum ſuperiores. Longum eſſet enumerare optimatum nobilium dominorum ex tota Italia filios, qui Victorini gymnaſium frequentarunt.

Ad

Ad illos venio, qui ingenio, ac doctrina in doctorum numero ſunt habendi. Omnibonus Leonicenus præceptor meus optimus, atque doctiſſimus utraque eruditione habetur; Idemque eloquentiſſimus, gravis, ac doctus Gregorius Corarius. Terſus, ac dulcis ſcriptione Antonius Beccaria. Andreas Faſſolus Angeli Faſſoli Feltrenſis Epiſcopi frater, ſuavis eloquentiæ vir, totius eruditionis facile princeps. Laurentius Valle græcæ, & latinæ linguæ alterum decus. In omni antiquitate eruditus, atque acutus Johannes Petrus Lucenſis. In dialeticis, phiſicis, mathematicis Jacobus Cremonenſis (1): *In eloquentia Georgius Trapezontius: in omni humanitate ac doctrina Theodorus Gazi: in cognitione utriuſque linguæ Petrus Balbus; in copia & ornatu ciceroniano Saxus; in multa doctrina Franciſcus Caſtillonius: in diligentia, & ſollertia interpretandi poetas, hiſtoricos, oratores, & quodvis genus ſcriptorum Andreas Vegevenus: in traducendis græcis hiſtoricis latine, & eleganter Nicolaus Perottus ſollers, ac diligens: in eroico verſu Baſinius Parmenſis poeta inſignis. In inſtituendis, atque optime erudiendis adoleſcentibus regiis Baldus Marterellus. In lectione publica doctus, & ſollers Petrus Manna* (2). *In tradendis Grammaticæ præceptis Gabriel Concorregius, ac plerique alii eruditiſſimi ſunt habiti. Hi omnes, ut de Iſocrate dicitur, ex gymnaſio Victorini tamquam ex equo trojano, principes emanarunt, quorum opera, atque eruditione tota ferme Italia eſt uſa. Nec ab ullo præceptore, pace aliorum dixerim, meliores, ac doctiores diſcipuli noſtra ætate dicendi ſunt viſi.*

D *Ut*

(1) Jacobus Caſſianus Cremonenſis hic eſt, de quo Prendilaqua in Dialogo pag. 68. hæc ſcripſit. *Jacobus Caſſianus in phiſicis, & mathematicis, in dialecticis magnus, defuncti præceptoris locum tenuit, libris ejus juſſu potitus. Inde ad Nicolaum Pontificem profectus, multa ex græcis latina fecit, paulloque poſt adverſa valetudo illum ſibi, ac nobis intercepit. Atque in hoc diſcipulo magna Victorini laus apparuit. Erat enim ille Religioni obnoxius, quam neque jus, neque fas, niſi religioſis in locis, habitare patiebatur. Miſſus igitur ad Eugenium Pontificem impetrandæ veniæ gratia, ut apud Victorinum eſſe poſſet, ſimul atque rem Pontifex audivit*; vade, *inquit*, o fili, totum te huic philoſopho libere tradimus, quo nulla melior eſt religio, nulla ſanctior.

Ex quo loco cognoſcimus Caſſianum Mantuæ poſtremo ſuæ vitæ tempore docuiſſe, quod antea munus obierat Ticini, & Cremonæ. In iis, quæ latina fecit ex græcis ſunt libri Archimedis, & Diodori Siculi teſte Facio in libello de viris illuſtribus. Franciſcus Ariſius tom. 1. Cremonæ litera illius cum Philelpho amicitiæ mentionem facit, & Philelphi literas ad eumdem laudat.

(2) Petrus Manna Cremonenſis præcipuam hanc habet laudem in Dialogo Prendilaquæ pag. 71. *Gabriel Concorigius, ac Petrus Manna, duo inter noſtri temporis grammaticos, ac rethoricos probatiſſimi, alter Cremonam, Brixiam alter occupavere, maximoque diſcipulorum concurſu celebrantur.*

De eodem Petro Manna hæc ſcripſit Julius Tarteſius de Nobilitate pag. 83. apud Franciſcum Ariſium to. 1. pag. 303. *Floruit paucis ab inde annis Petrus Manna vir ſummæ eruditionis, inſignis grammaticus, & rethoricæ propugnator, ac multiplici doctrinarum ubertate refertus, qui per 40. annos, & ultra Cremonæ profeſſus eſt, ad quem confugiebant ex ultimis Galliæ Ciſalpinæ partibus magnorum principum filii erudiendi, ut videre eſt ex epiſtola* Danielis *Cajetani nuncupatoria, in qua Pomponii Sabini commentaria in Virgilium dicto Petro Mannæ Grammaticæ profeſſori dicantur.*

Extat ejuſdem ſepulcrum Cremonæ in Templo S. Dominici cum hac inſcritpione.

S. D. MAG. MANNÆ GRAMMATICÆ PROFESSORIS EJUSQUE HÆREDUM ANNO MCCCCLXXXIV.

Ut erat in erudiendis, atque inſtituendis diſcipulis ſollertiſſimus, ita valetudini eorum, non ſecus ac parentes pro incolumitate filiorum ſolent, conſulebat. Æſtate enim, quia civitas plerumque parum ſalubris eſſe conſueverat, diſcipulos ad loca ſalubria, & amœna, utpote ad Benacum, & montana Veronenſium emittebat, præſcripto ad redeundum tempore. Parentes etiam quorumdam diſcipulorum pauperes, & ſenecta inſtante minus commode victum quærentes, ſua impenſa pavit, ne filii pietate ad nutrimenta parentum conquirenda, a ſtudiis avocarentur.

Interrogatus ab amicis, cur filios non procrearet, reſpondit, quia multos domi habeo, cœtum adoleſcentium oſtendens. Semper enim in cælibatu caſtiſſime perſeveravit. Interrogatus, quare divitias contemneret: & quia, inquit, eas nunquam amavi, aut admiratus ſum, & quia multis non egeo, quum mihi virtus uſque ad mortem viatico futura ſit, ſeque potiſſimum in ea re adoleſcentes imitarentur. Corporis erat parvi, ſed robuſti, ac vivacis ſine obeſitate ulla: honeſta illi frons, verecundum os, canis aſperſum caput. Facilitate victus maxime delectabatur, ſumpto ſimplici ferculo, nec delicato quidem: cujus ſecunda menſa cruda poma interdum habebantur. Phaſianum, perdicem, tragemata, & quicquid delicati principum aulæ offerunt, ut voluptatum irritamenta, nec ipſe comedit, & ſuos raro uti paſſus eſt; cumque ſuaviſſime comederet, minime delicato indigere obſonio. Vino modico, leni, ac delectabili utebatur. Silere in convivio omnes volebat, maxime dum legeretur. Fugiendam pinguedinem dicebat, quæ ſolet ex nimia edacitate, potu, otio, ſomno exoriri, tamquam graviſſimam ſarcinam, & denſam animi nubem. Rara, & plerunque toto anno eadem veſte utebatur, pelles pro tempore anni addendo, auferendove. A mendacio adoleſcentes ſeveritate coercebat. Quærenti cuidam, quare ejus filius diutius in ſtudiis literarum verſaretur, quam vel ipſe vellet, vel ejus res familiaris pateretur; reſpondit, doctrinam nequaquam ut fundum acquiri, quum hic pecuniis, illa tempore, & aſſidua opera compararetur. Urgebat continuo ad doctrinam diſcipulos, oſtendens eos nullius rei magis, quam temporis pati jacturam.

Nobilitatem amavit, & ſi inter nobilem, & plebejum, ut plerunque fit, orta eſſet aliqua de re contentio, quamquam diceret eundem eſſe nobilem, & virtutis ſtudioſum, tamen in partes nobilitatis inclinabat. Erat antem tantæ venerationis, ut ſola præſentia non cives tantum Mantuanos, a quibus, ut par erat, per urbem incedens uno tantum ſervo comitante, ſancte venerabatur, in officio bene, ac honeſte vivendi contineret; verum etiam principi clariſſimo per jocum inter ſuos, ut plerunque fit, aliquid licentius dicenti vocem ſuperveniens ſcinderet: e regione, cujus, ſive in convivio, ſive in cubiculo eſſet, poſita ſtatim ſella, ſedere conſueverat; aſſurgere etiam homini Ludovicus, ac cæteri fratres poſt mortem patris ditione potiti, ac eum venerari, ut ſanctum, ac optimum præceptorem, quemadmodum ante ſolebant, non deſierant. Crebro etiam, non invitatus, Alexandri convivium frequentavit, quem præſentia, & verbis,

bis ; ſi opus erat , ad frugalitatem adhortabatur . Revocabat perſæpe diſcipulos , ad recordationem diurnæ actionis . Ita cum hominibus verſandum dicebat , ut ex amicis , amiciores redderemus , & ſimultate aliqua nobiſcum certantes , amicos faceremus . Mitem hominem , qui Deo maxime , ſit propinquus , non violandum . Riſu nimio , aut ruſtica ſeveritate abſtinendum . Bene de nobis meritis , & habendam , & referendam gratiam.

Adoleſcenti nil flagitioſius dicebat , quam , in cœtu mulierum vitam ducere . Ad rem uxoriam adhortabatur , quos cernebat veneri maxime deditos . Cupiditatem divitiarum ex inani opinione procedere dicebat : quum facile parari poſſit , quod indigentiam tollat . Non dejiciebatur facile de gradu , ut dicitur , ob adverſos caſus , & vitæ perturbationes . Bartholomæi Enſelmini ex ſorore nepotis , adoleſcentis unici , tum domi , tum foris exempli mortem , in oppugnatione Brixiana , ita conſtanti , ac philoſophum decebat , animo tulit , ut ne minima quidem ſuſpiria ducere , ob acerbiſſimum caſum , ſit auditus . Conjectores vates , ſomniorum interpretes , geomanticos , & cæteros id genus , quorum ſtultitia , & inani pollicitatione homines falluntur , contempſit . Ob conſtantiam animi , integritatem vitæ , contemptumque rerum humanarum , felix eſt habitus .

Non defuere tamen , qui tantum virum lacerarent , qui inani gloriæ ductus , quam ſemper contempſit , melior videri , quam eſſe vellet , quique diſcipulos vana præceptione falleret . Qua in re ſe nulla alia ratione conſolabatur , quam quod diceret , Deum meliorem eis mentem aliquando daturum . Reprehenſus , quod homines improbos , quorum pleroſque pecunia , ære alieno eximebat , pleroſque vero , opera , & patrocinio juvabat , eos carcere , ſupplicio , vinculis liberando , reſpondit , ſe id humanæ imbecillitati præſtare . Ob ſponſiones , & vadimonia , quæ amicorum cauſa faciebat , multa incommoda , paſſus eſt , quum ei ſolvendum poſtea fuerit , Viſere etiam ægrotos re , & pecunia ſolebat . Religioſos præterea in victu , & veſtitu , inque ædificatione templorum juvit , acceptis mutuo a mercatoribus , & ab amicis divitibus , præſertim in talem uſum , pecuniis . Pupillos , viduas , ac metu judiciorum circumventos , conſtantiſſime tutatus eſt . His tot , ac tantis negotiis preſſus , nullum ingenii ſui monumentum reliquit , dicens præſtare , bene agere , quam bene ſcribere Extant tamen quædam ejus epiſtolæ ad amicos , in quibus gravitas , fides , & acumen haud ſane reprehendendum ineſt .

Adeo parce , & temperate vixit , ut nonniſi poſtremo ætatis tempore ægrotaverit , quo etiam patientiſſimus in perferendis doloribus eſt habitus , quum nuſquam gemere , aut lamentari , ſit auditus : quin mortem malorum omnium finem , quum ita accideret , ferendam æquo animo , prædicabat , eos carpens , ſenes præſertim , qui nimia cupiditate vitæ tenebantur , qui quantum mali cuperent , non ſatis cernerent . Quum gravatus febre , ac pene morte confectus , videret diſcipulos mæſtos , & illacrymantes , eos debere lætari dicebat , qui jam ſibi iter , quo erat eundum , confectum eſſet . Mandavit diſcipulis ne ſe ulla funeris pompa ſepelirent .

lirent. Urgente poſtremum morbo, moritur vir optimus, atque doctiſſimus, nono, & ſexageſimo ætatis anno, cujus corpus comitantibus principibus, ac populo, ad ædem divi Spiritus delatum, atque ibi terra, ut ipſe mandaverat, apud oſſa matris ſepultum eſt.

Reliquit Victorinus poſt mortem magnum ſui poſteris deſiderium, dilabentibus paſſim diſcipulis amiſſo præceptore, marcentibuſque in dies præclaris ingeniis, quæ undique, propoſitis etiam præmiis, colligere ad doctrinam ſolebat. Quare non uni tantum civitati, quæ maximam jacturam, ſublato e medio tanto viro, paſſa eſt, ſed univerſæ Græciæ, atque Italiæ, quarum ejus domus commune receptaculum erat, mors hæc, quamvis in ſene, acerba, ac lamentabilis videri potuit, tanto publico accepto incommodo. Qui enim doctrina, eruditione, moribus, religione, fide, pietate, omni denique virtutis genere adoleſcentes cum ſingulari humanitate, integritate, gratia inſtituerent, ante Victorinum, neminem dicere non auſim, ſed pauci inventi ſunt. Quare qui non omnino humanitatis expers eſt, quique non ſaxeum, ſed humanum cor habet, ſuoque item, & aliorum movetur incommodo, Victorinum eruditionis, ac doctrinæ parentem, ingeniorum cultorem, morum domicilium, calamitoſorum patronum, pietatis, pudoris, conſtantiæ, ſeveritatis, ac fidei unicum receptaculum, virtutum, ac muſarum ſacellum, poſtremo ſæculi noſtri unicum præſidium, & ornamentum defleat, ac lugeat.

BAR-

BARTHOLOMÆI PLATINÆ
CUSTODIA DETENTI
EPISTOLÆ.

QUAS nunc primum epiſtolas in lucem emittimus, Platina ſcripſit anno 1468. quum in cuſtodiam iterum conjectus eſſet in arce S. Angeli juſſu Pauli II. Pont. Max. Infortunii ſui cauſam ipſe in his ſæpe commemorat; atque ut Pontificem ad clementiam, & miſericordiam flectat, ut Cardinalium opem imploret, ut ſocios ſpe libertatis recreet, omnem, qua maxime valebat, eloquentiam adhibet: ac denique ab amicis id vehementer petit, ſibi ut in tanta animi, & corporis ægritudine levamini eſſe velint. Arcis præfectus erat Rodericus Epiſcopus Calaguritanus, in quo elucebat ſingularis doctrina, ac prudentia cum ſumma humanitate conjuncta. Hunc fuiſſe Rodericum Sancium Hiſpanum notat Apoſtolus Zeno tom. 1, diſſert. Voſſian. pag. 255. hæc ſcribens: *Avvertirò, che il ſudetto Rodrigo non è altri, che Rodrigo Sancio di Arevalo nativo del caſtello di S. Maria di Niera dioceſi di Segovia, del quale parla diffuſamente Niccolò Antonio nel tomo II. della ſua biblioteca antica Spagnuola. Fu ſucceſſore nella caſtellania di S. Angelo a Vianiſio Albergati Bologneſe, della cui durezza cotanto ſi lagna il Platina nella ſua prima prigionìa.* Platina ad Rodericum quoque multas epiſtolas dedit, ab eoque accepit, ex quibus apparet, quo animo ille tantam calamitatem ferret, quibuſque officiis alter recreare eundem, & confirmare curaret. Codicem chart. in qua deſcriptæ ſæc. xv. ſervantur laudatæ epiſtolæ, nobis cl. Joannes Chriſtophorus Amadutius humaniſſime communicavit. Laborem vero, diligentiamque omiſimus nullam, ut ex eodem verba ipſa omnia exprimeremus. Aliqua tamen, quorum ſenſum aſſequi non potuimus, prælo, ut in codice leguntur, commiſimus. In altero recentiore MSS. bibliothecæ eruditiſſimi Præſulis Benedicti Paſſionei extant eædem Platinæ ad Rodericum, & hujus ad Platinam epiſtolæ, una ſuperaddita, quæ eſt poſtrema Roderici, ac præterea ſingulis appoſitis argumentis. Hæc omnia in hanc noſtram editionem contulimus.

PLA-

PLATINÆ CUSTODIA DETENTI

AD PAULUM II. PONT. MAX.

EPISTOLÆ.

I. *Mentiar profecto, Bme, ac clementiſſime Pater, ſi erraſſe nos diffitear; cum nemo ſine peccato inveniatur, adeo eſt ad delinquendum pronum humanum genus. Unum tamen poſſum affirmare, de me ipſo præſertim, quantum ad ſtultitiam, & ebrietatem Callimachi pertinet, negligentia potius, quam malitia peccatum eſſe; quod hominis non ſobrii verba neglexerim, quod ejus ſtoliditatem contempſerim, quod malus homo, & delator præſertim, haberi noluerim. Hujus meæ incuriæ, & negligentiæ pœnis admonitus, tibi polliceor, etiam ſi a prætervolantibus avibus aliquid, quod contra nomen, ſalutemque tuam ſit, audiero, id ſtatim literis, aut nunciis Sanctitati tuæ indicaturum. Nolo ego amplius ex aliorum ſtultitia pœnas ferre. Quod autem ſcholaſticam licentiam coercere, & emendare inſtitueris, Beatiſſime Pater, id ego mirum in modum approbo, cum proprium ſit optimi paſtoris ovile integrum a ſcabie, & a quovis morbo conſervare. Conſiderandum tamen eſt, qua ratione peccaverint, malitia ne, an ignorantia, ſedato animo, an perturbato.*

Ego, ut de me loquar, fatebor aperte, me, dum paupertate, inopia, atque omni genere miſeriæ circumventum viderem, cumque nulla ſpes melioris fortunæ ſubeſſet, de Deo, hominibuſque lamentatum eſſe: Id feciſſe & tunc pœnituit, & nunc dolet; & ſiquos ego paſſus ſum cruciatus, ſi quæ tormenta, id mihi ea cauſa accidiſſe puto, feroque quantum poſſum, æquiore animo, quod me, non Deum ipſum Optimum Maximum incuſare debueram. Ignoſcendum tamen eſt huic meæ perturbationi aliqua ex parte, Beatiſſime Pater, quod cum a teneris annis uſque ad hanc ætatem, calores, frigora, inedias, vigilias ſuſtinendo, legendo, docendo, ſcribendo vitam duxerim, ita mihi aſtra fuerint adverſa, ut neceſſariis ad victum, & veſtitum ferme ſemper indiguerim rebus. Pecuniarum ſtudioſus nunquam fui: gratis docui, quod doctrinam nequaquam venalem eſſe debere, ſemper putavi. Eadem inopia vexatos & pleroſque eorum, qui in eadem calamitate mecum ſunt, puto: cum ego mihi de victu meo defraudaverim, quod eorum miſerias leniret, non tolleret. Sed unum tibi, Beatiſſime Pater, de me, atque his polliceor; Deum, & ſanctos ſuper hac re teſtes facio, ſi nos libertati reddideris, ſi tua ſanctiſſima, ac liberaliſſima manu paupertatem noſtram aliquantulum levaveris (nolumus magnas divitias, paucis contenti ſumus) habiturum te fideliſſimos ſervos, & indefeſſos tuarum laudum præcones. Celebrabimus & proſa, & carmine Pauli nomen, & auream hanc ætatem, quam tuus feliciſſimus pontificatus efficit. Neceſſarii ſunt poetæ, & oratores

tores in rebus publicis, neceſſarii ſub principibus, ne præclarorum virorum res geſtæ, inopia ſcriptorum, intereant. Quis noſcet Chriſti, apoſtolorum, martyrum, imperatorum, regum, principum virtutis exempla, niſi in pretio eſſent habiti, qui ea ſcripſerunt? Docti ſunt, Beatiſſime Pater, qui mortuos tot ſæculis vivos, & immortales faciunt. Celebrem reddidit Achillem Homeri poema. Athenienſium, & Lacedæmoniorum res geſtas memoriæ hominum commendavere Herodotus, Thucydides, Polybius. Debet & multum Romanum, & Italicum nomen Ennio, Lucretio, Virgilio, Saluſtio, Livio, qui res cum virtute geſtas interire non ſunt paſſi. Unde quæſo tot hiſtorias novi, & veteris teſtamenti, tot vitas, & geſta Pontificum, niſi a crebra lectione eorum, qui antea ſcripſerunt, habes? Dices fortaſſe nos nequaquam cum antiquis auctoribus comparandos eſſe. Et nos id quidem ſcimus. Sed potes tu, ut Scipio quondam, & Cæſar, ut Auguſtus, ut Veſpaſianus, ut Titus, ut Trajanus, ut Antonini duo, doctos, & eruditos facere, noſtram hanc inopiam leniendo. Quod ut facias per Deum, cujus vicem merito in terris geris, te rogo, per clementiam tuam, & pietatem, quæ tibi non arte, ſed natura, non induſtria, ſed ingenio comparata eſt.

II. Excuſſit nobis lacrymas, B̃me Pater, adventus tuus ad ſanctum Petrum, excuſſit gemitus, quod beatitudinem tuam comitari, & applauſu proſequi, quemadmodum ſolebamus, non licuerit. Oh nos miſeros, oh nos infelices, quibus ob ſtultitiam unius portenti, tuo ſuaviſſimo, ac ſanctiſſimo conſpectu frui non licuit! Fateor nos in hac calamitate magnas moleſtias perpeſſos eſſe: ſed nulla certe hac major fuit, quam quod, toto comitante Cardinalium, ac cæterorum Antiſtitum cœtu, comitantibus omnibus aulicis, comitante populo Romano, ſoli mæſti, lacrymantes, atque aerem gemitibus, & ejulatibus replentes, tanta lætitia, & tam publico gaudio privati fuerimus. Non fuiſſemus certe indecori huic tuo inceſſui, immo vero triumpho per urbem, cum & applauſu, & voce cum aliis certantes, pietatis, & clementiæ tuæ incomparabilis Deum teſtem, atque homines faceremus. Deberes certe hac clementia uti, & hoc præſertim tempore, B̃me Pater, tum ad imitationem Salvatoris noſtri, qui per merita paſſionis Limbi clauſtra reſeravit, tum exemplo veterum pontificum, imperatorum, regum, ac principum, qui potiſſimum his ſanctiſſimis diebus benignitate in egenos, gratia in amicos, clementia in miſeros, humanitate in omnes ſunt uſi. Fauſtum hunc, & feliciſſimum diem, & de incolumitate tua, quæ noſtra certe eſt, ac totius Chriſtianiſmi, ſuſceptis votis expectatiſſimum, quo quidem & vitam, quæ certe in hac calamitate miſerrima eſt, & animum, qui variis ſollicitudinibus, & cruciatibus continuo angitur, ad ſanctiſſima genua tua, ac ſanctiſſimos pedes provoluti abs te acciperemus. Hanc noſtram expectationem ne fruſtretur tua Beatitudo per merita paſſionis Salvatoris noſtri, cujus vicem in terris geris, per labores Petri, in cujus cathedra merito ſedes, per huma-

humaniſſimam, & clementiſſimam naturam tuam, quæ ab omni ſævitia, & crudelitate remota eſt, flentes, ac lacrymantes rogamus, & obſecramus. Vale.

III. *B͠me ac clementiſſime Pater. Multorum principum tum ſecularium, tum eccleſiaſticorum præclaræ virtutes in hiſtoria ſcribuntur. Verum nulla major his, qui in pretio ſunt, quique creberrime leguntur, laus tribuitur, & gloria, quam quod pietate, & clementia ſint uſi, quæ virtutes prope divinæ habentur. Hinc David, Salomonem, Ezechiam, Joam veteris teſtamenti hiſtoria celebrat. Hinc Cajum Cæſarem, qui omnes victorias una clementia ſuperaſſe dicitur, hiſtoria Romana maxime extollit. Omitto Titum, Veſpaſianum, Trajanum, duos Antoninos, Pium ſcilicet, & Philoſophum, Alexandrum Mammeæ filium, qui clementia, & pietate celeberrimi adhuc habentur. Neque certe quicquam ex eorum hiſtoria libentius uſurpamus, quam quod pie, ac clementer eſt factum. Non negaverim ego puniendos eſſe delinquentes: dixerim tamen eos conſervare ſatius eſſe, ſi ad ſanitatem deduci poſſint. Sanabilia ſunt ingenia noſtra, B͠me Pater, ſi oleo clementiæ tuæ fuerint aliquantulum delinita, non omnino caſtigata, a quo, & nobis nil deprecantibus, tua benigniſſima natura te retrahit. Erravimus fateor, quod non unius hominis ſtolidi, & ebrii, quem contemnebamus, quem pro ludibrio habebamus, ſtultitiam reteximus. Non eſt factum hoc malitia, & fraude, ſed ne delatores, & maledici haberemur, eum accuſando, qui poſt vinum, & crapulam reges trucidabat, principatus, & dominationes pro arbitrio largiebatur. Hoc meum erratum, vel ſi quod aliud eſt, B͠me Pater, non deſpero me deprecaturum, cognita clementia tua: cum hac tamen ſatiſfactione, ſi unquam audieris Platinam vitam cum hujuſcemodi viris ducere, poſthabita clementia tua, omni ſeveritate deinceps in me utare. Sequar in tantum honeſtiſſima mandata ſanctitatis tuæ, quibus me impellis, ut relicta poeſi, & arte oratoria, me totum ad ſacram paginam transferam, in qua tanquam in uberrimo, & florido prato flores corpori, & animo ſaluberrimos colligam. Gaudebis tum denique, B͠me Pater, quod arborem infecundam, & prope ſterilem, frugiferam reddideris; quod eum conſervaveris, qui laudes religionis chriſtianæ, qui res ſub tuo feliciſſimo pontificatu geſtas ſcripſerit. Hoc enim ſæpius mente cogitavi, nec quicquam mihi aliud defuit, quam monitor, & impulſor. Ignoſce igitur mihi, clementiſſime Pater; ignoſce & iis, qui in hoc errore mecum fuerunt, quique licentia ſcholaſtica, & libertate, quæ in ſtudiis univerſalibus amplior eſſe conſuevit, ſunt uſi. Non eſt a nobis in quempiam conſpiratum, nullam opinionem ſeorſim a tua habuimus,* (nonnulla deſunt) *tum corporis in te uno repoſitam eſſe. Unum hoc tibi polliceor, B͠me Pater, habiturum te hos omnes præcones, qui non in urbe modo, verum in tota Italia, ac ultra alpes ſanctiſſimæ clementiæ tuæ nomen extollant. Vale in æternum felix, & nos, qui junctis manibus, & flexis genibus miſericordiam tuam expectamus, bene ſperare jube.*

PLA-

PLATINÆ EPISTOLA AD REVERENDISSIMUM CARDINALEM NICÆNUM (BESSARIONEM)

SI tuo fideliſſimo conſilio obtemperaſſem, Rm̃e, ac doctiſſime Pater; non eſſem, ſat ſcio, tanta calamitate circumventus: me enim adhortabaris, ſi diſcedere ab urbe inſtituiſſem, propoſito non contemnendo præmio, ut cl. atque optimi principis Urbinatum comitis obſequio me addicerem. Non contempſi ego tantam conditionem, & a tanto viro mihi propoſitam, cui certe, tua præſertim gratia, mallem, poſthabita omni mercede, ſervire, quam cuivis Italorum principum. Neminem profecto adhuc novi, pace aliorum loquar, qui nobilitate animi, eruditione, humanitate, rei militaris ſcientia, juſtitia, comitate, poſſit cum hoc principe comparari. Quare fit, ut meam vicem mirum in modum doleam, quod oblatam occaſionem non mediocris fortunæ parum ſapienter omiſerim. Sed quis arbitratus fuiſſet unius Callimachi ebrietatem, & ſtultitiam, quem contemnebamus, quem pro ludibrio habebamus, tantam nobis, & tam indignam calamitatem, non dico ſtruere, ſed vel excogitare ſaltem poſſe? Oh nos miſeros! oh nos infelices! qui alienæ ſtultitiæ, & temeritatis pœnas luimus. Vagatur liber quoquo vult poſt vinum, & epulas, ille regnorum, ac divitiarum impudentiſſimus largitor. Nos vero, qui tantum imprudentia peccavimus, qui hominis ſtolidi ſomnia non deteximus, poſt cruciatus, & tormenta, in hoc infeliciſſimo carcere detinemur.

Non negaverim ego juſtum fuiſſe Pontificis dolorem, juſtam in tanta re præſertim, quæſtionem. Sed deberet, re deprehenſa, & cognita, nos tandem, qui clementiæ ipſius futuri ſumus ſimulacra, & imagines, a tanta miſeria liberare; his præſertim diebus, quibus Salvator noſter clementiæ, pietatis, miſericordiæ, & aliarum virtutum exempla ſanctiſſima illa, ac ſaluberrima ſua paſſione in terris ad ſalutem humani generis reliquit. Multa ſunt, quæ principem decent, maxime vero Pontificem: ſed nulla virtus eſt, quæ magis tantæ potentiæ conveniat poſt religionem, quam clementia, & miſericordia. Ob hanc conſervati, ſi non omnino inſanabiles ſunt, meliores deinceps fiunt. Sanabilia profecto ſunt ingenia noſtra, & ſi quid licentia ſcholaſtica, quæ in ſtudiis univerſalibus ob diſceptationes major eſſe conſuevit, admiſimus, hac adhibita caſtigatione, ita conſtanter emendamus, ut oves, quas perditas eſſe Dominus arbitrabatur, inventas tamen ſua diligentia lætetur, & gaudeat.

Te igitur Rm̃e, ac optime pater, quem ſemper ob dignitatem, & ſingularem doctrinam cum admiratione laudamus, quemque unicum literaturæ, & eruditionis tum græcæ, tum latinæ columen ducimus, ſupplicitur rogamus, manus ad te, tanquam ad ſaluberrimum ſidus tendentes, ut tu omnium doctiſſimus, nos eruditionis ſtudioſos, & cupidos, a tanta calamitate tuo patrocinio, tua auctoritate, & gratia, quæ maxima apud Pontificem eſt, ab hac captivitate vindices, ac liberes. Habituros nos es ob hoc non modo gratos, & memores tanti officii, tan-

tæ clementiæ, ſed proſa, & carmine ampliſſimarum laudum tuarum conſtantes, ac indefeſſos præcones.

PLATINÆ EPISTOLA AD REVERENDISSIMUM CARDINALEM VICENTINUM (MARCUM BARBUM PAULI II. NEPOTEM

SI ulla res eſt, Rm̃e pater, ac domine, quæ famam, & laudem præclaris viris pariat, ea unica eſt opera, qua calamitoſos conſolamur, & in vita retinemus, adhibita aliqua ſpe & miſericordiæ, & clementiæ. Magnus es apud Paulum Pontificem: magna tibi pro tua ſingulari ſapientia, & integritate animi, fides adhibetur: potes, & debes, quoniam natura pius es, & bonus, calamitoſos juvare, & deſperatos in bonam ſpem reducere. Dedit hæc pietas magnum nomen Joſeph, Abdemelech, & Iſaiæ, ut apud veterem Scripturam legimus: dedit & Ciceroni, Mæcenati, & Senecæ, qui bonorum virorum nomen, principibus ſuadendo clementiam, magno cum labore conſequuti ſunt. Facilior erit tibi hæc deprecatio, quia non exorandus eſt Pharao, non Rex Juda, non Manaſſes, non Cæſar, non Auguſtus, non Nero, ſed Paulus Pontifex, qui omnium, qui noſtra ætate fuerunt, clementiſſimus eſt habitus. Conſentire enim in mortem hominis ejus clementiſſimus animus nullo modo ſuſtinet. Multos habet in carcere, & vinculis ob varia errata, quos conſervat, quos in vita retinet; adeo eſt ab effundendo ſanguine humano alienus. Nullam fœditatem ſupplicii, nullum inexcogitatum genus tormenti vidimus, ſub pontificatu Pauli, cuipiam irrogatum: & quamquam ſit ita clemens, ita pronus ad ignoſcendum delinquentibus, pauciora tamen, quam antea, flagitia committi videmus. Non craſſatur in viatorem latro, non in quempiam ſicarius, non fur, non depeculator, non ſacrilegus. Tuta ſunt omnia ſub Paulo, & in propatulo poſita, non indigent cuſtodia, non clauſtris, non latratu canum, ita ut merito hæc noſtra ætas aureæ illi, quam celebrant Poetæ, poſſit comparari. Retinere homines in officio ſine magnis ſuppliciis, & ſanguine, divinum prope potius eſt, quam humanum: & talis clementia natura magis, quam arte, comparatur, cum nihil in ſe habeat ficti, nihil ſimulati.

Tu itaque Rm̃e Pater, quando quod rogo non eſt alienum ab optima natura tua, a SSm̃o Dño ñro obtine, ut nobis, qui partim noſtra negligentia, partim ſtultitia alterius incidimus, non venimus, in hunc errorem, noſtriſque precibus, & lacrymis motus ignoſcat. Hoc, ut facias, per Deum te rogamus, & obſecramus, per humaniſſimam naturam tuam, per illam amicitiam, quæ eſt tibi cum optimo viro Omnibono Leoniceno præceptore meo, qui & ſi abſens eſt, hoc idem, ut facias, te cum multis lacrymis, & precibus orat. Unum tibi per Deum polliceor, ſi tua opera, ut ſpero, & clementia SS. D. N. tantam calamitatem evaſero, me daturum, operam, ut moribus, & ſtudiis vitam probabiliorem ducam, transferendo me a poetica ad ſacram paginam quando ita placere SSm̃o Dño ñro intellexi.

PLA-

PLATINÆ EPISTOLA AD REVERENDISSIMUM VICECANCELLARIUM (RODERICUM BORGIAM deinde ALEX. VI. P. M.)

NIL eſt quod calamitoſos, & miſeros æque delectet, quam cum intelligunt ſe multorum, & maxime potentum, & præſtantiſſimorum opera juvari. Hoc eſt, in quo Cicero potiſſimum gloriatur, quod ab exilio, ſuffragio populi R., auctoritate Senatus, principum gratia, & patrocinio glorioſius revocatus fuerat, quam antea turpiter expulſus. Non deſunt certe, qui ſaluti, & libertati meæ faveant, quique ſint mea cauſa fortunas, fidem, & quod in bonis eſſe arbitramur, ſi opus fuerit, expoſituri. Verum cum mihi inter tot adminicula amplitudinem auctoritatis, & excellentiæ tuæ deeſſe video, fit, ut more nautarum ſine gubernatore in undis periclitantium, de libertate mea deſperem. Multa profecto in vita ſunt, unde laus integra comparari poteſt; utpote ex religione, re militari, doctrina, eruditione, magnificentia, liberalitate, modeſtia, prudentia, æquabilitate in omni fortuna. Sed ea certe non minor laus ducenda eſt, quam ſibi comparant, qui miſeros, & calamitoſos opera, & patrocinio ſuo ab interitu, & captivitate vindicant. Quid enim aliud hoc eſt, quam aut hominem ad imitationem Salvatoris monendo, & conſolando in vita retinere, aut eundem pene mortuum ab inferis revocare? Hanc gloriam non contemnentes Joſeph, Abdemelech, Iſaias, ut in teſtamento veteri legitur, Pharaonem, Judam, Manaſſem a ſævitia, quam deteſtabantur, ad clementiam, & ad pietatem continuo revocabant. Idem feciſſe Ciceronem apud Cæſarem, Mæcenatem apud Auguſtum, Senecam apud Neronem Romana narrat hiſtoria. Horum exemplum Rm̃e, ac doctiſſime pater, ut imiteris, & honeſtas cauſæ, quæ plus ſuſpicionis, ut vides, in ſe habuit, quam criminis, te adhortatur, & impellit; & quod tibi pro infortunato, infelici, calamitoſo ſervulo tuo Platina exorandus eſt Paulus, omnium pontificum, qui ætate noſtra fuere, clementiſſimus. Hoc ut facias, & opportune cum Rm̃o Dño meo per Deum te rogo, per humaniſſimam, & clementiſſimam naturam tuam, per illam amicitiam, quæ eſt mihi cum familia tua, maxime vero cum Valliſcara viro optimo, & tui ſervo fideliſſimo. Vale.

PLATINÆ EPISTOLA AD REVERENDISSIMUM D. F. CARDINALEM MANTUANUM (FRANCISCUM GONZAGAM)

SAtisfactum jam tandem arbitror, & voluntati SSm̃i Dñi ñri, & honori tuo Rm̃e pater, ac domine: proinde rogare te, & obſecrare tunc demum audeo, ut noſtrum ſis memor, ne vitam in hac miſeria cum morte permutemus. Cruciamur doloribus corporis, angimur animo, neque lacrymis, & gemitibus noſtris modus ullus ineſt. Injiceremus certe nobis manum (*), & vitam iſtam calomitoſam ferro, aut alia vi abrumperemus,

(*) Exaggerati doloris ſenſus homine Chriſtiano indignus

mus, niſi & nos clementia SS. D. N., & tuum patrocinium, tua benigniſſima natura aliqua ex parte conſolaretur. Ad te enim, ut nautæ periclitantes, tanquam ad ſaluberrimum ſidus oculos flectimus, te intuemur ſupplices, in te ſperamus, in te confidimus, in te poſtremo & ſalutis, & libertatis noſtræ ſpes omnis repoſita eſt. A te ſi deſtituti fuerimus, errabimus, ut navicula ſine gubernatore, tum ſcio adeo natura humanus es, & pius (deſunt nonnulla) *ubi nos tuos fideliſſimos ſervos tuos periiſſe cognoveris. Age ergo Rm̃e pater, & dum adhuc aliquid ſpiritus nobis eſt, dum non omnino interiimus, nos miſeros, & calamitoſos, nos omnium infortunatiſſimos, nos qui & aliorum ſtultitiæ pœnas luimus, a tam indigna calamitate tandem libera. Ego niſi hinc tua opera fuero liberatus, ac balnea ſtatim petiero, ſcio me dexterum brachium ammiſſurum. Hac enim parte corporis magis magiſque quotidie debilitor. Oh me miſerum, oh me infelicem, ſi mancus ero, & debilis! Nullum tum mihi deſiderium vivendi remanebit. Malo enim mori, quam manu dextera carere. Poteris ne pati Rm̃e pater, & dñe hanc meam dexteram, quæ te, quæ familiam tuam, quæ patriam, quoad fieri potuit, honeſtavit, extulit, ac poſteritati commendavit, facturaque id deinceps eſt, exſiccari, & extingui? Non facies ſat ſcio. Novi enim humanitatem tuam, novi pietatem, novi miſericordiam, cui me, & hos, qui mecum in hac calamitate ſunt, humillime commendo.*

PLATINÆ EPISTOLA AD REVERENDISSIMUM D. CARDINALEM PAPIENSEM (JAC. PICCOLOMINEUM AMANNATUM)

Calamitoſis, & noxis hæc deſperatio injecta eſt, ut deſeri ſe, ac contemni ab omnibus arbitrentur, qui ſtare amicos ex vultu fortunæ, eoſdemque fugere creberrimis exemplis optime norunt. De te vero Rm̃e pater, ac domine, & ſi paucis admodum ſalutem meam hactenus caram fuiſſe deprehendi, nil unquam tale ſuſpicatus ſum: quippe qui optime norim, quod officioſus in omnes ſemper fueris, maxime vero in Platinam ſervum, & clientulum tuum, tubam, & præconem ampliſſimarum laudum tuarum. Tu me, vivente Pio, in clientelam tuam recepiſti. Tua gratia ab homine ſanctiſſimo eas fortunas ſum nactus, quibus honeſte, ac liberaliter tranſigi vita mea poſſet. Per te deinde, ſi quid mihi ab aliquo magno viro ſuit contendendum, impetravi. Non ſum tuorum erga me meritorum immemor; neque id quidem te, qui ingenium meum noſti apertum, & liberum, non ſimulatum, & fictum, ſuſpicari arbitror. Magna nimirum hæc ſunt, quæ tua beneficentia, & humanitate ſum conſecutus. Majus erit, ſi tuo patrocinio, tua ſuaviſſima, ac prope divina eloquentia liberatus a tanta calamitate, & ea quidem indigna, tanto pædore, ſitu, & ſqualore fuero. Arbitror jam factum his ſatis periculum innocentiæ meæ: ſatis ſuperque ob ſtultitiam, & ebrietatem Callimachi pœnas luimus. Hoc voluit ſceleratus ille cæculus: hoc jamdiu comminatus

tus eſt, ut me, cui non diſſimulanter infenſus erat, quod ejus flagitioſam vitam contemnebam, omnino perderet. Hæc ſunt præmia meorum erga ſe meritorum, quod hominem in numerum familiarium Rm̃us Dñus Ravennas meis precibus recepit, quod eum ſæpius pecunia juverim, quod ei meis commendationibus tua patuerit gratia, & benevolentia. Purgato hoc crimine, irreligionem mihi obiiciebant: quam notam ſatis abſterſam arbitror, cum probare poſſim me, poſtea quam decimum, & octavum annum attigi, confeſſionem, & communionem remiſiſſe nunquam. Rei divinæ, quoad fieri potuit, diebus feſtis interfui. Mandata Dei, quantum per imbecillitatem humanam mihi licuit, cuſtodivi, & obſervavi. Ex articulis fidei nullum depravavi, aut inverti. Hoc qui facit, quique vitam in labore, & vigiliis doctrinæ, & virtutis cauſa ducit, non eſſet, ut arbitror, cruciatibus, & ignominia lacerandus. Age ergo Rm̃e, ac officioſiſſime domine, & Platinam tuum, qui ad te, ut ad ſalutare ſidus continuo reſpicit, SSm̃o dño ñro opportune commenda. Inſta, ora, obſecra, ut ea clementia, qua celebris maxime habetur, erga me miſerum, & infelicem tandem utatur. Non erit alienum a re mea, ſi me Rm̃o dño Vincentino, & dño Archiepiſcopo Spalatrenſi commendaveris. Vale.

PLATINA LUCIDO (FATINO) *S. P. D.*

EXcuſſere mihi lacrymas partim dolore, partim gaudio literæ tuæ: Dolore, quod dum recentia, & nondum obducta vulnera attrectas, quæ paſſi ſumus non noſtra malitia, ſed aliena ſtultitia, commemorando, gemitus meos renovaſti. Oh me miſerum, oh me infelicem! qui quod jamdiu prævideram, & prædixeram, vitare nequiverim. Incidi in hanc calamitatem Ciceronis *auctoritate deceptus, qui admonet, diſſuendas, & non ſcindendas amicitias eſſe. Nolebam videri moroſus, difficilis, aut levis; quod mihi contigiſſet, ſi eum, quem amare cœperam, contempſiſſem. Ferebam ejus ſtultitiam, tolerabam ineptias, ut noſti eo die, quo Pontifex Capitolium* (deſunt nonnulla) *ejus perfidiam culpaverim, ut paululum a rixa abfuerit. Admonui te ſæpe Lucide, admonui Campanum, admonui Bernardum, hujus nebulonis conſuetudinem fugiendam eſſe. Sed evitare, ut video, imminens cervicibus noſtris fatum non potuimus. Hoc certe voluit Deus, ut quamvis in hoc non deliquimus, alicujus tamen noſtri errati pœnas hac ratione lueremus. Ferendum eſt æquo animo, & ut ſcribis, multarum urbium everſiones, multorum clariſſimorum virorum captivitates, & interitus commemorando, quantilla nobis videri debet hæc calamitas, & eo magis, quod clementiſſimum Pontificem habemus, & ſub cuſtodia humaniſſimi, ac doctiſſimi Rhoderici præſulis Calaguritani ſumus. Gaviſus ſum præterea non parum, mi Lucide, quod tu, qui adoleſcens es, cuique fortunæ ictus graviores, ob tenellam ætatem, videri debuerant, ita conſtanti animo hanc calamitatem feras, ut me conſolari ſis auſus. Facis tu, ut ingenuum adoleſcentem de-*

decet, & ego exemplo tuo motus, has moleſtias, quoad potero, fortiter, & conſtanter feram. Vale, & ad me remitte epiſtolas illas, quas habes, ut tua una cum his, quas Reverendus, ac doctiſſimus Rodericus ad me, teque miſit, redigi in volumen per ordinem poſſint. Hac exercitatione, mi Lucide, & leviorem nobis reddemus moleſtiam carceris, & fortaſſe aliquid excudemus, quod eos juvet, quos hæc calamitas manet.

PLATINA POMPONIO INFORTUNATO S.

AD meliorem fortunam deprecatione, Pomponi, hoc tempore, non aculeis utendum eſt. Lenire oportet Pontificis mentem, unius hominis non ſobrii ſtultitia in nos concitatam. Juſtus fuit Pontificis dolor; honeſta tanta ſuſpicione queſtio. Proinde & nos ferre æquo animo debemus, ſi ſaluti ſuæ, ſi chriſtianæ religioni cavit. Contemnere rumores de tanta re non eſt conſilium, ne malis detur cauſa ad delinquendum. Laudato deinceps, cum id merito fiat, clementiam Pontificis, qui omnino ab omni crudelitate, & ſævitia alienus eſt. Laudato Reverendum, ac doctiſſimum Patrem Rodericum hujus arcis præſidem, qui & bonis, & doctis favet. Hoc ſi feceris, & Chriſtum Salvatorem noſtrum ante oculos habueris, fortunæ ictus facillime tolerabis. Vale.

PLATINA JACOBO TOLOMEO S.P.D.

EST hoc natura, & inſtituto compertum, mi Tolomee, ut facilius aliorum errata cognoſcamus, quam noſtra, faciliuſque alios in calamitatibus conſolemur, quam noſmetipſos: quippe cum hoc officium quietæ tantum, non & perturbatæ menti conveniat. Spuere dulce, qui os amarum habet, vetere proverbio nequaquam poterit. Alternis igitur vicibus, quando minus ſævit fortuna, hac ratione diluamus perturbationes noſtras neceſſe eſt. Hodie me aggreditur deſperatio quædam & ſalutis, & libertatis: idem cras accidet alteri. Solemur igitur noſmetipſos, & pro ſalute animi ſævienti fortunæ ſcutum obiiciamus. Fortem me eſſe in calamitate, & conſtantem non auſim affirmare. Ex his tamen non ſum, qui omni ſpe libertatis depoſita, perpetuo ſe mærori, ac luctui tradunt: maxime vero cum Pauli Pont. Max. clementia, & Roderici Epiſcopi Calaguritani pietas, tamquam ſaluberrima ſidera, ſe ſe mihi offerant. Nec eſt cur mihi obiicias impatientiam; cum & ratio, & tempus leviora plerumque faciant, quæ intolerabilia putantur. Vulnus ſi lethale non eſt, recens adhuc magis hominem cruciat, quam cum leniri, & in cicatricem duci medelis, & unguentis eſt cæptum. Moveri homines exemplis viventium magis, quam mortuorum, ego nullo modo diffitear: cum tua patientia, atque animi fortitudo plus mihi pene ad conſtantiam profuerit, quam omnium exempla, qui aliquid in vita, ut apud hiſtoricos legimus, forti

forti animo perpeſſi ſunt. Non eſt tamen rejicienda hiſtoria, ex qua tanquam ex florido prato, colligi flores ad ſalubritatem, & voluptatem poſſunt. Nam ſi viventium exempla quæram, in unaquaque ætate habentur, nec nobis deſunt: illinc tamen ex promptuaria cella, quod animos noſtros variis ægritudinibus perturbatos recreet, ſumere ad utilitatem noſtram licet. Catoni viro fortiſſimo nolim impatientiam obiicias; cur omnium patientiſſimus in ferendis laboribus, toleranda ſiti, & fame pro utilitate, & amplitudine Reipublicæ Romanæ ſit habitus. Verum cum poſtea occupatam eandem a C. Cæſare vidiſſet, Stoicorum opinionem imitatus, maluit fortiter mori, quam & interitum Reip., & vultum victoris aſpicere. Servilis enim eſt, & non fortis viri proprium, tyranni jugum patienter ferre. Eadem ratio movit & Saguntinos, ac reliquos, quos tu in epiſtola commemoras, cum mori honeſtius, quam barbaris, aut tyrannis ſervire putarent. Quod comes noſter, ut ex te intellexi, ita hanc calamitatem æquo animo ferat, ut ejus conſtantia requirit, vehementer gaudeo, lætorque, tum quia nos ad patientiam meliores facit, tum vel maxime, quia hæc virtus, & ejus ſaluti in vita ſit profutura, & poſt mortem magnum, ac celeberrimum nomen poſteris relictura cum frequenti commemoratione tantæ fortitudinis & conſtantiæ. Vale.

PLATINA JOANNI CAPPOCIO (*) *S. P. D.*

NOli exiſtimare vel precibus, vel aliorum gratia me compulſum eſſe epiſtolam hanc ad te ſcribere. Movit me certe officium, movit ratio, movit charitas, qua, Deo ipſo jubente, potiſſimum impellimur amicorum utilitatem, & ſalutem, ut noſtram, procurare. Neque enim, ut ait Cicero, nobis tantum nati ſumus, ſed ortus noſtri partem patria vindicat, partem amici. Non erit ergo ab inſtituto boni viri alienum, ſi quid ad utilitatem tuam ſcripſero, quem certe ut patrem obſervavi, & ut optimum amicum ſemper dilexi. Omitto familiaritatem, & conſuetudinem, quæ mihi cum filiis tuis fuit, & erit, dum in vita remanebimus. Hac tantummodo impelli quivis ſegnis, & tardus ad ſalutem tuam deberet, quæ ſola certe, dum hæc ſcribo, mihi ante oculos propoſita eſt. Video enim hanc contentionem, quæ tibi cum adverſario eſt, magnum familiæ tuæ detrimentum allaturam: quippe cum filii tui per Italiam vagantes, parentes jam grandes natu, uxores, liberos, rem familiarem poſtremo, tanquam a patria extorres, relinquant (deſunt nonnulla) *habearis in pretio, ut eras in honore apud cives tuos ante hunc caſum. Nec immerito quidem, cum prudentia, quæ in te ſingularis habetur, auctoritate, qua vales plurimum, familia, quæ contemnenda non eſt, facultatibus non exiguis, multitudine cognatorum, affinium, amicorum, qui-*

(*) Is ob eamdem cauſam ſimul cum Platina in cuſtodiam conjectus fuerat. Angelus quoque Bufalus in ea arce detinebatur ob interfectum a Marcello ejus filio Franciſcum Cappocium.

quibus in rebus nemini profecto civium tuorum cedebas, inſignis habebare. Nunc vero, poſteaquam hoc caſu afflictatus es, & auctoritas tua, ſi non omnino proſtrata, læſa tamen aliqua ex parte putatur, & familia, ut ante dixi, disjecta, & facultates diminutæ, quibus malis fit, ut neque amici, neque cognati, neque affines, quorum magna pars ex fortuna pendet, non ita conſtantes ad tuendam dignitatem tuam futuri ſint: maxime vero cum nunc poſtremo te ad hanc moleſtiam carceris redactum vident, qui certe ſupremus eſt miſeriarum tuarum cumulus.

His tot malis, ac tantis incommodis, nondum etiam inveteratis, mederi tu prudentia, & ratione non incommode poteris, ſi Dei Salvatoris noſtri exemplum ante oculos habueris, cujus ſanctiſſimam, & saluberrimam paſſionem his diebus celebramus. Is enim, & ſi filius Dei erat, in quo nil niſi ſanctum, ac omni ex parte optimum ineſſe poterat, tamen inimicis ſuis parcere, ac pro eiſdem orare non deſiit, tibi, atque omnibus fidelibus perſuadens, atque imperans, ut poſthabita injuria, poſthabita omni contumelia, inimicis tuis parceres. Idem fecere martyres omnes: idem quoque a nobis faciendum eſt, ne aberrare a veſtigiis Dei, & ſanctorum videamur. Magnus eſt habitus C. Cæſar, qui totum fere orbem terrarum ſuo ſubjecerit imperio: ſed una clementia, qua inimicis omnibus, quos perdere facillime poterat, conſtantiſſime pepercit, ſuas, atque omnium victorias ſuperaſſe dicitur. Sunt qui fortis, & conſtantis animi arbitrentur, inimicos extremo odio perſequi. At ego hos multorum philoſophorum auctoritate, & ipſa ratione motus, non modo non fortes putarim, ſed omnium timidiſſimos dixerim, cum primum timidæ, & imbecillis muliercula ſit nunquam ignoſcere. Nil timet vir fortis, qui virtute, & conſtantia, non gladio, & jaculo ad infringendos inimicorum animos utitur. Satis adhuc dedere pœnas ii, a quibus injuria tibi illata eſt. Nil prætermiſit Paulus Pont. Max. omnium, qui jamdiu in hoc pontificatu fuere, juſtiſſimus, quod ad ſatisfactionem injuriæ tibi illatæ pertineret. Exilio multavit nocentes; patrem eorum, & amicos quoſdam in carcere tot jam menſibus detentos, cruciatibus ad extorquendam veritatem affecit. Quid requiras amplius in hac re certo non video; cum notum ſit omnibus, a Pontifice nihil prætermiſſum eſſe, quod ad tuendam dignitatem tuam pertineat.

Age ergo prudentiſſime vir, & ad exemplum Chriſti, ad imitationem martyrum, illi miſeræ familiæ, huic ſeni, qui mecum in eadem calamitate eſt, pacem redde: quo quidem facto, & magnam apud SSmum D. N. gratiam inibis, & familiam tuam mæſtam, ac disjectam, fortunas quoque diſſipatas in unum congregabis, & colliges. Hoc ut facias non ſolum tibi perſuadet ratio, perſuadet Rdũs, atque optimus pater Rodericus Calaguritanus Epiſcopus, perſuadent amici, ſed ipſa libertas & utilitas, quæ te, ut arbitror, continuo admonent, ut & Pontifici, & aliis bene te admonentibus, hac in re præſertim, obtemperes. Vale.

PLA-

PLATINA FRANCISCO AVERSO COMITI

S. P. D.

OPtime tecum, & cum his, qui aliqud calamitate vexantur, nobiliſſime Franciſce, eſt actum, quod ſi quid incommodi in vita, quæ multis malis circumveniri ſolet, conſtanti, & forti animo paſſus es, id in obſcuro eſſe nequaquam Deus patitur. Refertum eſt novum, & vetus teſtamentum, referta eſt græcæ, ac latinæ linguæ hiſtoria eorum exemplis, qui graviſſimos fortunæ ictus eodem vultu ſemper tulerunt. Celebrem, ac ſanctum fecit patientia Job. Laudantur ſancti Patres, commendantur Apoſtoli, commendantur Martyres, quod ad exemplum Salvatoris noſtri captivitatem, vincula, tormenta, cruciatus, famem, ſitim, ac denique quodvis etiam acerbiſſimum genus mortis ſubire non horruerint. In pretio etiam ſunt ob conſtantiam, & fortitudinem Mutius Scevola, Camillus, Regulus, major Africanus, Paulus Æmilius, & ne de noſtris tantum loquar, Miltiades, Cimon, Pericles, Thraſibulus, qui ſi nulla acerbitate fortunæ vexati fuiſſent, hodie fortaſſe non adeo in pretio haberentur. Poſſum commemorare multorum affluentes opes, & divitias, multorum fortunatam vitam, atque extra fortunæ tela omnino poſitam, quorum laus una cum corpore, & fortunis extincta eſt. Laudantur, non qui in deliciis, & voluptatum illecebris intemperantem vitam duxere, ſed qui fortitudine, & virtute, ut ſcuto uſi, ſuorum interitum, ammiſſam dominationem, ammiſſa bona tanti fecerunt, quanti maxime fieri debent, quæ non naturæ, ſed fortunæ ſunt. Duos habes fratres, & in re quidem militari non contemnendos. Quid ſi tuum apud poſteros futurum ſit nomen, quam eorum, illuſtrius? Modo hanc captivitatem, ut virum fortem decet, patienter feras. Adducent te in exemplum poſteri, ſi quid cuipiam incommodo accidet, in tali re præſertim. Senſiſti vivens hanc gloriam, cum nos omnes, qui in eadem calamitate ſumus, tuam admirantes patientiam, noſtra mala leviora fecerimus. Noli quæſo, nobiliſſime Franciſce, ita te abiicere, ac proſternere uno, & eo quidem parvo incommodo accepto, ut eam laudem, quam tibi triennio cum virtute comparaſti, minima animi conſternatione, tanquam ſordida quadam macula inficias. Erit præterea facilior hæc via, quam deſperatio, ad ineundam gratiam Pauli Pont. Max., atque omnium, qui jamdiu in hoc pontificatu fuere, clementiſſimi: qui ſi te confidere in ejus miſericordia cognoverit, fortaſſe e ſententia dimovebitur, Roderico patre doctiſſimo, atque optimo, hujus arcis fidiſſimo Præſide ſalutem, & libertatem tuam, ut omnium calamitoſorum conſuevit, procurante. Vale, & ſi me amas, rejecta animi ægritudine, valetudinem tuam cura diligenter.

PLATINA PETRO MAUROCENO
(Orat. Ven. apud S. Sedem) *S. P. D.*

Contemnendi non ſunt novi amici , novi clientes , magnifice , & ſapientiſſime Orator , modo digni ſint , qui in tuam clientelam , & amicitiam recipiantur . Quamquam vero eos ego veteres amicos crediderim , qui te ob virtutem , & ſapientiam , antequam viderint , amare , atque obſervare cœperint . Magnum erat apud nos ante adventum ad Urbem Petri Mauroceni nomen , magna de integritate , & ſingulari ſapientia tua opinio , quam quidem tu humanitate , officio , pietate , gratia erga omnes ita auxiſti , ut nunc demum omnium judicio optimus , ac ſapientiſſimus habeare . Hoc tantum nomen , quo & te , & potentiſſimam , ac nobiliſſimam patriam tuam celeberrimam reddis , me , ac omnes fere , qui te norunt , ut amicitiam , & patrocinium tuum requirerem , maxime impulit . Cum igitur hac ratione veteres tui clientes , & amici ſimus , eſto & tu nobis optimus patronus , ac noſtræ libertatis curator . Noſti calamitatis noſtræ cauſam , in quam certe non venimus noſtra malitia , ſed unius hominis ebrii , & flagitioſi ſtultitia , & petulantia . Multa incommoda ob hanc rem paſſi ſumus , & ſi quid noſtra negligentia , & iniuria eſt admiſſum , ejus nos pœnas adhuc luimus . Non derelinquit nos tamen Deus , quos certe ob alia forſitan errata non in tyranni , ſed in clementiſſimi , atque optimi Pontificis manus devenire voluit , qui nos non perderet , ſed conſervaret , non deleret e libro viventium , ſed caſtigatos ob licentiam quamdam ſcholaſticam , ad ſanitatem , ac deinceps in viam ſalutis reduceret . Sume igitur patrocinium noſtrum tu , optime ac ſapientiſſime , quando quidem vides Pontificem meliori vultu nos intueri , ac prope tibi innuere , ut libertatis noſtræ curam ſuſcipias : & precibus , atque obſecrationibus inſta , ut his ſacris diebus ad faciendam miſericordiam a Deo inſtitutis , ſupplices manus tendentes , nos libertatis noſtræ ſua clementia , & pietate compotes faciat . Hoc ſi a te , ut ſperamus , ut confidimus , impetramus , faciemus profecto , ut tui patrocinii erga nos te nunquam pœniteat . Vale .

PLATINA VALISCARÆ S.P.D

Noſti in quam calamitatem ſim deductus unius homunculi ebrietate , & ſtultitia : quem quidem , ob ejus petulantiam , & ſtoliditatem , odio habere prius cœpi , quam amare . Annus eſt , ex quo inter me , & portentum illud ſimultas eſt orta . Revocabam me a conſuetudine ejus , quoad fieri poterat . Sed nil valent , ut video , conatus noſtri contra fatum . Subeundum erat hoc diſcrimen , ne aliquid intentatum a fortuna in me relinqueretur . Utinam vero tandem ceſſaret immanis hæc bellua , & Platinam confectum crebris vulneribus ſineret paululum quieſcere . Sed heus

heus tu, Valiſcara noſter, cum omnes miſerentur caſum meum, cumque qui poſſunt, me quovis patrocinio juvent, ceſſabis tu officio? Hoc ne facias per Deum te rogo, per amicitiam noſtram. Reddentur tibi una cum his, literæ ad Rmum D. communem (Card. Borgiam Vicecancellar.). *Eas velim opportune des, meque, quibus verbis potes, quam diligentiſſime amplitudini . . . .*

ANTONII CAMPANI EPISTOLA AD PLATINAM

INeptus fortaſſe videbor, doctiſſime Platina, quod in eadem calamitate conſtitutus, cupiam te conſolari, & mei vulneris immemor, tuo medelam, & ſuccos ſalubres afferre ſtudeam. Sed libenter patior me dici ineptum, dummodo & tibi, & mihi faciam ſatis, & M. Fabii Quintiliani præclaram ſententiam uſurpem, qui unicum averſorum ſolatium literas putavit. Si aliis viſus fuero, non ero mihi ineptus, cum ſcriptis demulxero acerbiſſimam calamitatem. Adde quod miſerorum omnium, & illorum præſertim, qui eodem morbo laborant, non leve ſolatium eſt, mutuis alloquiis animum ſubmerſum, & proſternatum recreare. Id quoniam nobis eripitur, conſequamur mutuis ſcriptis neceſſe eſt, quod loquendo facere prohibemur. Ego, Platina, calamitoſos nos eſſe, & miſeros non inficior, ſed minus miſeros his, qui omnino carent ingenio, nec poſſunt aliquo animi adjumento impetus fortunæ rejicere. Dolent, plorant, cruciantur, velut nube ſubmerſi; nihilque proprium præter lacrymas habent. Nos vero in literis, & bonis artibus a pueritia educatos multæ rationes, infinita poſſunt exempla conſolari. Si enim videre volumus veteres hiſtorias omnium nationum a principio mundi, Medorum, Aſsyriorum, Athenienſium, poſtremo Romanorum imperia recenſere, tot clypeis, tanta fortitudine munimur, ut omnem miſeriam, ſqualoremque exuamus. Semper illos viros magni fecit antiquitas, qui ad utramque fortunam nati videbantur. Unuſquiſque ſcit uti deliciis, omnes ſciunt ſerenitate uti, nec ullam merentur laudem. Sed qui calamitates, qui procellas præſenti animo toleraverit, immortalitate dignus exiſtimandus eſt. Africanum Scipionem clariorem facit voluntarium exilium, & adverſus Tribunos plebis inclitum robur, quam fugatus Annibal, ſubjugata Carthago, & Siphacis catenæ, aut magna in ærarium auri, argentique ſumma delata. Quod amiſerat infelici marte Regulus mortis (sic) *miranda patientia nomen, ut aliquando quantus vir eſſet populus Rom. agnoſceret: qui ſi exilium, aut ferro, aut veneno abſolviſſet, non eſſet ſecundus a Romulo pater patriæ nominatus. Non obſtitit Cajo Mario exilium, quo minus ad ſeptimum perveniret conſulatum. Nihil eſt in hac vita immobile, nihil firmum, nihil ſolidum, omnia incerta, caduca. Non poteſt viris ſapientibus quicquam adverſi accidere, quod non multo ante præviderint, & tanquam ad pugnam expediti, animum adverſus tela obfirmaverunt. Prædixiſti ſæpenumero, tanquam*

 nau-

nauta bonus, ingruentem nobis tempeſtatem. Patimur quod certiſſimis ſignis paſſuros nos præſagiebamus. Ferendum æquo animo eſt, quod omnino ferendum, & quod evitari non poteſt. Supervacuum eſt angi, & dolere, ſi dolendo nihil proficias. Erige ergo te Platina conſtantiſſime, & collige vires tuas: qui ſis conſidera, & quantus te expectet juvenum chorus, qui tuo fonte ingentem ſitim literarum expleturi ſunt. Renovatum expectant omnes Platinam, & Pontificis Max. clementia, veluti ſole quodam, exhilaratum. Non eſt ergo quod verearis hæc quantilla incommoda, ſi ad Pontificis pietatem, & fortunæ varietatem reſpexeris. Finem faciam, ne loquacitas utrique ſit gravis, & ne videar, ut dicunt, ſus docere Minervam. Vale.

Epiſtola Barth. Platinæ ad Rodericum Epiſcopum Calaguritanum Caſtellanum S. Angeli exhortatoria, ut ad eum in carcere vinctum ſcribat conſolationum remedia contra vincula, dolores corporis, & alias mundi moleſtias.

REverende, atque doctiſſime Pater. Legitur apud Heſiodum, Deum hominibus iratum miſiſſe illis vas malorum omnium copia refertum, unde multa, ac prope infinita incommoda proſiliere. Sola ſpes, quæ in fundo erat, ſuperpoſito operculo, intus manſit. Huic ſi exire datum fuiſſet, de humano genere nimirum actum erat. Quis ferret æquo animo febres, dolores laterum, languores, capitis dolores, paupertatem, famem, ſitim, captivitatem, vincula, tormenta, cruciatus, ægritudines animi, niſi ſubeſſet ſpes aliqua melioris fortunæ? Quorſum hæc? dices. Ut

---

Epiſtola Roderici Epiſcopi, & Caſtellani ad Platinam conſolatoria, oſtendens hujus ſæculi flagella medicinam eſſe, & ſigna veræ ſalutis, & quod plurima bona pariunt tales adverſitates, præſertim dolores corporis, vincula, quæ animum non lædunt, præſertim ſapientis, & exhortatur ad conſtantiam.

DOlerem tecum, diſertiſſime Platina, ſi dolere te ſcirem. Verum pro luce ſapientiæ tuæ, pro robore animi tui non ignoro, eos omnes languores, febres, variosque, quibus affligeris, dolores, etſi cæteris hominibus pœna, atque ſupplicia ſint, tibi vero ſapienti, & forti viro eſſe virtutis exercitia. Quod igitur luges, medicina eſt, non pœna, caſtigatio, non damnatio. Noli autem repellere flagellum Dei, ſi non vis Dei hæreditate repelli. Hinc Auguſtinus; noli, o homo, attendere, quas pœnas habeas in flagello, ſed quem locum teneas in patris teſtamento. Quid enim ſapienti viro utilitatis affert, minima ſui corporis parte vigere, cui, ut noſter L. Seneca inquit, non licuit ſe experiri, duxit in bonis dies ſuos, nec aliquid adverſi ſuſtinuit? Male de eo judicant dii. Plerumque enim, ut quidam ex ſapientibus ait, in vegetato, & robuſto corpore animus mollior jacet: quippe tepidum cor redditur, cum corpus aliquid adverſi non patitur: verum in corpore debili, infirmo, ac doloribus pleno, fortior viget animi vigor; quod utique expertus in ſe vas electionis Paulus conteſtatur; cum infirmor, inquit, tum fortior ſum. Idque Hieronymus exponens ait; incolumitas corporis, imbecillitas eſt animæ: debilitas vero corporis fortitudo eſt mentis, & via, qua ad virtutes gradimur. Hinc ipſe Apoſtolus dicebat, libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti; ut infirmis propinquiorem velit eſſe Dei gratiam, quam incolumibus.

Gaude igitur, doctiſſime Platina, his corporis doloribus, his febribus, his carceribus, quæ te fortiorem, te virtuti propinquiorem, te Deo acceptiorem reddunt: nec triſteris de cœleſti beneficio, nec turberis de hac divina viſitatione, ac de ſigno ſalutis animæ. Viſitat enim te Deus oriens ex alto, quia quos amat caſtigando viſitat, inquiens per Sapientem, diſciplinam Domini ne abiicias, nec deficias, cum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit. Quem vero non diligit incolumem, dimittit; veluti de vitulis paterfamilias agit: quorum enim curam non habet, hos liberos in paſcuis relinquit; quos vero ſibi elegit, eos labori deputat: quippe ſub doloroſo jugo retinet. Sic & doctus medicus agit, qui ægris, quibus ſpes vivendi eſt, nequaquam cuncta, quæ appetunt, elargitur, ſed plerumque ferro, amariſque potionibus ad vitam cuſtodit: de ſalute vero deſperatis, quidquid optant, concedit. Niſi enim idipſum, quod pati videris, tibi expediret, nequaquam tibi Deus mitteret, cui eſt cura de nobis, ſcitque quid noſtræ ſaluti expediat.

Ut intelligas Platinam ſervulum tuum ſibi in tantis malis deſtitutum videri, cum ejus vita nulli, te uno ſemper excepto, curæ eſſe videatur. Fateor enim, ſemperque cum honorificentia verborum, omnique commemoratione tuorum erga me meritorum, prædicabo, me in vita remanſiſſe, quum cruciatu corporis, & moleſtia animi, qua plurimum angebar, diſcedere ab ea ſtatuiſſem, niſi tu me eruditiſſimis literis tuis conſolatus eſſes, qui unicus eſt animi cibus, & ægrotanti corpori, curam medicorum adhibendo, defraudato tibi cibo, ſubveniſſes. Verum, Reverende Pater, tibi agendum eſt, quod optimi gubernatores navium ſolent. Non

---

diat. Narrat enim Caſſiodorus, beatiſſimum Antonium pro magno impetraſſe munere, frequenter infirmari. Cum vero annus unus laberetur, nec aliquo affligeretur morbo, flevit graviter, dicens, reliquiſti me Domine, nec hoc anno viſitaſti.

Tu vero, diſertiſſime Platina, reaſſume vires animi tui, & tu ſapiens dic cum Sapiente: non ſum ita demens, ut ægrotare cupiam; ſed ſi ægrotandum fuerit, nihil effeminate faciam. Non enim pati cruciatus optabile eſt, ſed pati fortiter. Denique da Altiſſimo grates, quod patienter, & utiliter te cuncta ſupplicia ferre facit. Plerumque enim, ut inquit Auguſtinus, quoſdam Deus præſciens peccare poſſe, eos morbis, corporiſque doloribus flagellat, ne peccent, quia utilius conſpicit frangi eos languoribus ad ſalutem, quam incolumes manere ad perniciem, & gehennam. Adde quia ipſa corporis infirmitas agit in nobis, ut non poſſimus, quæ velle non debemus. Quemadmodum enim, teſte Gregorio Magno, forti medicamine gravis ægritudo corporis levatur; ita aſſidua fortique corporis ægritudine animæ vitia reſcinduntur. Nec doleas diutius cruciari. Fidelis enim, & rectus eſt Deus, nec permittet te flagellari, affligique plus quam ferre potes. Quinimmo ſi dolores, cæteraſque corporis calamitates æquo ſuſtines animo, dolor tranſibit in gaudium, atque teſte Propheta, ſecundum multitudinem dolorum in corpore tuo, conſolationes ejus lætificabunt animam tuam. Crede mihi, doctiſſime Platina; ideo te afficit Deus his carceribus, his morbis corporalibus, ut æternæ mortis ſupplicia, hac brevi corporali, & temporali pœna redimas. Recordare, vir fortiſſime, quia, ut ſacra docet ſcriptura, in ædificio templi lapides omnes prius malleis tundebantur, ne in eorum poſitione ſonus mallei audiretur. Nec aliter in eo cœleſti ædificio, quo in patriam æternam ducimur, prius variis dolorum, & calamitatum concuſſionibus nos poliri oportet, quam in cæleſtis habitaculi ædificio collocemur. Denique memorari te velim, quia nec grana in horreo Domini reponuntur, quouſque flagellis, triturantiumque pedibus ſint excuſſa.

Te igitur noſce, utereque fortitudine tua, ac ſapientia, qua alios ſæpe ad tolerantiam, & patientiam monuiſti. Non affligitur ſapiens corporis doloribus, qui totius mentis fortitudine roboratur; qui ſapiens dictus eſt, ut aliorum dolores ſua levet ſapientia; qui rurſus, ut Seneca ait, eodem animo aliorum calamitates expellit, quo ſuas patientiſſime fert, nec magis illas dolet, quam iſtas timet. Zenonis denique illius viri fortiſſimi tibi exempla ſuppeditent. Hic diverſis afflictus morbis, aculeo inſuper poſito, nec ſupplex vox, nec ejulatus ejus miſerabilis auditus, ſed fortis exhortatio, qua hominum dolores, & calamitates irridebat. Quippe, ut fortunam cæcam mortales in riſum verterent, effecit. Ajebat enim ad tortores ſuos; non eſt hæc pars corporis mei tuæ ditionis. Cæterum nec illud te latere puto, quoniam, ut Ariſtotelis fuit ſententia, moderatus dolor cunctas animi vires ad ſpiritualia, & ea quæ ſapientiæ ſunt, potius dirigit, atque auget, quam extinguat. Cujus illam puto fore cauſam, quia corporis afflictio, animi vagationem excludit: quo fit, ut ad divinam contemplationem, ad doctrinam, ac ſapientiam plurimum conferat. Hinc eloquentiſſimus Leo Papa; mala, inquit, quæ nos premunt, ſi ſpem aliquam evaſionis retinent, interiores animi motus non anguſtant, ſed augent.

De-

Non enim a duabus, aut a tribus procellis navim tuentur, ſed contra, nituntur, declinatis fluctibus, eandem incolumem in portum reducere. In te enim ſolo omnis ſpes noſtra collocata eſt. Proinde ſi me amas, ſi ſalvum cupis, ſcribe ad me aliquid, quod ægritudinem animi mei leniat, quod ſpem melioris vitæ afferat, quod oſtendat me ab omnibus, & ſaltem a te uno, derelictum non eſſe. Hoc ſi feceris, animum prope conſternatum tanto dolore reficies.

Demum, doctiſſime Platina, illud velim ſemper animo geras, quia nihil felicius tibi erit, quam pati adverſa, & non metuere contraria. Nunquam eſt virtus ſapientis in proſperis. Ille vere ſapiens, ille fortis, ille denique vir eſt, qui nullis doloris calamitatibus atteritur, & a ſua rectitudine non curvatur, ſed cuncta adverſa cum gaudio tolerat, quod proprie ſapientis eſt. Nam Tiburtius martyr inſignis nudatis plantis ſuper ardentes prunas incedens, inter roſeos flores inceſſiſſe lætabatur. Fit enim in viribus animæ quædam redundantia a ſuperiore ad inferius. Cum igitur delectatio ſapientiæ in parte ſit intellectus ſuperioris, ut ad mitigandum dolorem in parte inferiore corporis redundet, neceſſe eſt. Agam jam finem doctiſſime vir, ſi illud beatiſſimi Gregorii Papæ mente revolveris: ait enim in Ezechielis commentariis, quia tribus modis ſapientis, & fortis hominis virtus exerceri ſolet. Alia namque ſunt, quæ a Deo, alia quæ ab hoſte antiquo, alia rurſus, quæ ab homine ſuſtinemus. A proximo namque perſecutiones, damna, & contumelias ſuſtinemus; a veteri adverſario tentamenta: a Deo vero dolorum, morborumque flagella toleramus. Sed in eis ipſis rebus vigilanti oculo ſemetipſum debet mens circumſpicere, ne contra mala hominum perturbetur ad vindictæ retributionem; ne contra adverſarii tentamenta ſeducatur ad peccati conſenſum; ne contra flagella opificis proruat ad murmurationis exceſſum.

Facile rurſus querelas depones, ſi dolorum, ſi cruciatuum, ſi carceris profectus animo volveris. Ut enim ſacræ legis interpretes volunt, ex ipſis corporis doloribus, atque incommodis quinque calamitoſis bona contingunt. Primo quidem ſollicitudinem emendandi operantur. Qui enim patitur, ſollicitus admodum redditur corrigere quæ admiſit. Secundo præſtant a perpetua pœna defenſionem. Tertio indignationem in nos ipſos adducunt. Cum enim peccata fatemur, nobis indignamur dicentes cum Job, factus ſum mihi ipſi gravis. Quarto timorem operantur, ne majora incidamus in mala. Quinto deſiderium accendunt, ut ad meliora provehamur. Poſtremo, doctiſſime Platina, in eo te ſapientem doces, quia dolores mæſtitiaſque non abſcondis tuas. Cum enim, ut ait Philoſophus, dolorem amicis propalamus, dolor ipſe, dum diſgregatur, minuitur; quia juxta tuum Martialem, ille dolet vere, qui ſine teſte dolet. Quinimmo teſte tuo Cicerone in Tuſculanis, quædam calamitoſis delectatio inſurgit, dum agunt, quæ ſibi putant conveniſſe, quod eſt amicis infortunium communicare. Compaſſio enim amicorum onus calamitoſi alleviat, quaſi amici infortunii partes ferant, juventque ferre levius. Accedit, quia cognoſcunt ſe ab amicis amari. Ego itaque nolo doleas, ſed gaudeas. Si tamen intenſior te dolor corporis cruciat, compatior, partemque fero tecum, quem ab his moleſtiis illico te evaſurum ſpero, & opto. Quæ una res te conſolari debet, quia, ut ajunt, levis eſt dolor ejus, qui capere conſilium poteſt: Decreſcit dolor, ubi quo creſcat, non habet. Adde illud noſtri Annæi, quia dolere nemo poteſt valde, & diu. Sic enim nos amantiſsima noſtri natura diſpoſuit, ut dolorem, aut tolerabilem, aut brevem faceret. Denique tolerabilis eſt morbus ſi contempſeris id quod minatur. Noli ergo mala tua tibi ipſi facere graviora, & te quærelis onerare. Levis eſt dolor, ſi nihil illi opinio adjecerit. Levem illum facies, dum levem putas. Vale mi Platina amantiſsime, & dolere deſines, ſi timere deſieris.

Epi-

Epiſtola Barth. Platinæ ad Rod. Caſtellanum, quem plurimum laudat de doctrina, & de humanitate erga miſeros, & agit gratias de remediis ad ejus infelicitates.

Magna tibi, Roderice, propoſita eſt laus, magnum propoſitum præmium, ſi ut antea ſemper feciſti, & nunc quidem facis, optimam naturam tuam, optimum ingenium deinceps imitaberis. Præfuiſti huic arci quadriennio ſumma cum integritate, & fide. Quos in cuſtodia tua habuiſti, ita tibi tua humanitate, & gratia devinxiſti, ut hinc abeuntes, nomen tuum cum frequenti commemoratione tuarum virtutum, tuæ humanitatis, & gratiæ libenter uſurpent, atque extollant. Poſſunt qui arcibus præſunt, quique in aliquo Magiſtratu ſunt conſtituti, ſervata dignitate, & ſeveritate, mitius his conſulere, quos in manibus, & cuſtodia habent. Hoc autem facere conſueverunt, qui non avaritia, non ambitione, non malivolentia, ſed ſedata omni animi perturbatione, integre, ac ſancte vitam ducunt. His poſtea, ut crebro videmus, demandantur honores, committuntur dignitates, & magiſtratus, divino favente numine. Divinare hoc loco libet, neque id adulatione factum credas, cum tua virtus, ac ſingularis ſapientia majora mihi, ac cæteris de

---

Epiſtola Rod. Caſtellani ad Barthol. Platinam reſponſiva, arguens amicum aſſentantem ſimul, & laudantem, & oſtendit propter quæ veræ laudes debeantur.

Cuperem doctiſſime atque eruditiſſime Platina, ut eas laudes, quas ornatiſſima tua epiſtola in me amice, ne digne dixerim, cumulaſti, exilitas ingenii, intellectus hebetudo, aliqua quoque virtutis imitatio meruiſſent. At cum imperfectionem meam videant oculi mei, non his delector, quæ a me aliena plane conſpicio. Crede mihi, vir doctiſſime, eum, qui his oblectatur, vanum eſſe, & nondum ſui ipſius rectam habere cognitionem, liquido comprobatur. Qui vero miſeræ conditionis ſuæ notitiam attingit, ea omnia, quæ ad ejus extollentiam amici diſſerunt, tanto ſpernit facilius, quanto, ut ita dixerim, certo certius nihil eorum ſuum eſſe cognoſcit, quibus laudatur, evehitur, aut commendatur. Ut enim magnus inquit Aurelius Auguſtinus, homo inſtrumentum eſt, quo veritas propalatur, quæ ubicumque inſonuerit, & a quocumque proferatur, ejus eſt, qui ait, ego ſum veritas, & via. Ipſa quoque virtus a nobis non eſt, ſed divinum donum, Deo dicente per Prophetam, non eſt hominis via ejus: & rurſus per alium ex Prophetis, ne ex propria virtute extollamur, ait, perditio tua ex te Iſrael, in me tantummodo auxilium tuum; & iterum, aruit tanquam teſta virtus mea. Per eum igitur, qui eſt largitor omnium bonorum, pergunt homines de virtute in virtutem. Et ſapiens ſubdit, virtus ab altiſſimo eſt. Denique & in libro Sapientiæ idipſum confirmat, non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus, ne forte elidatur virtus tua. Habendæ ſunt ergo, referendæque laudes immortali Deo creatori omnium ſcientiarum, eo dicente; ego ſapientia effudi flumina. Et alibi, Deus ſcientiarum dominus eſt: & iterum, Deus creavit hominem de terra, . . . creavit illi ſcientiam ſpiritus. Nec mirum; quia teſte Apoſtolo, ipſe eſt altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ. Quiſquis igitur, niſi fallor, his divinis muneribus intumeſcit, ea a ſe fugat, non eis luſtratur, quia non arrogantes, ſed humiles ſequuntur; cum ſcriptum ſit, abſcondiſti ea ſapientibus, & revelaſti parvulis. E veſtigio humilibus profunditur, dicente Propheta, ubi humilitas, ibi ſapientia.

De

de te polliceatur. Video tibi, qui inter Hiſpanam nationem doctrina, & eruditione prope unicus es, lauream majoris dignitatis parari: quam quidem ego, ſi vivo, una cum his, quos antea conſervaſti, miris laudibus ſum celebraturus. Perge igitur Reverende, ac docte Roderice, & quod largitione, avaritia, ambitione plerumque fieri conſuevit, tua tibi ſapientia, virtute, & doctrina compara. Illuceſcet, mihi crede, clarius, quod erit virtute comparatum, nec deerunt, ſi, quod meritus es, quodque nos cupimus, adeptus non fueris, qui te quovis honore dignum prædicent: quæ laus prope major eſt, quam honor conſpicuus; cum ipſe dolor hominum, juſtus præſertim, magna ſit ſpecies prætermiſſi honoris, ac negati triumphi. Magna ſiquidem laus tibi erit, cum, te prætereunte, dicetur; hic eſt qui honores meretur, qui dignitates, qui magiſtratus. Verum non adeo ſuffocata eſt virtus, & oppreſſa, ut non tibi ſit ſperandum, ſi conſtanter, fortiter, ac ſapienter unica humanitate, qua vales plurimum, non ſpreta, vitam ut antea, ita deinceps duxeris, calamitoſos conſolando, deſperatos in bonam ſpem reducendo, Pontifici, atque aliis, in quorum manibus ſumus, clementiam proponendo. Vale, & puta hanc meam epiſtolam non adulationis, ſed virtutis tuæ cauſa ad te ſcriptam eſſe.

Deſine ergo, vir ornatiſſime, vas extollere luteum, ſed figulum ad aſtra uſque commenda; cum ſcriptum ſit, in artificis manus laudantur opera ſua. Age in hoc experimento mei, qui epiſtolas ad me tuas, quamvis elegantiſſima facundia refertas, ut auctorem ineffabili dicendi ſplendore, ac multa virtute pollere oſtendant, non adeo magnifacio, quaſi teſtimonio delecteris meo. Cæterum quæ perpulcre de humanitate attigiſti, utinam ſic eam in te exequi poſſem, ſicut opto. Nec enim ignoro mihi, cæteriſque hoc munus ſubeuntibus neceſſariam fore: quippe qui illud a ſapientibus præclarum verbum ſemper animo gero, quia his, qui calamitoſis præſunt, humanitas ipſa ſi adſit, non virtus, ſed hominis eſt natura; ſi deſit, monſtrum potius, quam vitium. Quid enim tetrius, quid monſtro ſimilius cogitari poteſt, quam hominem ab humanitate dictum, in id ipſum peccare, a quo nomen trahit? Si quid igitur in me erit, quo tuam poſſim levare mæſtitiam, id libenter impendam. Spero præveniet nos Pontificis Max. ſumma clementia, & innata humanitas, nec ceſſabo piiſſimas ſuæ ſanctitatis aures pulſare. Idque agam ſedulo apud eos omnes RR. Patres, quos rebus tuis profuturos agnoſcam. Vale.

Reſponſio Barth. Platinæ ex cod. Amad. & altera ejuſdem Epiſtola ad Rod. Caſtellanum, qua lamentabiliter conqueritur, quod fortuna eum bonis artibus deditum ſævis percuſſerit jaculis, quod attribuit ſuæ conſtellationi, & deſperare videtur.

Solent, Reverende pater ac Domine, qui aliqua virtute ſunt prædi- ti, ejus laudem a ſe reiicere; nec immerito quidem: cum doctrina pariat cognitionem, cognitio contemptum, contemptus humilitatem ante oculos ponat. Cernimus id eorum exemplo, qui nullum cum virtute commercium habent. Laudato indoctum, ignavum, timidum: doctum ſe, ſtrenuum, & fortem putabit; quia nullam partem habet ejus dicti, quod de cælo deſcendiſſe ſcribunt philoſophi, cognoſcere ſe ipſum, *hoc eſt, quid virtutis, quid vitii in ſe habeat, ſolus poteſt ſapiens. Is enim conſiderat unde ſit ortus, ad quid ſit natus, quorſum humanæ vitæ finis tendat. His rationibus cogitur, ſi non omnino ſalutis ſuæ aſpernator eſt, vitia declinare, & virtutem complecti. Recte itaque Reverende Pater eam laudem aſpernatus es, quam tibi & tua virtus, & mea erga te benevolentia merito aſcribit; idque non tua auctoritate, quæ magna eſt, confirmaſti, verum etiam omnium, qui antea de contemnenda gloria ſcripſere. Magna eſt Auguſtini auctoritas, magna Prophetarum, magna Sapientis, ſed nec minor eſt tua, hac præſertim in re: cum illi philoſophandi præcepta traderent; tu, quod man-*

Epiſtola Rod. Epiſcopi, & Caſtellani ad eundem Platinam reſponſiva, in qua agit, quomodo Catholice loquendum ſit de fortuna, & fato, & quis dicitur bene, aut male fortunatus; & quod aſtra non conferunt ad hos ſiniſtros eventus....

Habet hoc proprium, doctiſſime Platina, noſtræ Religionis conditio, ut alienos dolores, veluti proprios, lugeat. Nec de eo dolet, quod divina juſtitia agitur, ſed de eo plerumque mæret, ſi afflictos deficere conſpicit, quos proficere optaret. Legi igitur epiſtolam tuam, & non parvo mærore affectus ſum, quia te obſtinato, &, ut ita dixerim, deſperato quodam mærore obſtructum video. Auget certe mæſtitiam, quod nec tua ſapientia, nec tua virtus, nec mea ad te ſolamina, has tuas, quas vocas calamitates, lenire, ſi minus levare poſſunt: quippe dum infortunia deploras tua, in quamdam vitæ deſperationem incidere viſus es. Te igitur, bona pace tua dixerim, Beatus Chryſoſtomus ſignare videtur. Sunt, inquit, nonnulli adeo mæroribus ſuis victi, ut quo magis eis compatimur, tanto magis noſtra compaſſione abutuntur, & noſtra conſolatione obdurantur.

Aſſeris in primis te male fortunatum, veluti natum iniquo ſidere, aut fato. Addis denique particulatim cuncta mentis, & corporis tua incommoda, & licet nullus mortalium ſit, cui nonnullæ ſint lugendi cauſæ, tu tamen eleganti ſermone, tam efficacibus verbis, atque intenſis ſuſpiriis calamitates tuas deploras, ut tu unus omnium viventium miſerias perpeti viſus ſis. Verum cum fortunam nominaſti, primo impetu commotus ſum. Cum vero eam immanem belluam appellaſti, ſubſtiti pauliſper. Noſti enim Ariſtotelis, & ſequentium philoſophorum fuiſſe ſententiam, Deum nonniſi mediante motu cæli in hæc inferiora agere. Voluerunt denique providentiam generalem ſolum fore in Deo. Ego vero, vir doctiſſime, hunc labyrintum non libens ingredior, quamquam, ut noſti, inter Stoicum, & Poe-

mandatum eſt, fortiter, & conſtanter exequaris. Feciſti tu quidem officium tuum, Reverende Pater, quod non elatus falſa opinione, ut multi ſolent, ſed vera, ac ſolida virtute ſtabilitus, de gradu conſtantiæ deiici te non poſſe adulatione oſtendiſti. Fungar, & ego boni viri officio, qui nullo modo pati debet virtutem in occulto deliteſcere, & te, quoniam ita meritus es, ſermone, epiſtola, carmine, & quovis genere ſcribendi extollam: neque velim, etſi tuorum mandatorum obſervantiſſimus ſim futurus, mihi ſilentium imponi; cum magna pars injuſtitiæ ſit pati virtutem in tenebris, & ſitu obſoleſcere. Quod ſcribis Epiſtolas meas tibi elegantes videri, facis tu, ut bonus gubernator ſolet, qui nautam collaudat. Erunt mihi verba tua acutiſſima calcaria ad ſcribendum aliquid Pontifice, atque te dignum, ubi cognita clementia, & pietate veſtra, hujus mæroris nebulas aliquantulum ab oculis meis rejecero. Vale.

NOn prætermiſit Ariſtoteles, dum cauſas rerum in phiſicis commemoraret, inter eaſdem fortunam numerare, quod ſit earum rerum domina, quæ per accidens in vita contingunt. Ab hac quoque opinione non multum diſcrepare Doctores noſtri videntur, cum & bonam fortunam, & malam proponant. Quare nec mihi vitio dandum eſt, ſi crudelitatem ſævientis in me fortunæ cum lacrymis, & gemitu expono. A teneris namque annis ſtudiis literarum deditus, ita corpus, & ani-

& Poetam non parva ſit de ea re orta diſſenſio; dum ille fortunam in opuſculis ſuis nunquam nominare dignatus ſit, qui nihil eam eſſe crederet: tuus tamen Pocta ſæpe eam nominat, & quodam in loco omnipotentem appellat. Nec illi ſententiæ contradicit egregius hiſtoricus Criſpus Saluſtius. Is enim dominari profecto in re qualibet, ait, fortunam. Sed & Marcus Tullius humanarum rerum eam dominam aſſeverare non erubuit: quod, ut puto, ex verbis traxit Ariſtotelis. Ait enim, nemini contingere fore felicem, niſi mediantibus illis bonis, quorum fortuna domina eſt.

Ego vero quid ſentio alibi latius dico. Succinctius vero quam res exigit percurrens, illud ſemper mihi viſum eſt, cum de fortuna, & fato ſermo incidit, fortunam, ſi catholice loquendum eſt, nil aliud fore, quam divinam ordinationem, & providentiam, non modo generalem, ut Ariſtoteles voluit, qua Deus movet creaturas ad bonum ſecundum motum inferiorum per ſuperiora, ſed quamdam fore ſpecialem providentiam, quam de creatura habet rationali, prout cam ſua pietate ad ſupernam ordinat beatitudinem, aut ex ſua juſtitia relinquit ad pœnam. Idque Imperator noſter Chriſtus teſtatur, inquiens, nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus &c. Quibus verbis luculenter oſtendit, etiam ad minima ejus providentiam ſe extendere. Si enim, ut Pagani volunt, Deum immortalem fateremur non directe, ſed motu cœli in hæc inferiora agere, illud ſequatur neceſſe eſt, ut omnia a fato procedant, cunctaque caſualia, atque fortuita ſint, & quadam neceſſitate conſtellationibus ſubdantur; quod quam impium ſit, quam erroneum, pro tua ſapientia non ignoras. Sic enim Deus aſtris certam legem dedit, ut ſibi, tamquam opifici cunctarum rerum principatum retineret. Unde beatiſſimus Auguſtinus plerumque ſe retractavit, quia minus caute in operibus ſuis fortunam appellavit, quam profecto, ut eſt divina ordinatio, fatetur omnibus creaturis dominari.

Nec putes, diſertiſſime vir, per ea, quæ diximus, a corporibus ſuper cœleſtibus nos velle in inferiora operationes tollere, quarum illa non

mum cura , ac vigiliis maceravi , ut nullum unquam mihi cum voluptate commercium fuerit . Algendo , ſudando , ſitim , & famem , virtutis cauſa , æquo animo tolerando , corpus , quod ſatis robuſtum erat , quodque etiam fortius exercitatione reddi poterat , otio , & umbra enervavi , & ne quid mali mihi in vita deeſſet , ubi paululum accrevi , fortunæ ſpicula in me directa deprehendi . Hanc ob rem mortem perſæpe optavi , cum hujuſcemodi curæ , & ſollicitudines corpus , & animum crucient . Sæpe enim non ſine gemitu mecum ipſe conſidero , quanam ratione hæc fera beſtia , cumqua nullæ mihi ſunt induciæ , nulla pax , tamdiu in me ſæviat . Nec ulla alia cauſa tanti mali mihi offertur , quam quod me ortum ſiniſtro ſidere , & iniquo fato video . Circumvallavit me hæc immanis bellua omni diſcrimine , & periculo ; ſubjecit me invidorum , & obtrectatorum linguis , ſubjecit periculis tum maritimis , tum terreſtribus , ſubjecit paupertati , inopiæ , & calamitati , ſubjecit irriſionibus , & contemptui : & cum antea multis opera , & eruditione mea profuerim , nemo unus adhuc repertus eſt , qui meis incommodis motus , non dico ſanguinem , ſed ne quadrantem quidem offerret . Hinc ego pectus meum tundo , hinc crines vello , hinc oculos pulſo , nec video me diutius laturum hæc incommoda ; & vereor , ne ſuccreſcentibus continuo malis , cum nulla ſpes melioris fortunæ ſubſit , mihi gravius conſulam , ac me ipſum una ratione , qua poſſum , ab ictibus ſævientis fortunæ ſubtraham . Jam enim feſſus ſum , debilitata ſunt membra , comminuta oſſa ,

non parva eſt , videlicet præter hominum intentionem aliquid eis influere : quod etſi ad fortunam pertineat , ut philoſophi voluerunt , fatemur tamen , quia plerumque contingit aliquatenus operari præter hominum intentionem propriam , quod tamen minime eſt præter ſuperioris intentionem , ut gratia exempli dixerim : miſiſti primo ad forum alterum ex ſervis tuis ; ſecundo alium mittis ſervum , primo ignorante . Quod igitur ſervus ſecundus primum reperiat , eſt præter intentionem ſervi miſſi , non tamen præter intentionem tui mittentis . Quare , licet reſpectu habito ad hunc ſervum , inventio ipſa conſervi ſit penitus fortuita , & caſualis , non tamen comparatione ad dominum relata . Quamquam igitur homo ſit , quantum ad corpus , ordinatus ſub corporibus cœleſtibus , quantum vero ad voluntatem ſub Deo ; poteſt tamen aliquid tibi , Platina , contingere proſperi , aut adverſi præter tui intentionem . Quod tamen erit ſecundum ordinem corporum cœleſtium inclinative , erit rurſus effective ſecundum divinam intentionem , & proviſionem .

Cernis igitur diſertiſſime Platina , quam impium ſit aſſerere , fortunam , aut fatum , ipſam denique conſtellationem , aut cujuſque nativitatem , mortales directe ad hoc , vel illud ferre poſſe . Idque eo apertius comprobatur , quo irrefragabilia in ſacra Scriptura exempla recolimus . Eodem enim temporis momento , eodemque utero , eodem genitore nati ſunt Eſau , & Jacob : conſtat tamen alterum bonum , alterum iniquum evaſiſſe , diverſoſque eventus ſenſiſſe . Abſit denique dicere aliquem ſub iniquo ſidere natum , cum omnia ſidera optima ſint . Vidit enim Deus cuncta , quæ fecerat , & erant valde bona . Age demum , alterius exempli gratia ; habes uxorem , & ancillam domi . Illæ igitur ſimul , eodemque momento pariunt : tamen natorum alter augetur divitiis , & honoribus creſcit , alteri conditio ſervitutis nullatenus relaxatur . Crede igitur mihi , doctiſſime Platina , ille bene fortunatus eſt , qui ſequitur impulſus , & impetus , quos ſibi Deus deſtinat ad utilitatem , licet ejus rationem ignoret : ille male fortunatus dicitur , cujus electio ad contraria incli-

ſa, infractus animus, contuſi ſenſus, & nihil in me remanſit, quare diutius in vita eſſe velim. Virtutem, dices, optimum eſſe in hac ægritudine antidotum. Valet hæc quidem, ut medicina in ægrotanti corpore, ſi pars aliqua incolumis ſupereſt. Sed per immortalem Deum, quid eſt in me, quod ſpem ullam ſalutis præſeferat? Dego vitam in carcere cum dolore corporis, & ægritudine animi: veniunt in mentem, non ſine lacrymis, & gemitu, lectiones, libera cum amicis colloquia, jucundæ conſuetudines, amœnæ deambulationes, quibus, tanquam optima luce, ſum privatus. Omitto quam multa incommoda amicis contingunt, qui me, ac ingenio meo pro arbitrio utebantur. Inſumere enim diem legendo, docendo, juvando, quibus rebus poteram, conſuevi: neque certe mihi ſocordia, & deſidia obiici poterit, cum ita tempus partirer, ac ſi mihi cum Catone ipſius ratio ſupputanda fuiſſet. Diſturbavit otium hoc meum fortuna, & eo me deduxit, ut libenter cupiam vitam cum morte commutare. Huic meo dolori, ſi quam habes convenientem medelam, eam quæſo ad me perſcribe, ne pereunte Platina, virum tui obſervantiſſimum, & tuarum virtutum præconem indefeſſum ammittas. Qui autem me ſapientia, clementia, pietate retineat in vita, præter te, cognoſco neminem. Reliqui enim, quos amicos, & patronos putabam, inſtrepente fortuna, primo tumultu me deſeruere. Vale, & æquo animo lege ineptias meas. Hoc enim ſolum delinimentum calamitatis meæ mihi relictum eſt. Quod tu majus facies, ſi literis me tuis conſolabere.

---

clinatur, & illos impetus ſequitur, ſicut de quodam Jeremia dicebat, ſcribe virum iſtum, qui in diebus ſuis non proſperatur.

Demum eas omnes miſerias, calamitates, infirmitates, dolores, & cruciatus recolis, quos pro tua virtute viciſſe putabam, niſi virtus vinci poſſit. Ego tamen non ignoro, te non modo ſcire, ſed docuiſſe ſemper, quia ſuperari virtus ab adverſis neſcit. Patientia dedecus ignorat, fortitudo omnem ſpernit contemptum; & ut paucis agam, nullis calamitatibus vir ſapiens ſuccumbere poteſt. Scit enim, quia fragilia, trepidaque ſunt iſta, quæ vires, quæ opes, quæ honores, quæ conſuetudines, quæ humana ſolatia vocantur: fugiunt ſubito, & repente a ſuis poſſeſſoribus dilabuntur; nullo in loco, nulla in perſona ſtabilia conſiſtunt, ſed incertiſſimo ſtatu huc, atque illuc jactantur, & quos in ſublime extulere, improviſo recurſu in profundam cladem demergunt; ut verum ſit, quod Rex, & Propheta ait, dejeciſti eos, dum allevarentur. Nolo igitur, diſertiſſime Platina, illis invideas, quia ſcriptum eſt, noli æmulari in eo, qui proſperatur in via ſua. Invideas velim his, quos ſæpe legiſti viros fortiſſimos, qui fortiores evaſerunt etiam in iis periculis, ubi perituri erant: quippe cum ſcirent nihil reſtare, niſi mortem, illam libenter exceperunt. Sic ille Leonidas nobilis Spartanus, ſic Meſſius apud Thebas. Nam quibus mori licuit, illis inter calamitates vivere nec pœnæ, nec formidini fuit. Denique cede tempori, teque illi apta: patere animo ingenuo, quæ vides te paulum pati oportere. Noſti enim, quia humanæ imbecillitatis efficaciſſimum temperamentum eſt neceſsitas.

Vale.

Epi-

Epiſtola Barth. Platinæ ad eumdem Rod. Caſtellanum, deplorans infirmitates, captivitatem, & infortunia ſua, quæ dicit non poſſe curari verbis.

Reverende ac doctiſſime Pater. Facile omnes, ut inquit Terentius, cum valemus, recta conſilia ægrotis damus. Liceat mihi, pace tua, tecum liberius loqui, quando quidem ita natura, & ſtudio inſtitutus es, ut malis tecum libere, quam aſſentatorie agi. Scribis in epiſtola tua languores, febres, cruciatus exercitationes eſſe virtutum, cum contra nihil ſit, quod magis virtuti obſtet; cum omnis honeſta actio his malis impediatur. Fieri enim non poteſt, ut qui corpore cruciatur, labore, & induſtria ſua quempiam juvet. Difficile eſt item, immo pene impoſſibile, ægritudinibus animi vexatum, bene alteri conſulere, cum animus hominum, ut in plurimis cernimus, perturbatus, omni conſilio, ac ratione careat. Videmus enim omnia animantia, omnia corpora, omnia inſtrumenta tamdiu emolumento aut ſpeciei, aut individuis, & concentui eſſe, quoad integra, & ſalva extiterunt. Non juvant hominem jumenta, que a juvando ſunt dicta, ſi ægrotant, non delectant aves, ſi inæqualitate lab rant, non concentus citharæ, ſi chordæ diſſonæ, & diffractæ ſunt. Dices, ſat ſcio, longe aliam eſſe hominis naturam, aliud ingenium; quum intellectu, quo fere ſeparatis eſſentiis perſimilis habetur, a brutis differat. Fatebor, & id certe; at eo quidem

---

Epiſtola Rod. Epiſcopi, & Caſtellani reſponſiva, quod licet aliquando dolores corporis intellectum impediant: qui tamen intenſe Deum amat, & ſpeculativis intendit, non ſentit has paſſiones corporis. De cauſis, quare homines has moleſtias patiuntur.

Suavi atque inſtructa epiſtola tua, doctiſſime Platina, plurimum oblectatus ſum, qua & ad riſum me ſimul, & pugnam provocaſti. Ais enim modeſte certe, atque perfacete, quia commune eſt eorum, qui valent, facile ægrotis conſilia tradere, veluti, ut ajunt, venter plenus facile diſputat de jejunio. Qua de re eos rides, qui putant languores, cruciatus, cæteraque corporis incommoda virtutum exercitationes fore, veluti ad te ego ſcripſeram. Difficile enim arbitraris, quippe & impoſſibile, eum, qui corpore cruciatur vel ſapientia, vel induſtria quemquam juvare poſſe: quo fit, ut Stoicorum opinioni non aſſentias, qui etſi talia corporis incommoda ſapientis animum minime conturbare aſſerant, ipſos tamen, ut ais, eadem declinaſſe, & abhorruiſſe non dubitas. Geram ego morem opinioni tuæ, doctiſſime Platina, & fatebor quæ attuliſti. Nam & magnus Auguſtinus, cum in ſoliloquiis ageret, ait, dolore dentium acerrimo his diebus non ſinebar animo volvere, niſi ea, quæ jam forte didiceram; a diſcendo tamen penitus impediebar, ad quod tota animi intentione opus erat. Quo patet, eos corporis dolores, & cruciatus plurimum virtutis, & ſapientiæ operationes impedire. Accedit quia dolor, & corporis afflictio trahunt ad ſe intentionem animæ, pro eo quod, Philoſopho teſte, naturaliter unum quodque tendit ad repellendum contraria nociva. Nullus autem dubitabit, quia quanto diſpoſitio hominis purior, atque validior fuerit, tanto intellectus erit vivacior, & ſubtilior, & eo magis ſenſus exteriores intellectui ſerviunt, veluti qui parum agit, niſi cum miniſterio ſenſus corporis. Hinc philoſophus ait, quia animæ ſequuntur corpora. Verum tamen, vir doctiſſime, ſi accurate epiſtolas legiſti meas, paucis tibi ſatisfeci verbis; dum neminem huma-

dem aſſeram graviora hominibus mala videri, quia eorum nobilius ſubjectum eſt, quam cæterorum animalium. Sentit homo, & peracute frigoris, caloris, ſitis, inediæ moleſtiam. Taceo ægritudines animi, quæ prope infinitæ ſunt, quod non faceret, ſi eadem nobis eſſet cum brutis natura, quæ adverſas qualitates minus moleſte ſentiunt. Magna eſt apud me Auguſtini, Hieronymi, Pauli, Senecæ, Stoicorum, Academicorum, Peripateticorum auctoritas, qui libros de ſedandis doloribus corporis, & perturbationibus animi compoſuere. Verum cum lectum ſit, pleroſque Stoicorum mortem, & incommoda vitæ declinaſſe, fit, ut longe facilius exiſtimem verbis, quam opera, philoſophari. Unum tamen non negaverim; quod tuleris æquo animo in vita, id minus grave videri, inſtituique animum ad ea ſuſtinenda, quæ deinceps inſtant, firmiorem, cum animus hominis ſine longa aſſuetudine in virtute confirmari non poſſit. Remedia tua, vir doctiſſime, atque optime, reiici fortaſſe a me dices. Verum non ita eſt. Amplector enim, & quidem liben-

---

manitatis capacem inficiari poſſe dicebam febres, dolores, & cruciatus nocere, vel con ferre poſſe virtutis, & ſapientiæ actibus. Nocere, inquam, quia & extinguere animi operationes valent, cum immoderatus dolor cruciat. Talis enim uſque adeo intendi, & accendi poteſt, ut homo non poſſit etiam quæ antea ſcivit, conſiderare. Cum enim dolor corporis procedat ex læſione cordis, eo fit, ut habeat majorem tranſmutationem corporalem adjunctam. Id enim & dolor animi efficit. Si enim plurimum intenditur, ita intentionem animi trahit ad ſe, ut non poſſit homo aliquid ſcientificum conſiderare. Nam & B. Gregorius propter mentis triſtitiam, ut ipſe aſſerit, intermiſit Ezechielis expoſitionem. Si tamen non plurimum intenditur, confert ad liberiorem ſpeculationem, & virtutis operationem; quia, ut addebam, moderatus corporis dolor tollit mentis evagationem, quæ una animæ operationibus, & actibus ſpeculativis plurimum nocumento eſt. Hinc dici conſuevit illud Philoſophi, quia afflictio dat intellectum. Accedit, quia cum major, graviorque ſit mentis, quam corporis dolor, tantus poteſt eſſe noſter ad ſapientiam, & virtutem amor, & deſiderium, ut penitus intentionem animi retineat, nec omnino ad dolorem exteriorem feratur. Idque tuus Ariſtoteles non negat: ait enim in Ethicis, quia mentis delectatio expellit dolorem, & triſtitiam eo fortius, ſi vehemens eſt delectatio, & fortis. Sic Paulus tam excellenti in Deum amore abſorbebatur, ut nihil corporalis doloris ſentiret, dicens, cum infirmor fortior ſum. In veritatis igitur inquiſitione, & ſpeculatione tam fervens eſſe poteſt voluntas, & deſiderium, ut nihil ſenſibile, & doloroſum ſentiat. Hinc Apoſtolus dicebat, omne gaudium exiſtimate fratres, cum in tentationes, & afflictiones varias incideritis. Quanto igitur quis eſt major ſapientiæ amator, tanto minus cruciatus ſentit exterius: immo gaudio afficitur; quemadmodum Auguſtinus ipſe in eiſdem ſoliloquiis ait, videbatur mihi, ſi ille mentibus noſtris veritatis fulgor appareret, aut non ſenſurum fuiſſe illum dentium dolorem; aut certe pro nihilo tolerandum. Denique illud vellem habeas exploratiſſimum, eum, qui intenſe cœleſtem deſiderat patriam, his calamitatibus, & doloribus non frangi. Teſte enim Gregorio, flagella Deus permiſcet gaudiis humanis, ut quod in hoc ſæculo delectabat, amareſcat, & quod patimur ad cæleſte deſiderium excitet, & pertrahat; atque, ut ita dixerim, delectabiliter mordeat, ſuaviter cruciet, hilariter contriſtet: & ſubdit, mala quæ nos premunt, ad Deum nos ire compellunt. Et Auguſtinus; hic plerumque Deus ferit, ut in æternum parcat. Rurſus, ut quidam ſapiens ait, pati in hoc ſæculo languores, & cruciatus, arra quædam eſt, quam Deus Pater filiis dat, quod futuri ſint hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti. Adde, quod jumenta, brutaque animalia cognoſcunt ſe ideo a do-

benter, quod de fortitudine, ac patientia ad me elegantiſſime ſcripſiſti. Sed velim mihi ob recens vulnus conſternato, tempus, & inducias ad cogitandum dari. Video namque, ut ægroti ſolent, ex amaritudine medelæ ſubſecuturam bonam valetudinem; qua adepta, & vitam mihi abs te, & redditum animum prædicabo. Gaudebis tum denique, cum videbis Platinam tuum, & dolores contemnere, & innocentia ſua fretum timere deſiiſſe. Vale.

---

a dominis percuti, quia lente progrediuntur, vel quia ad viam redire debent, a qua oberrant. Tu igitur doctiſſime Platina intellige, te ideo a Deo flagellari, ne diutius ſtes in via, ſed acceleres ad patriam, ad quam tendimus: unde Rex, & Propheta dicebat, multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt. Deſine igitur conqueri, quin potius age gratias, quod ſigna habes electionis tuæ, quod cauſas pellas evagationis animi tui, ut ſolidior ad divinarum rerum ſpeculationem, & doctrinam reddaris, quod inſtrumenta receperis, ut notior ſit tua virtus, atque fortitudo propenſior. Vale.

Epi-

Epiſtola Barth. Platinæ ad eumdem Rod. Caſtellanum, in qua ſuperatum ſe aſſerit rationibus Caſtellani: manent tamen aliquæ moleſtæ reliquiæ, quibus petit adhiberi conſolationis remedia.

VIctum tandem me fateor, Reverende ac doctiſſime Pater, rationibus, quas duabus tuis elegantiſſimis epiſtolis complexus es. Nihil enim abs te prætermittitur, quod ad ſedandas perturbationes animi pertineat. Inſunt rationes philoſophicæ, & morales; ineſt, quod pluris facio, auctoritas Salvatoris noſtri, & eorum, qui ejus ſanctiſſima veſtigia ſecuti ſunt. Habent præterea energiam in ſe quamdam acutiſſima dicta tua, qua, vel in extremis laborantem, ut ajunt, ad ſanitatem poſſis reducere. Doces, refellis, diſſuades, admones ita docte, ita acute, ut venire in tuam ſententiam, etiam pertinaci, & moroſo neceſſe ſit.

H

Epiſtola Rod. Epiſcopi & Caſtellani ad eundem Platinam reſponſiva, in qua dicit, prædictas reliquias paſſionum, & infelicitatum humanarum difficulter curari poſſe, veluti ex debilitate, & pronitate ad malum provenientes: & tangit egregie omnes paſſiones animi, adhibens ad illas remedia.

VIdeor clariſſimum vatem Jeremiam te, diſertiſſime Platina, divino ore minantem; uſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Legi igitur epiſtolam tuam omni dulcore. & dicendi ſplendore venuſtam, quæ & eloquiis, & ſententiarum pondere ſe ſe legentes, ut ſæpe legant, invitat. Ita enim peracute arguis, ita me ad ſcribendum allicis, ut nolentem, ne dixerim invitum, volentem facies: & veluti pigrum bovem agricola forti pugione ad arandum ſollicitat, nec aliter tu torpentem me, atque ad ſcribendum pigritantem, fortiſſimis inſtas aculeis, ut quæ neſcio, neſcienter exprimam, eoque magis tuum fulgeat ingenium, quo facilius meas contundas rationes. Ais igitur imprimis, doctiſſime Platina, te meis epiſtolis victum, atque ipſa dicendi efficacia, &, ut ais, verborum energia curatum, aut curationi proximum; medelamque non parvam iiſdem epiſtolis ſuſcepiſſe ad leniendam, ſi minus tollendam ægritudinem, denique ad ferendas calamitates. Verum ſubjicis, quia etſi tu, cæterique in eadem fortunæ acerbitate conſocii plerumque quieti, ſedati, ac ab omni perturbatione curati vobis ipſis videamini: parvo tamen momento animus veſter aliunde digreditur; idque etiam dum legitis, dum oratis accidere querimini, adeo ut per intervalla tam indelebili variarum cogitationum mole premamini, ut tantis mentis curis, animique motibus, & paſſionibus agitati, in priſtinas mœroris, & triſtitiæ cauſas incidere lacrymabiliter doleatis.

Petis igitur doctiſſime Platina his morborum reliquiis infeliciter remanentibus per me, ſi valeo, ſalutis remedium, poſtulas ſuffragium, atque conſilium. Ego itaque, abſit, ad te dicam, quod parum doctus medicus recidivantibus ægris dicere ſolet: præcepta, inquit, non obſervaſti mea; in eam rediſti ægritudinem culpa tua, quia mea medicandi arte, ac doctis antidotis curatus eras. Nulla, ſic Deus pia mea vota ſuſcipiat, in te culpa admiſſa eſt, nihil tuo delicto, ſed naturæ humanæ vitiatæ contagio id ipſum tibi, cæteriſque calamitoſis accidit. Atque in primis perſuaſum habeas, quarumdam ægritudinum reliquias longe difficilius, quam ægritudines ipſas curari poſſe. Dolores enim, tremores, ac vulnerum tumores medici multi facile levant: debilitatem tamen ſauciati membri nullus eripit. Plagarum cutem conſolidant chirurgi; cicatricis tamen deformitatem non expellunt. Et ut paucis agam, parum prudens medicus viſus eſt, qui naturæ deordinatæ ſequelas, atque reliquias curare nititur. Tranſmiſit ſiquidem nobis natura parens

quan-

ſit. Fulmina, ita me Deus adjuvet, ex ore tuo prodire videntur; cum & Auguſtini, & Hieronymi, & aliorum, qui hac in re valent, auctoritate aliquid approbas. Contendere diutius tecum, hac in parte præſertim, non eſſet conſilium. Cedo ego, & tuis vocibus, tamquam oraculo Apollinis admonitus, medelam hanc, quæ ad leniendam, non ad tollendam ægritudinem facit, libenter, tamquam optimum poculum, imbibo. Sed una radix adhuc ſupereſt, qua exciſa, fortaſſe tibi meliorem de me ſpem dabo. Et ne me ſolum perturbari hac agitatione putes, ſcito omnes, quos in hac calamitate ſocios habeo, ea perturbatione vexari: nec tantum dum cruciamur, dum angimur animo, ſed etiam dum quieti, & ſedati ſumus. Nam ſi, ut fit inter nos, aliquis fabulatur, & quod jucundum videri poſſit, & retinere audientes, digredimur tamen parvo momento, alius alio. Idem accidit ſi legimus, ſi ſcri-

---

quamdam mentis debilitatem, ac animi evagationem, ad ſiniſtra pronitatem, tamquam originalis ſceleris pœnam, quam nullus etiam hæroicus facile vitat. Quamquam enim, ut ſacri tradunt interpretes, per Verbi incarnati myſterium, & per regenerationis lavacrum, reatus ipſe originalis culpæ ſublatus ſit; manent tamen reliquiæ, manent ſequelæ, manent veſtigia ſenſualitatis, manet pugna, & aſſidua adverſus rationem rebellio, manet illa, quam diximus, pronitas, & naturæ vitiatæ debilitas, quæ omnino a nobis nullo pacto aufertur; quod paucis, ſed flebilibus verbis deplorat Apoſtolus inquiens, video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.

Nec modo ea afflictiva veſtigia, quæ tetigimus, in nobis etiam curatis remanent, ſed aliæ nos comitantur non parvæ pœnæ, quas ideo non pluris facimus, quia aſſidue experimur, veluti famem, ſitim, membrorum inobedientiam, moriendi neceſſitatem; quæ omnia nulla naturali arte, nullo medicamine curari valent, tamquam a natura nobis inſita. Ex his procul dubio ſequelis indelebilibus evenit plerumque nos nedum triſtari, ſi ea aggredimur, quæ nobis utilia ſunt, & plerumque inutiliter agere, ſi ea conamur etiam, quorum ſcientiam habemus. Exempli gratia, vir ſapiens, & prudens plane agnoſcit, fornicationem vitari oportere. Verumtamen ſequela remanens paſſionis, & rebellionis ad rationem vexat, & ad fornicandum movet: quippe intantum intendi poſſent paſſiones, & ſequelæ ipſæ, ut homo totaliter uſum rationis amitteret; idque exemplo experimur. Plurimos enim conſpicimus inſanire propter vehementiam amoris, aut odii, aut iræ. Fatendum eſt tamen ſecundum Auguſtinum, quod non omnes æqualiter invadit ipſa rationis debilitas, & rebellionis pronitas. Alius enim alio pronior eſt ad ſequendum paſſiones. Quoſdam enim ſapientiæ, & virtuti deditos contingit minus lædi a ſequelis ipſis, dum honeſtis ſapientiæ, & virtutis exercitiis occupantur. Hinc Plato dicebat, nihil ita ab eo inordinato motu quempiam liberare poſſe, quam vacare ſapientiæ, & delectari virtutis operibus. Magis quidem urgent, magis lædunt ſæva inexpertos. Audaciter, inquit Livius, veteranus miles cruorem ſpectat, qui ſcit ſe viciſſe ſæpe poſt ſanguinem. Ii vero, qui aut ſcientia, aut virtutis ſe ſe ſcuto non muniunt, vehementius quidem, & facilius invaduntur, quos certe beatus Auguſtinus ſignat, cum ad Valerium inquit, qui innatæ ſibi pugnæ non reſiſtit, quum tantas vires accepit, fit, ut plerumque etiam deficientibus ætate membris, turpius, & procacius inſanire cogatur. Sed & qui in moralibus philoſophati ſunt, ab hac ſententia non diſcedunt, dum virum temperatum tradunt non carere concupiſcentiis vehementibus. Ea igitur omnia, quæ diximus, id apertiſſime probant, quia vir ſapiens, & fortis, etſi certus ſit quavis fortunæ ſævientis rabie, quavis morbi, doloris, aut animi acerbitate, nuſquam perturbari, aut vin-

ſcribimus, ſi oramus: conſiſtere certe animo non poſſumus, & curis per intervalla agitati in mærorem, & triſtitiam incidimus. Dices fortaſſe huic quoque morbo medicinam ex epiſtolis tuis colligi poſſe: neque ego id diffitear, ex parte tamen, non ex toto. Curat medicus ægritudinem una, vel duabus medicinis: ſenſus guſtus infectus partim morbo, partim pharmaciis remanet; infeſtat languentem ſitis. Hæc accidentia tollere, & recreare ægrotum alia ratione oportet, ſaccharo videlicet,

---

vinci poſſe; minime tamen ignorat comitari eum opportere, quas diximus, reliquias, debilitatem videlicet, nec non triſtitiam, mentiſque evagationem, pleraſque alias imaginationes afflictivas quidem, quas minime a nobis divina bonitas amovet, quia ita nobis expedire conſpicit, ut eo magis in eis exercitemur, & proficiamus, quo magis affligimur. Quamquam enim, ut eſt divinæ legis interpretum ſententia, potens ſit Deus omnem in nobis curare morbum; pro ſuæ tamen ſapientiæ ordine ſic agit, ut non penitus in nobis totus morbus curetur, more ſapientis medici, qui non fortuitu aliquam vulneris partem incuratam relinquit pro majore profectu infirmi. Nec aliter vir ſapiens, & fortis, licet eas animi triſtitias, eos motus, animique inconſtantiam ſentiat, ut quamdam gravem ſarcinam, nequaquam tamen reliquiæ ipſæ remanentes illi dominantur, veluti quæ non ſua culpa, ſed ex naturæ depravatione prodire conſtat. Manebunt itaque in obſequium, ut ancillæ quædam ſervientes dominæ, ideſt rationi; cum tandem in hominis utilitatem convertantur, inquantum non parvam præſtant virtutis materiam, humilitatem præſertim, & laudati exercitii nactam occaſionem.

Vides ergo doctiſſime Platina, viros ſapientiæ, & virtuti deditos, eas, quas tetigiſti, animi vagationes, inconſtantias, & debilitates ſatis quidem ſentire, & pati: quibus tanto affliguntur gravius, quanto nemo mortalium quovis conamine eas uſquequaque vitare omnino poteſt. Quod & in Geneſeos libris apertiſſime legimus: ſenſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Nec tamen diffitemur, ut ſacra lege inſtruimur, quia etſi hujuſmodi ſequelæ perfectos viros comitentur, eſt tamen illis, ut diximus, major reſiſtendi libertas, & non aſſentiendi facultas, dicente Deo, ut ſcriptura commemorat, ſub te erit appetitus tuus. Feriunt ergo iſta virum fortem, ſed non pervertunt, exagitant, non proſternunt. Sic & corporis dolor, amicorum ſubtractio, a patria exilium, & quævis inopinata calamitas; hæc utique a bono viro ſentiuntur: nulla enim virtus eſt, quæ non ſentit ſe percuti. Recipit ergo hos fortunæ ictus, ſed receptos facile rejicit: nihil enim in nobis hæc immutant, ita ipſæ animi fluctuationes, motus quoque varii ex adverſarum rerum impetu derivati, viri fortis non avertunt animum: manet enim firmus, & quicquid averſa fortuna, ipſaque mentis trepidatio intulerunt, in ſuum colorem, atque ad ſui utilitatem trahit, & tandem quicquid accidat, in bonum vertit; adeo ut quantalibet adverſantium rerum jacula feriant, jam per aſſiduam patientiam duriſſimum, ut ita dixerim, callum efficiant. Nec enim facile cedit, qui vincere novit; & qui ſæpe vicit, confligere non recuſat. Ignominiam judicat gladiator cum imbecilli congredi. Itaque vir bonus ac fortis non triſtatur, quin immo gaudet his mentis paſſionibus, non aliter, quam fortes tyrones; quia, ut apud noſtrum Lucanum legiſti, belli triumpho avida, & periculi virtus, quo tendit, non quid paſſura ſit, cogitat.

Tu vero doctiſſime Platina ex his, quæ longiori, quam putavimus, calamo diximus, collige antidotum, collige conſilium in ſinu tuo. Noli has animi vagationes expaveſcere. Viciſti majora, ea videlicet adverſa, e quibus illæ oriuntur. Cur enim improbas, vagaſque animi cogitationes non calcabis, qui cruciatus, qui dura, qui triſtia, & horrenda ingenue ſuperaſti? Moveri ergo deſine his animi motibus, his mentis agitationibus. Sic enim bonos viros vexari oportet, quos ideo Deus concutit, ut confirmentur. Ut enim alter ex veteribus ſapientibus ait, non eſt arbor

mulſo , & quàvis frigida potione . Leniſti ægritudinem equidem acute : lenienda eſt & ſitis , vel potius inconſtantia , qua agitamur , ne fundamenta ſalutis noſtræ abs te jacta , una vel minima re intereant . Aſſerto rationes , quibus moniti , dum legimus , dum loquimur , dum meditamur , conſiſtere mente , & animo poſſimus . Vale ſidus noſtrum , quo deficiente nobis , ut in oceano agitatis , perire neceſſe eſt .

ſolida , nec fortis , niſi in quam frequens ventus incurſat . Ipſa enim altiſſima cedrus aſſidua vexatione conſtringitur , & radices fortius figit . Fragiles denique ſunt plantæ ipſæ , quæ in amœna valle naſcuntur . Non igitur tu , cæterique in eadem calamitate conſocii de congreſſu doleatis , qui de uberrimo victorjæ fructu exultabitis . Favor enim , ampliſſimus honór , triumphus bonorum virorum eſt , inter hoſtes verſari , ut æquo animo ferant , quæ utique mala non ſunt , niſi male ſuſtinenti . Dat tibi Deus , & illis has afflictivas quidem , ſed ſalubres animi cogitationes , ut alias peſſimas depellas , utpote ſuperbiæ , jactantic ; & recorderis tibi a Salomone ſapiente dictum eſſe , non te extollas in cogitatione : & rurſus in proverbiis , abominatio domini cogitationes malæ : & tandem , non eas poſt cogitationes mentis , in quibus nonniſi timor cordïs ; & afflictio . Verte in animo tuo has mentis vagationes , ac reliquias variarum cogitationum , nonniſi ad immenſam lætitiam a Deo tibi miſſas , eo ad te dicente per Pſalmiſtam , reliquiæ cogitationum diem feſtum agent tibi . Feſtivo igitur , & hilari vultu eas ſuſcipere nos expedit , ſi divini præcepti tranſgreſſionem vitare cupimus . Denique non eges lancea , non gladio , non externa armatura , ut eas vincas cogitationes : habes remedia intra te , quibus pellas hæc , quæ infra te pugnant . Cogitationes enim varias , atque debiles forti contraria cogitatione devinces . Tunc cum gaudio gratias Altiſſimo ages , dicens , delectabor in domino , quia cogitationes meæ diſſipatæ ſunt . Vale .

Epi-

Epiſtola Barth. Platinæ ad eundem Rod. Caſtellanum, eum commendans de doctrina, & humanitate. Tandem exhortatur, ut ſcribat, quo antidoto poſſit curare paſſiones animi, videlicet ſpem, gaudium, dolorem, & metum; & quid opponatur iſtis paſſionibus.

INcitare currentem non eſt opus, Reverende Pater, ac Domine. Adhibentur calcaria inerti, & frigido. Quis enim eſt tam impiger in ſcribendo, tam celer ingenio, tam excultus doctrina, & eruditione, quam Rodoricus Calaguritanus Epiſcopus? Componis tu plura, & in volumen redigis, quam alii mente concipiant. Proinde fræno magis, quam

---

Epiſtola Rod. Calaguritani ad Barth. Platinam reſponſiva. Primo eum commendat de elegantia ſermonis. Tandem agit de ſingulis animi paſſionibus, & de earum ortu, & quid eis opponatur; & de medela ad eas curandas, & de quibuſdam utilitatibus, quas afferunt.

TUam diſertiſſimam epiſtolam ſuſcepi libenter. Tantus enim in ea dicendi ſplendor effulget, tanta gravitas, tamque excellens in omni eloquentiæ genere facundia, ut eos priſcos pene divinos viros, ne dixerim imitari, quin potius excedere comproberis. Illi etſi multa orationi, ſua attulerunt induſtria; in ea tamen ſublimi dicendi vi, quæ ex philoſophia, quæ ex doctrina emanat, tibi impares videantur. Illi denique ingenue faſſi ſunt, non parum fore difficile, ut quæ quis recte ſentiat, polite, elimate, & cum quadam ſententiarum majeſtate proferat. Tibi vero id agere tam facile eſt, quam velis. Quod dicendi genus, quorumdam ſalva gratia dixerim, a multis retro temporibus uſque ad hanc tuam ætatem, pene ſepultum jacuit, in qua tu ſummo ingenio, ac ſcientiæ copia præditus, prudentiam, ſcientiam, ipſam denique ſapientiam cum eloquentia jungere viſus es, ut in ea veriore arte doceas, qua ante te pauci docti evaſerunt. Commendaſti epiſtolam ad te meam; ſed, niſi fallor, nihil in ea, niſi animum tibi deditum, niſi ingens te audiendi deſiderium commendatione dignum cenſebis, niſi ipſe reciprocus tuus ad me amor impulerit: is enim ſæpe amati hominis balbutias, diſertum ſermonem, & ſenſum conſummatum reputat. Cæterum libenter intellexi ex eadem tua epiſtola, cum priorum antidota literarum mearum legiſſes, aut omnino, aut magna ex parte ab his animi, corporiſque moleſtiis, & calamitatibus te pene fore liberatum: quibus, ut hactenus dixi, virtutem, & magnitudinem animi tui excitari Deus prius voluit, ut habeas ſemper in quo creſcas, atque ut virtus tua iners forſan, & ſine bello, comparata, notior ſit. Sed ita, doctiſſime Platina, tibi dicere libuit, ut me torpentem ad ſcibendum allicias. Scio tamen, quod tanta in te eſt conſtantia animi, magnitudo, probitas, fides, ut meis monitionibus minime egeas. Facile enim mihi fuit vincere non repugnantem, longeque fuit facilius perſuadere volentem. Utcumque ſit, quam jucundiſſime audio, inſtrumentum me fore deſideratæ valetudinis tuæ. Verum ſiquid reliquiarum perturbationis animo tuo hæret, auxilioque eges, penuria pigmentorum meorum nuſquam tibi deerit. Sæpe enim fortiſſimis pectoribus etiam levia armaturæ genera profuerunt. Cæterum ſubjicis unum adhuc ſupereſſe caput hujus perturbationis humanæ, quam tu recte hydram vocas, quo exciſo, exſiccatam, purgatamque a nobis, tamquam ab alio Hercule Lernæam paludem exiſtimas.

Ais itaque perdocte, quatuor, ut ſapientes volunt, fore animi perturbationes, ſpes videlicet, & gaudium, dolor, atque metus. Petis autem a me, quo antidoto, quave medela unamquamque iſtarum curandam ſeorſum ab aliis putem; quidve gaudio opponam, quid metui, quid dolori, quid ſpei: quibus delinimentis, quum tu, cæterique iiſdem perturbationibus vexati, fueritis perуncti, extinctas fore penitus cunctas animorum ve-

quàm calcaribus tuo acutiſſimo ingenio, tuæque ſolertiæ opus eſſe perſpicio. Hanc tuam ubertatem, hoc tuum dicendi torrens inhibere tamen nullo modo velim; cum ſolum inde ægritudini noſtræ remedia petantur. Hoc certe ſublato præſidio, nihil nobis ſupereſſet, quare amplius in vita eſſe vellemus. Quis eſſet, te uno excepto, qui nos calamitoſos tanta cum gratia, & pietate conſolaretur? Rigiditatem, & ſævitiam alii Præſides Arcium virtutem eſſe arbitrantur: tu contra humanitate, & virtute illorum opinionem in ſtultitia fundatam eſſe oſtendis. Hanc ob rem Deum continuo rogamus, ut te nobis conſervet, ut vota tua ſecundet, ut dignitates, & honores pro meritis tuis tibi reddat, & au-

---

veſtrorum ægritudines minime hæſitatis. Fateor me, doctiſſime Platina, quæſtiones ipſas ſuperiores fore ingenio meo. At quia, teſte philoſopho, bona quæſtio bonæ ſolutionis eſt cauſa, utinam tam utiliter a me quæſtiones ipſas lucubratas legas, quam ſubtiliter a te motas accepi. In primis igitur arbitror nequaquam hos difficiles quidem quæſtionum nodos in me jeciſſes, niſi ea inter tuum Ciceronem, & Brutum ſuper rebus ipſis altercatio, arbitratu meo, non ſatis diſcuſſa te commoviſſet.

Incipiam itaque ab ea, videlicet ſpe, quam primo nominaſti loco. Spes igitur, nec te latet, licet eodem nomine a philoſophis gentilibus, & catholicis appelletur, in effectu tamen longe ab utriſque accipitur. Philoſophi enim ſpem paſſionem animi poſuere, quam voluerunt eſſe motum quemdam animi ſuſpenſum quidem ad ea, quæ appetit, accipienda. Sancti vero interpretes ſpem theologicis virtutibus annumerant, prout eſt quædam, licet futura, expectatio conſequendæ felicitatis æternæ ex Dei gratia, & meritis noſtris comparandæ. Si igitur catholice ſumimus, conſtat, non eſſe paſſionem eo ſenſu, quo gentiles ſapientes dixerunt, prout eſt animi perturbatio: quin potius eſt quædam animi certa delectatio, licet ſuſpenſa paululum, quia certa expectatione, quod deſideramus, præſtolamur; nec animi eſt perturbativa, ſed gaudii inductiva. Hinc Apoſtolus, ſpe, inquit, gaudentes; quæ res agit, ut omnino mali, & damnati homines, nec dæmones ſpem habere poſſint, veluti qui omni gaudio ſunt privati, & mærore pleni. Hæc itaque ſancta ſpes fidelibus perneceſſaria eſt, illis præſertim, qui calamitates patiuntur, quia eos ſecuros, & tutos reddit. Unde in pſalmis ait Rex, & Propheta, in Deo ſperabo, & non timebo quid faciat mihi homo. Quod verbum Ambroſius exponens, tunc, inquit, de miſeratione divina amplius ſperandum eſt, cum præſidia deſunt humana. Idque pulcre roborat Gregorius: ait enim; tanto ſpes ſolidior eſt, quanto quiſque graviora pertulerit. Quare Jeremias dicebat, ſpes mea Domine in die afflictionis. Et in Eccleſiaſt. ſcribit Sapiens, felix, qui non habuit animi ſui triſtitiam, & non excidit a ſpe ſua: & iterum idem Sapiens, reſpicite, inquit, filii nationes hominum, & ſcitote, quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt. Hanc ſpem, doctiſſime Platina, hortor, moneo, conteſtor, animo tuo ſemper figas, nec morbum putes, quo morbi cuncti curantur: nec animi turbativa eſſe quovis modo poteſt, quæ quietam, quæ firmam, quæ ſtabilem reddit mentem. Quare non ſunt ad eam expellendam quærenda remedia, ſed cuncta adhibe medicamenta, ut augeas. In ea certe accommodatiſſimum remedium experieris ad eas omnes animi perturbationes, de quibus ſermo eſt.

Ad reliquum vero ſpei genus redeamus, prout eſt animi paſſio, & conturbatio. Hæc plane convenit gaudio, & ab eo differt. Utrumque enim in bono habet objectum; ſed in eo differre videntur, quia ſpes de futuris eſt, gaudium vero de præſentibus. Spei denique ſic acceptæ contrariatur metus, quia ſpes bonorum futurorum delectabilium eſt, ſed metus malorum, & afflictivorum. Hinc Anſelmus ait, nunquam ſpes cum timore concordat. Cauſatur igitur hæc animi paſſio, & generatur ex prudentia, & rerum experientia, quia, ut inquit Vegetius, nemo facere me-

augeat. Venio tandem ad id quod inſtat; & fateor, ac vere quidem, me in recidiva mea culpa incidiſſe, cum tibi medicorum optimo non obtemperaverim. Excidiſti præterea adeo docte, & eleganter morborum noſtrorum radices, propoſita earumdem cauſa, ut paucæ in nobis morborum fibræ relictæ videantur. Aſſuetudo enim, ut ſcribis, minus nobis moleſta facit, quæ patimur, ut inde nihil, niſi debilitas membrorum, & obducti vulneris cicatrix remaneat. Inſunt enim mortalibus, ut tu docte, & eleganter affirmas, vitiorum ſemina, inſunt & virtutum, ut ait Plato. Sed neſcio quo fato ad malum potius, quam ad bonum proniores ſumus. Putarim ego ſententia tua motus, has perturba-

---

metuit, quod ſe bene didiciſſe confidit. Plerumque tamen ipſa rerum experientia per accidens generat defectum ſpei: & contra, inexperientia ipſa nonnunquam eſt cauſa ſpei, veluti qui non ſunt experti repulſam in ſuis conatibus, de facili ſperant aliquid boni ſibi poſſe evenire. Idque in juvenibus intueri libet, qui ob experientiæ defectum ſunt majoris ſpei, quam prudentiæ conveniat.

Sed jam quæris, quonam antidoto utraque ſpes aut curetur, aut conſervetur: idque ex contrariis liquido cognoſces. Veluti enim ex nimio metu, ac quadam mentis triſtitia oritur deſperatio, ſic ex moderato timore, & ſtabilitate animi oritur ſpes vera: Vade Apoſtolus, conſolamini, inquit, ne forte abundatiori triſtitia abſorbeatur, qui ejuſmodi eſt. Succedit alterum remedium, ſolicitudo nimirum, ac diligentia exacta in his, quæ recta ratione agenda ſunt: ea enim agunt, ut altera ſpes non affligat, altera certior ſit, & avidius expectetur. Adde quod ſpes, quæ animi paſſio eſt, ideo perturbare animum dicitur, quia bonum differt, & tardat quod ſperatur juxta illud ſapientis, ſpes quæ differtur, affligit animum. Verum facile huic afflictioni vir ſapiens medetur. Quanto enim in longum, quod ſperat, protrahitur, tanto felicius reddi novit effectu. Quin immo & dulcius deguſtatur, quia, ut ajunt, qui cibum differt, auget eſuriem, & quod ſumitur tardius, majore dulcedine deguſtatur: Unde Auguſtinus, cum tardius Deus dat, commendat dona, non negat. Diu enim concupita dulcius obtinentur, cito autem conceſſa vileſcunt, quia protrahitur pugna, ut creſcat victoriæ corona.

Cogito jam, ut de gaudio aliquid diſſeramus. Eſt autem gaudium, ut ſapientes volunt, ex conceptu præſentium veniens feſtina jucunditas. Ex quo patet gaudium differre a ſpe, quæ ſolum eſt futurorum bonorum abſentium. Contrariatur igitur gaudio dolor, pro eo quod gaudium præſentium bonorum delectabilium exiſtit: ſed dolor eſt mali, ſeu nocivi præſentis exterioris. Denique gaudio contrariatur triſtitia. Quemadmodum, teſte philoſopho, gaudemus de bono, & delectabili, ita contriſtamur de his, quæ contrariantur bono amato. Rurſus bipartitum eſt gaudium, videlicet tranſiens, & permanens: tranſiens quoties lætamur de inhoneſtis, aut damnatis rebus; unde ſapiens inquit, qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis, quorum viæ perverſæ, & infames greſſus eorum. Eſt denique gaudium tranſiens, cum & de rebus fortunæ exultamus; unde Job dicebat, gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Ad inſtar inquit puncti, ut exponit Auguſtinus, eſt tempus, quod incipiendo deſinit, & deſinendo incipit. Aut ſi vis, expone ad inſtar puncti, ideſt ad ſimilitudinem rei pungentis. Sicut enim punctus gladii pungit, ita gaudium de rebus mundi potius cruciat propter ejus brevitatem, imperfectionem, & deceptionem, quam delectet. Hinc Salomon, riſum reputavi errorem, & gaudio dixi, cur fruſtra deciperis: & iterum, riſus dolore miſcebitur: & alibi, extrema gaudii luctus occupat. Nec aliter ſenſit de gaudio Seneca. Ait enim, fundamenta bonæ mentis eſt non gaudere vanis. Hinc Cicero, cum inaniter, & effuſe animus exultat, lætitia geſtiens appellatur, quia levis eſt, & ſine ratione, & modo capitur. Gaudium vero ſtabile, ſive permanens, mundana

bationes eſſe virtutum excitationes ; quod virtus , ut ait Apoſtolus , nonniſi in infirmitate , & reluctatione contrariorum perficitur . Hinc illud eſt , non coronabitur , niſi qui legitime certaverit . Affirmat & hoc Ariſtotelis auctoritas , qui aſſerit , virtutem , unde felicitas humana oritur , nonniſi ex frequentatis actibus , rejecto ſemper vitio , comparari . Verum hæc via , Heſiodo teſte , difficilis eſt , atque ardua , & qui eam ſequantur , poſtpoſitis omnibus , quæ in vita contingunt , pauci admodum inveniuntur . Ut igitur ex eorum numero haberi poſſimus , certe enitendum eſt , ne refugiſſe labores , te auctore nobis videamur , & hæ ancillæ , ac miniſtræ libidinum , perturbationumque noſtrarum domandæ vir-

---

dana quæque , & vana fugit , & cæleſtibus delectatur , quia ſecundum Auguſtinum gaudet de deo aut contemplando , aut expectando felicitatem æternam : & hoc gaudium cauſatur a ſpe , prout eſt quædam expectatio futuri boni æterni . Permanens denique gaudium , ut Seneca tradit , non naſcitur , niſi ex virtutum conſcientia . nec interrumpitur adverſis , nec deſinit mœſtis , quia , ut ſubdit , quod fortuna non dedit , non eripit . Quare ille vere gaudet , qui felicitatem ſuam in aliena poteſtate non ponit . Sicut igitur congruis remediis indigemus , ne tranſeunti gaudio mentem figamus , ſic opportunis medelis opus habemus , ne gaudium permanens amittamus . Eadem igitur remedia , quæ illud fugant , iſtud retinent . Conſtat enim , quia vera ſpes , firmitas animi , conſtantia , virtus denique ipſa , mundi gaudium expellunt , quæ omnia verum gaudium augent .

Supereſt , doctiſſime Platina , ut alteram animi perturbationem tangamus , quam dolorem vocant . Fuerunt qui dolorem ſummum malum appellarunt , veluti qui plus cæteris animi paſſionibus cruciat . Alii vero dolorem ad virtutem pertinere aſſerunt , cum proprium viri ſit , forti animo ferre dolorem , aut mortem aut corporis cruciatus . Ego vero his aſſentio , nec video quo pacto dolor ſummum malum exiſtat . Quomodo enim ſummum eſt , quod perbreve , & momentaneum eſt ? Hinc quidam Stoicus dicebat , contemno magnitudinem doloris , a quo me brevitas vindicabit . Nemo , ut ajunt , dolet multum , & diu . Quemadmodum autem in aſſecutione boni , ſpes , & gaudium conveniunt , differunt vero tempore , quia ſpes de futuro , gaudium eſt de præſenti ; ita in malo aſſlictivo conveniunt dolor , & metus , eademque ratione differunt . Idem de dolore , & triſtitia dicendum eſt , quæ reſpicit malum præteritum , vel futurum . Adde quod dolor proprie affligit corpus , triſtitia animum . Opponuntur tamen , & maxime contrariantur dolori gaudium , & delectatio , quia bonum præſens , & malum præſens contrariantur , in quibus conſiſtunt dolor , & gaudium , ſive delectatio ſecundum Philoſophum . Hinc Damaſcenus expectatum malum timorem eſſe conſtituit , præſens vero malum dolorem , & triſtitiam .

Antidota autem doloris plurima ſunt viro bono , & ſapienti , quorum illud in primis eſſe videtur , ipſa videlicet contraria paſſio gaudii , & delectationis . Veluti enim quies corporis , teſte Philoſopho , remedium eſt cordi , ſic delectatio , & gaudium remedium eſt dolori . Alterum antidotum eſt ingemiſcere ; non quidem effeminate flere : ſed ingemiſcit vir fortis in doloribus , quo ſe fortius intendat ad firmitatem , ut voluit Cicero . Veluti in ſtadio curſores exclamant quammaxime poſſunt . Tiro etiam cum adverſarium ferit , ingemiſcit , & clamat , non quod doleat , aut ſuccumbat animo , ſed quia profunda voce omne corpus intenditur . Talis porro gemitus dolorem non parum lenit , aut levat : cujus illa ratio eſt , quia , teſte Philiſopho , omne nocivum interius incluſum magis affligit ; minuitur vero cum ad exteriora diffunditur . Hinc Auguſtinus in ſuis Confeſſionibus ait , ſe plerumque dolere de amici morte ſolo gemitu , & lacrymis ; quæ res ei requiem afferebat . Et Gregorius ait , quia dolentem conſolatur , qui concordat dolori . Denique amicorum compaſſio dolorem lenit , propterea quod dolens cernit ſe amari ab amico condolente . Rurſus mi-

virtute , & patientia ſunt , atque ita obterendæ , ut parum virium in nobis habuiſſe videantur . Hoc ſi brevi , ut ſpero , reluctando , abs te præſertim adjutus , conſequar , faciam profecto , ut omnes intelligant , me plus pene tibi debere , quam parenti . Ab illo enim hoc quod ſum accepi ; a te vero ut bene ſim , ac bene vivam , continuo diſco . Perge igitur optime , ac doctiſſime Roderice , & hanc noſtram machinam quaſſatam crebris ictibus fortunæ , & innumerabilibus fere perturbationibus animorum , tuis fulcris , tuis ſanctis adminiculis ſuſtenta , ne & corpore , & animo concidamus . Pariet tibi hic honeſtiſſimus labor , tuaque pietas & magnam apud homines gratiam , & perpetuam in cælo lau-

 dem ,

---

mitigatur dolor ſpeculatione , & contemplatione . Eſt enim in ſpeculatione veritatis ingens delectatio , quæ omnem dolorem , & mæſtitiam mitigat , veluti de Auguſtino audiſti in ſuperioribus epiſtolis , qui dolorem dentium pro nihilo reputabat , quoniam contemplabatur , & veritatem ſpeculationis ſuæ attingebat . Denique lenitur dolor , ſi conſideratur , qui dolorem ingerit , qui eſt Deus . Nec enim niſi ſumma æquitate , & ratione hæc nobis diſtribuit , quæ afflictiva videntur : unde Seneca , mitigabis vim doloris , conſiderata æquitate facientis .

Poſtremo quartam animi paſſionem , metum videlicet , ſeu timorem diſcutiamus . Hic autem metus convenit , ſed & differt a dolore , ſeu triſtitia . Convenit quidem , quia eſt de malo afflictivo : ſed differunt , quia metus eſt de malo futuro , dolor de præſenti . Contrariatur autem metui ſpes , quia , ut diximus , ſpes cum timore non concordat . Nam iſte metuit mala , ille ſperat bona . Hinc Bernardus ; ſicut quæcumque adverſa in electis operantur patientiam , patientia probationem , probatio ſpem , & ſpes non confundit : contra , in reprobis adverſitas operatur puſillanimitatem , hæc perturbationem , perturbatio deſperationem , quæ interimit . Eſt vero metus vel ordinatus , & rationabilis , vel contra . Ordinatus ille eſt , quo quis timet , quod timendum eſt , magis , vel minus ſecundum rerum circumſtantias ; inordinatus , quo quis formidat , quod minus formidandum eſt , ſicut Rex , & Propheta ait , trepidaverunt timore , ubi non erat timor ; veluti ſi quis timet in minimis : & hic ſimpliciter eſt malus , & animi turbativus . Hinc Cicero ; metus eſt quædam malorum futurorum trepidatio , quæ utique laudabilis eſt , ſi cum ratione a malis declinat ; vituperio vero proxima eſt , ſi abſque ratione ſit cum animi fractione , quam puſillanimitatem vocant . Inter hos timores id etiam intereſt , quia inordinatus inducit deſperationem , alter vero dat confidentiam de victoria : unde ait Sapiens , in timore Domini fiducia fortitudinis . Recte profecto Salomon timorem junxit fortitudini , quia in timore eſt humilitas contra præſumptionem , & in fortitudine eſt magnanimitas contra puſillanimitatem . Procedit autem hic metus inordinatus ab anima : unde ſi vehemens eſt , rationem perturbat , & illius operationem impedit ; ſi vero ſit moderatus , ad recte operandum confert . Cauſat enim ſolicitudinem , & cautiorem reddit hominem . Hinc Apoſtolus ait , cum metu , & tremore veſtram ſalutem operamini : & Sapiens in Proverbiis , beatus homo , qui ſemper eſt pavidus : & rurſus , qui timet Deum , nihil negligit . Curatur ergo hæc perturbatio formidinis contrario ſuo , videlicet ſtabilitate ſpei , & fortitudinis , qua omnis humana perturbatio tollitur . Alterum hujus paſſionis antidotum eſt inreprehenſibilis vitæ conſcientia . Nam , teſte Seneca , timidum facit animum vitæ pravitas , & læſa conſcientia . Denique etſi ipſa excedens formido vitio attribuatur , plerumque tamen a majore malo præſervat , videlicet a præſumptione , ſuperbia , & audacia , quæ in plurima mala præcipitant : Unde Hieronymus ; præſumptio quoſdam audaciores reddit ad crimen , quos metus ſuſpendit a crimine . Oh quot mala propter præſumptuoſam audaciam ſunt commiſſa , quæ propter puſillanimitatem eſſent ommiſſa . Demum , ut ſatis mihi viſum eſt , etſi ſpes contrarietur metui inordinato , ſi tamen hic ordinatus eſt , ſpem

ſibi

dem , quam tibi propoſitam video omnium judicio , qui te noverunt, quique tuo patrocinio, tua pietate, & humanitate ſunt uſi. Unum adhuc hujus hydræ quod eſt perturbationis caput, ſupereſt, quo exciſo, deſiccatam, per te tamquam ab altero Hercule Lernæam paludem exiſtimabimus. Quatuor ſunt animi perturbationes, ut noſti: hæ ſunt ſpes, & gaudium, dolor, & metus. Intelligere abs te cupimus, doctiſſime Pater, quo antidoto, qua medicina unamquamque iſtarum curandam ſeorſum ab aliis cenſeas; quid opponas gaudio, quid metui, quid dolori, quid ſpei. His delinimentis acceptis, extinctas penitus animorum noſtrorum ægritudines putabimus. Vale, & æquo animo ineptias meas tolera.

ſibi compatitur. Eſt enim neceſſe, ut in Deum ſperemus ſimul, & eum timeamus. Timor enim ſine ſpe inducit deſperationem; ſpes ſine timore diſſolutionem.

Vides jam, doctiſſime Platina, quid ſentio de his quatuor mentis perturbationibus; cernis uniuſcujuſque naturam; contraria cernis, & antidota ad eas, aut omnino curandas, aut pro parte leniendas, quas tu tam facile tolerabis, quam non tolerare alienum a ſapiente non ignoras; pulchre dicente beatiſſimo Gregorio, quia doctrina viri per dolorum, & paſſionum tolerantiam cognoſcitur; nam tanto minus creditur doctus, quanto convincitur minus patiens: & ſubdit; nec enim poteſt veraciter bona docendo monſtrare, ſi vivendo neſciat æquanimiter mala tolerare. Hæc ad te latius, quam putavi, ſed minus, quam res exigit. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆI PLATINÆ, ET RODERICI SANCII EPISC.

DISPUTATIO
DE PACE, ET BELLO

EX CODICE VATICANO (*)

ACademicæ ſectæ hoc fuiſſe inſtitutum, memoriæ proditum eſt, ut ſcilicet nihil definiret, aſſenſumque ſuſtineret; de omnibus autem quæſtionibus probabiliter in utramque partem diſputaret. Eo rem perduxit Carneades, quod erat ſummum, ut ipſe idem pro falſo non minus, quam pro vero eloquentiæ vires intenderet, ejuſque oratione multitudo duceretur. Fertur, quum Romæ eſſet Athenienſium Legatus, uno die ipſum coram Patribus laudaſſe juſtitiam; altero die nihil eſſe natura juſtum probaſſe. Quæ res ita Catonem Cenſorem movit, ut Romani, ejus ſuaſu, in Græciam quamprimum Carneadem remittendum duxerint. A Cicerone tamen lib. II. de Orat. laudatur ob dicendi vim. *Carneadis*, inquit, *vis incredibilis illa dicendi, & varietas perquam eſſet optanda nobis*, *qui nullam unquam in ſuis illis diſputationibus rem defendit*, *quam non probarit*, *nullam oppugnavit*, *quam non everterit*.

Mos ille in utramque partem diſputandi ſæculo XVI. aliquibus eruditis viris probatus fuit; non quidem quo vetus illud Academicorum inſtitutum renovarent, ſed ingenii excolendi cauſa, atque exercitatione eloquentiæ. In his fuerunt Platina, & Rodericus Epiſc. Calagurit. qui de pace, & bello in utramque partem graviter, & acute diſſeruerunt. Idem Rodericus in prologo diſputationis narrat, quæ hujus literarii conflictus cauſa fuerit, pax ſcilicet Italiæ reddita Pauli II. Pont. Max. opera, quam abundantia quadam ingenii, atque eloquentiæ luxu celebrare inſtituerunt. Platina pacem extulit, quæ argumenti pars ſeipſa auditores voluptate, ac jucunditate perfundit.

(*) Multum nobis fuit elaborandum, ut quam promiſimus, diſputationem Platinæ, & Roderici Sancii de laudibus pacis, & belli, in lucem emitteremus. Innumeris enim mendis Codicem Vaticanum, quo uti oportuit, corruptum reperimus. Quæ intelligi omnino a nobis non potuerunt, ex aliis codicibus per epiſtolas deſcripſimus, Florentino, qui in bibliotheca Laurentiana, & altero, qui Ferrariæ extat apud hæredes Joſephi Antonii Vaccari Giojæ olim in ea Univerſitate Medicinæ profeſſoris; cujus notitiam tradit Apoſtolus Zeno in diſſertationibus Voſſianis.

Nihil enim niſi lugubre in bello. *Dolus*, *aſperitas*, *injuſtitia*, inquit Tertullianus, *propria negotia præliorum*, vaſtationes præterea, deprædationes, concremationes, afflictiones urbium, & provinciarum. Roderico autem ſubtilior diſputationis pars fuit pertractanda, de laudibus ſcilicet belli. Qua in re pro variis belli ſignificationibus veriſſime perſæpe judicat. Sed neque ubi de cupiditate bellandi eloquitur hominum inſita naturæ, aut de conjiciendis in hoſtem telis, ac de cæſis, & fugatis prælio exercitibus agit, aut denique pacem inſequitur, veritatis fines diſputando ita excedit, ut illum ad ſuas partes trahere Hobbeſius velit. Hic enim impio ſiſtemate naturalem hominis ſtatum in bello *ſingulorum in ſingulos* conſtituit. At Rodericus etſi bellum hominibus neceſſarium, eiſque ab ipſa natura inſitum eſſe putet, & probet, id tamen non a prima eorumdem conditione, ſed a natura peccato vitiata, & corrupta aperte derivat, atque declarat (*) ut ſit in ipſa ingenii contentione, fingendique licentia moderatior.

Jam de utriuſque lucubratione ita judicamus. Vis eloquentiæ, & contentio major in Platina: doctrina, & acumen in Roderico. Ille dicendi genus affert preſſum, elegans, ornatum, & quæ eloquitur veluti pingit; hic oratione fluit, ſed more ſcholaſticorum, minus caſtigata, ubere tamen, & expedita, verbiſque non quidem ornatis utitur, ſed tamen non abjectis. Profana eruditione Platina præſtat; Rodericus ſacra. Uterque fidem oratione facit, ut audiens ea ducatur, credat iis, quæ dicuntur, vera putet, aſſentiatur, probet.

(*) In ſecunda *Armorum militarium* commendatione Rodericus hæc habet. *Ea de re non aliunde bella, atque diſſidia in orbe evenire arbitrentur* (divinarum Scripturarum tractatores), *niſi ob maligni humani generis hoſtis invidiam, illiuſque continuam pugnam adverſus creaturam rationalem: quam ſiquidem reſiſtentiam, & pugnam* a peccato primi parentis fomitem ſumpſiſſe pie credimus. *Nec aliud bellum Apoſtolus ſignabat, cum ait*, induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli, *qui a principio creati mundi pacem inter homines violare, unitatem ſcindere, & tandem humanum genus inficere, & perturbare conatur. Dolet enim, ut inquit Hieronymus, unitatem, quam in cœlo habere nequit, terris homines obtinere: nec abs re auctor diſcordiæ appellatus eſt.*

Ad

Ad Reverendiſſimum in Chriſto Patrem

D. D. MARCUM BARBUM

TIT. S. MARCI PRESB. CARD. EPISCOPUM VICENTINUM

ALTERCATIO SIVE DISPUTATIO INCIPIT

DE PACE, ET BELLO

Inter R. D. Rodericum Epiſc. Calaguritanum Hiſpanum, & B. Platinam dum hic pacem extollit, bellicisque exercitiis præfert: ille contra, militaria, & bellica arma laudat, a culpaque defendit, eaque paci vitiorum nutrici anteponit.

PROLOGUS

Reverendiſſimo in Chriſto Patri D. D. M. BARBO tit. S. Marci Presb. Cardinali Epiſcopo Vicentino Rodericus indignus Calaguritanus Epiſc. SS. D. N. PAULI Pont. Max. Referendarius, ac arcis ſuæ S. Angeli de Urbe Caſtellanus, & Barth. Platina poſt utriuſque meam humilem commendationem.

CUM nuper ejuſdem SS. D. N. opera, labore indefeſſo, ac mirabili pene vigilantia, pax inter populos Italos poſitis armis, & odiis, quibus in mutuam certe, & plurimorum fidelium, populorumque perniciem ruituri videbantur, confecta eſſet, deque tanta re, tamque mortalibus perjucunda, ut fieri ſolet, ſermo haberetur, non ſine ingenti pontificalis dignitatis amplificatione, factum eſt, ut eo magis de accepta pace lætitia augeretur, quo magis de pacis ipſius innumeris bonis ſermo tenderetur. Verum quemadmodum lux non niſi in tenebris ſplendet, nec aliter in cœteris rebus humanis: tanto ſiquidem unaquæque res præclarior redditur, quanto inſignior, fortiorque ei hoſtis inclinat. Nihil enim, ut putamus, tantum illuſtrat pugnatorem, quam hoſtis ſtrenuitas. Nam, ut ajunt, fortis eſt, qui fortiſſimo adverſatur. Herculis ſiquidem vires leo ferociſſimus patefecit, & quantum David fortis fuerit, adverſantis Goliath gigantica ferocitas demonſtravit. Pacis ergo, atque humanæ quietis mirificas laudes non ſatis arbitramur agnoſci poſſe, niſi armorum, & bellorum præconia, commoditas, ac neceſſitas recolatur. Veluti itaque etiam apud veteres mos fuit ob adeptam pacem ſingularia certamina athletis, aut aliqua bellorum præludia inſtituere ad publicam populi lætitiam; ſic nos, ut de pace ipſa uberius gaudeamus, ſingulare quoddam inerme certamen inire decrevimus: & dum de pace immortali Deo, ejuſque in terris ſummo Vicario gratulamur,

mur , de pace , & de bello duellum inſtituemus , ut pacem ipſam bello quodam feſtivemus .

Erit igitur non inſulſa , nec parum grata contentio , in qua ille erit dicendi ordo . Ego ſiquidem Barth. Platina , ut junior , cuique natura aggreſſiva eſt , conflictum, pacis gratia , & favore aggrediar , & dum pacem laudo, in bellum , veluti pacis hoſtem , plurima nationum, & auctoritatum immittam jacula . Et contra ego Rodericus Calaguritanus Epiſcopus terrenam quietem , quam pacem vocant , tamquam plurimorum vitiorum nutricem , inertem , timidam , inſtabilem , atque fictam plurimis jaculorum ictibus inſequar , armorumque bellicum exercitium , non modo a culpa defendam , ſed & pluribus extollam laudibus ; dum quidquid ad religionem , ad pietatem , ad æquabilitatem , ad honores , ad ſegnitiem vitandam , ad omnem denique virtutem ſectandam , Platina noſter , pacis gratia , referebat , ego ignaviæ , deſidiæ , negligentiæ ſocordiæ aſcribere conabor . Armorum , bellorumque originem , nobilitatem ſimul , & veritatem invincibilibus , ut ita dixerim , argumentis , & rationibus perſtringam .

At quia res humanæ per negationem , ut ajunt , dubiæ redduntur, opus eſt judice . Quare communi , immo omnium aſtantium conſenſu , arbitrum inter nos diſceptantes æquiſſimum delegimus , cujus ſententiæ, auditis utriuſque prædictis rationibus , ſtandum eſſet . Recte igitur delegimus te , Pater ampliſſime , quem certo ſcimus , ob integram animi tui conſtantiam , ſingularem ſapientiam , & prudentiam , rectam , & firmam ſententiam allaturum , cui non nobis tantum eſt ſtandum (tanta eſt auctoritas , & conſtantia tuæ dignitatis) , ſed & iis , quos inter talis contentio , & diſcrepatio deinceps orietur , ejuſque correctioni , ac emendationi quidquid dicturi ſumus , devote , ac humiliter ſubjicimus .

BAR-

BARTHOLOMÆI PLATINÆ
TRACTATUS
DE LAUDIBUS PACIS

Nuper a SS. D. N. Domino PAULO Divina providentia PP. II. edictæ ad Reverendum ac doctiſſimum in Chriſto Patrem D. D. Rodericum Epiſcopum Calagur. ac S. Angeli de Urbe fideliſſimum Caſtellanum.

NOn erit fortaſſe abſurdum, vel ab otio meo alienum, ſi quod plerique præſtanti ingenio, doctrina, eruditione, experientia viri non ita probarunt, bello pacem anteferendam oſtendero. Neque mihi hac in re magno opere contendendum arbitror, cum hæc noſtra cauſa ob utilitatem, & honeſtatem, quæ potiſſimum potentes ad perſuadendum ſunt, plurimos habitura patronos ſit, & aſſertores. Quis eſt enim (qui modo non ſit omnino Marte, ac perturbatione genitus) qui non malit, quod confert omnibus, quam quod nocet, approbare? In bello ſiquidem direptiones provinciarum, everſiones urbium, cædes, rapinæ, incen-

---

COMMENDATIO ARMORUM MILITARIUM

Ac neceſſitas, & utilitas belli, & exercitii illius, & a culpa defenſio; ac difficultas aſſequendi in hoc ſæculo veram quietitudinem, quam pacem vocant; & quæ ſit vera pax laudibus digna, & peroptanda; & de incommodis, ac vitiis ex longa inertia, atque pacis ſecuritate provenientibus, edicta a Reverendo Patre D. Roderico Epiſcopo Calagurit. Hiſpano, Caſtelli Sancti Angeli de Urbe Caſtellano, reſponſiva ad præced. tractatum.

LOcuturus de armorum præclaro exercitio, ac bellicarum commendatione actionum, neceſſitate, & utilitate poſt laudatam plurimum pacem a te præſertim, doctiſſime, ac eloquentiſſime Platina, nil aliud cenſeo, quam non unius modo, aut plurimorum, ſed totius, ut ita dixerim, humani generis inſidias, odia, bellaque in me unum congerere, tantoque duriorem ſuſcepiſſe provinciam videor, quanto tu gratiorem. Quis enim facile, quis libere bella ipſa ſine periculo, ac ſine bello ipſo laudare poteſt? Mihi crede, inter pacem, & bellum in eo laudis genere id intereſt; pacem utique laudare facilius eſt, quam obtinere. Si enim illam laudare velimus, verbis ſolum opus eſt; adipiſci autem ſi optamus, labore, viribus, ſenſu, virtutumque non parvo cumulo indigemus. E contrario in bello eſt. Illud certe longe facilius obtinemus, quam tute laudare poſſimus. Adde: pacem qui laudat, lucem facibus juvare conatur; laudat enim eam ipſam rem, qua, teſte magno Aurelio, nihil dulcius cogitari, nihil jucundius optari poteſt. Bellum vero, quippe ipſum belli nomen

cendia, ſacrilegia, furta, proditiones, doli, fraudes, ac quævis genera flagitiorum committuntur; quod naturam, optimam ducem, ſi eam imitaremur, invertere profecto, & fœdare eſt. Parentes mœſtos, & lacrymantes ob immaturam, & acerbam filiorum mortem, ducere funera, & quidem frequentia cernimus: hos poſtea extrema ſenecta, cum deſint, prælio interempti, qui alimenta ſubminiſtrent, vitam miſeram, & inopem degere neceſſe eſt. Quid ſi conjuges viduas relinquerent, quarum vita ex marito pendet? Quid filios, quos non victum modo, ſed mores, & inſtituta pariter ab ipſis genitoribus accepiſſe oportuit. Quid reliqua familia, quæ a debilitato ſene ad validum juvenem oculos conjiciens, illo deficiente adminiculo, huic tota inhæret? Oh miſeros, oh infortunatos parentes, oh derelictas, & deſtitutas conjuges! Oh genitore expectato, orbatos filios! Quid quod majorum ſepulchris, & ſolo pa-

---

men, ita mortalibus horrendum eſt, ut non modo laudare, ſed nec audire vulgus æquo animo poſſit. Verum eum inter mortales judicem delegimus integerrimum, cujus ſumma ſapientia, animi ingens magnitudo, probitas, ac rectitudo, ſecurum nobis campum in hoc certamine pollicetur. Suſcepta a ſua R. P. dicendi ſecuritate, ac ſalvoconducto, aggrediar pugnam. Atque non vulgares loquor, qui humanam felicitatem non aliam, quam temporalem quietitudinem terrenarum rerum putant. Erit propoſiti, non tam mundi pacem perſequi, quam arma, bellaque tueri, ſine quibus pax ipſa non facile obtineri poſſe videtur. Expedit igitur, ut ego, quem ad hoc bellum provocaſti, bellum ipſum bello defendam, non quidem gladio illicitæ offenſionis, ſed galea, & ſcuto modeſtæ defenſionis; quo veluti honeſto quodam bellandi genere pacem tuam, quam terrenam quietem vocas, inertem certe, plurimorumque vitiorum incenſionem inſequar. Et quia ea tenacius retinentur, quæ ordinatius dicuntur, illum in dicendis ordinem ſervaturus ſum. Nam ſi vera Ariſtotelis eſt ſententia, quia oppoſita juxta ſe poſita clarius illuceſcunt; veluti in prima tuæ Orationis parte, plurima armorum incommoda, damna, cædes, ſacrilegia, & innumerabilia pene ſcelera, quæ ex bellicis actionibus procedunt, elegantiſſime adduxiſti: E contrario ego bella ipſa, præclaraque armorum militarium exercitia, non modo a culpa peccatoque defendam, ſed plurimas eorum excellentias, ac peculiares gloriæ, & honoris commendationes ſingularius depromam. Secundo in loco, ſeriem dicendi tuam ſequens, veluti meam, pro te pacis plurima utilia, & humanæ vitæ jucundiſſima attuliſti; ſic ego non pauca, nec parva, ex inerti pace incommoda, damna, ſed & flagitia proveniſſe, aperta lucubratione ediſſeram. Rurſus quænam vera pax ſit, quæ tuas mereatur laudes, brevi ſermone ſubjungam.

In primis, doctiſſime Platina, non ignoro, habebis tu in hoc noſtro conflictu plurimorum, dicam verius, totius humanæ turbæ præſidia. Hinc ſacra tenentes, & religioni dediti tibi applaudent dicentes cum Paulo Apoſtolo, quod immortalis Deus, tamquam auctor pacis, non niſi pacis tempore coli poteſt. Hinc & urbium cives tibi blandientur pro eo quod, teſte philoſopho, humanæ politiæ finis quidam eſt ipſa civium concordia, quæ pacis nomine inſignitur. Hinc magiſtratus, & jura reddentes gratias tibi agent, quia, ut ajunt, jura non reddit gladius, cum cædat lex victoribus armis. Hinc te ſequentur mercatores, agrorum cultores, artifices, & alia indocta hominum multitudo dicens illud Ennii, quod omnia pacem precantur. Hi tamen, niſi fallor, verbis tantum partes tuebuntur tuas. Arma vero eis adeo aut gravia, aut moleſta ſunt, ut pro te ea nuſquam ſumant, quæ pro ſe capere non noverunt. Sed & ea ratione tibi in eo conflictu præſidio non erunt, ne transfugæ vitio rei habeantur ad caſtra hoſtium tranſmigrantes. Ego vero omnes eos habeo in hac pugna conſortes ſimul, & ſententiæ meæ ſectatores, qui unquam Urbem, & Orbem domuerunt, quive a mundi origine ad

patrio carentes ſine honore , ſine pompa funeris , nullis exequiis , nullis juſtis perſolutis , tamquam brutorum cadavera inſepulti jacent , alitibus , & feris expoſiti ? Non dico , quos cruciatus ad mortem , ob acerbitatem vulnerum , & injuriam medicorum perpetiuntur , cum eorum nemo plerumque adſit , ad quos ægrotantium ſalus pertineat ; quos animi angores , cum inter arma , & equos , inter ſtrepitum belli , & terrificas tubas eis ſit expirandum , nullo adhibito , quod ægrotis ſolemus , vel animi , vel corporis delinimento . Non illic adeſt ſedula uxor , non ſoliciti liberi , non amici , qui mæſtum , & vulnerum gravem conſolentur , & adjuvent ; non adſunt Sacerdotes , qui ea diligentia , qua uti in pace ſolent , repurgata noxa , adhibitis more chriſtiano eccleſiaſticis Sacramentis , veram ſalutis viam morienti oſtendant . Qua quidem ex re ſolatium capi quotidie cernimus : tanta enim expectatione futuri boni in

K iis ,

---

ad hunc uſque diem clariſſimi evaſerunt . Pugnabunt denique mecum , quos tu eleganter nominaſti , Nembroth robuſtiſſimus , ſed & Abraham Dei Amicus , ejuſque juſſu ſæpe bellans ; pugnabit Moyſes Dux , & Sacerdos , qui ait , ponat unuſquiſque gladium ſuper fœmur ſuum , & jungatur mihi in bello ; pugnabit Sanctus David , qui bellis , & armis Deo placuit , & magnum de eo teſtimonium perhibuit . Nec deerunt viri omni ſtudio famoſi Machabæi . Pugnabit mecum ille Sanctus , qui Chriſto dixit , Domine non ſum dignus . Sed quid hæc commemoro ? Tuebuntur meam ſententiam magnus ille Alexander Macedo , Darius , Achilles , Hector , Hercules , Cirus , Romulus , Annibal , Scipiones, Camilli , Bruti , Publicolæ . Deinde erunt auxilio Pompejus , Cæſar , Octavianus , & Antoninus , cæterique omnes , qui non in torpenti pace , qua plurimi inſignes viri ſorduerunt , ſed bellis , & armis toto terrarum orbe ſempiternis laudibus illuſtrari meruerunt , quorum in pace nulla , aut non tanta foret gloria.

Bellorum naturalis origo . Rurſus deducitur cuncta fieri , & conſervari naturaliter quadam pugna . Denique bella ipſa neceſſaria, & utilia fore monſtratur .

Primam igitur partem aggredientes militarium armorum , ac bellicarum actionum , decem inter cæteras excellentias , & totidem præconia , & laudes adducemus . Primam igitur bellorum prærogativam ex illorum antiqua origine , & primæro rerum omnium ortu conſpicere libet . Ut igitur cætera omittam , illud Homeri tui principis maximi poetarum veriſſimum puto , videlicet omnia in lite , belloque fieri , quod nonniſi natura ipſa impellente , aut quodam divino miraculo , ita inſtitutum eſſe reperies . Jam enim terra fremit , maria fluctuant , ſtellæ ipſæ oberrant firmamento , aera invicem confligunt , bellum immortale gerunt venti , tempora denique ipſa pugnant cum temporibus , æſtas cum hyeme , ver cum autumno ; & ut paucis cum quodam ex ſapientibus agam , ſecum ſingula pugnant , nobiſcum omnia . Adde quod ea contrarietas temporis , quam viciſſitudinem vocamus , nil aliud eſt , quam pugna ; nec aliunde provenire putes tot horrendos terræ motus , tot ſtupendos turbines , tot fulminum impetus , tot grandinum inſultus , tot procellarum rabies , tot maris clangores . Ex pugna quidem ventorum vides in mari fluctuoſos rumores , & incertis vicibus alternantes certos fluxus , & refluxus .

Denique ſi ad animantia tranſis , omnia inter ſe naturale , atque æternum odium , & bellum habere cernuntur : nec aliquod animal pugna vacat . Piſces , fera animalia , volucres , ſerpentes , homines denique in bellis verſantur : nulli rei creatæ quies data . Una ſpecies aliam exagitat , leo lupum , lupus canem , canis leporem inſequitur : nec modo unum animal alterum diverſi generis perſequitur , ſed ſuam ſpeciem , ſuum individuum . Conſpicis enim aves ejuſdem ſpeciei aves invadere , effractiſque ovis , ſpeciem prolis interimere ; in quibus diverſas inſidias , excubias ,

do-

iis, qui de clementia ſummi Dei bene ſperant, leviorem fieri mortem, multorum exemplo videmus. Quod ſi certe etiam redeundi ad vitam eis optio daretur, nollent non mori, præſertim cum bene morientibus propoſita ſit vera illa, & æterna felicitas.

Non negaverim ego propterea pro Laribus ſumenda eſſe bella, modo juſta, & legitima ſubſit cauſa. Propulſare nimirum injuriam licet, natura ipſa adjuvante, quæ ut feris dentes ad tutelam, & ungues, ita hominibus armatas manus ex induſtria præſtitit. Hinc ego natam fortitudinem arbitror, quæ ſeparari a reliquis virtutibus, maxime vero a juſtitia, non poteſt. Fortem ne eum, prudentem; ac juſtum appellabis, qui libidine dominandi, aliena vaſtat, urbes delet, oppida excindit, liberos populos ſubjicere ſervituti conatur? Hunc inquam fortem exiſtimabis, qui, quo plures homines afflixerit, ſpoliaverit, occiderit, eo

---

dolos alterum in alterum exercere conſpicies. Rurſus ex ea naturali pugna inſurgit tanta vigilantia venatorum, tanta ad feras, aves, piſceſque capiendi ingenia, quæ omnia bellorum inſtrumenta ſunt. Cæterum ſi innumerabilia animantia commemorare velis, cernes inexplicabilem inter angues, & ranas cum ciconiis pugnam. Noſti ut in animalibus Ariſtoteles voluit, Baſiliſcum reliquos ſerpentes ſibilo terrere, & fugare, & viſu perimere. Sed & inter manſueta animalia nulla quies; nam inter porcos, & urſos, quæ natura concertatio? Rurſus inter tauros: ut enim ferunt naturales, tanta eſt illorum inter ſe ſe inimicitia, ut adverſis cornibus pugnent, redeantque ad vindictam: ita ut ſi recte cenſeas, bellum unum cunctis ſit animantibus; & ſine pugna nil genuit natura parens. Volucres nunquam non vides bellantes. Galli enim ſe ſe calcaribus impetunt, adeo ut mirandum ſit, tantum invidiæ, & ſuperbiæ, in tam parvo eſſe animali. Anſeres vero, cum armis careant, clamoribus, & alis ſe ſe exagitant, ac roſtris verberant. In mari non minor pugna; piſcis piſcem devorat, nec ſuo individuo parcit. Nec obſtat, doctiſſime Platina, ſi ais, quod animantia ipſa propter prædam, & alimenta odium, & bellum gerunt. Cur ergo abſque illis bella non ceſſant?

Ut tandem ad homines veniamus; quis non cernit inter conjuges repugnantias, querelas, ſuſpiciones, in ipſos filios indignationem, quos aliquando dum bonos cupimus, noſtris reſiſtentes monitis, malos lugemus? Quid de fratribus? Nonne ipſam orbis reginam tam celebri pugna diffamatam clamitas, pro eo quod eam legas fraterno ſanguine maduiſſe? Quid igitur de bellis inter jam natos quereris, cum naſcituris noſti bella ipſa non defuiſſe? dum in matrum uteris bellaſſe fratres Scriptura teſtante cognoſcis. Cur ne ergo bellis jam nati carebunt, quibus, antequam eſſent, minime caruerunt? Denique cuncta, quæ agimus, nonniſi ad bella, & diſſidia ordinamus. Quid enim eſt, cum arces, cum turres munitiſſimas tanto ſtudio, & cura fabricamus, niſi ut aut bella geramus, aut excipiamus? Itaque bella aut mente, aut actu gerimus.

Adde, quod ipſa inſenſibilia pugnam habent. Quid cum ferro magnes diſcordiæ habet? Quid cum magnete adamas? Quorum repugnantia, etſi occulta, ſit pugnæ tamen nota; cum magnes ferrum trahat. Adhibe adamantem, ferre deſinet, ut ait Ariſtoteles. Ex quibus apparet, veriſſimum fore illud homericum, omnia in pugna fieri. Præterea, ut muſicalia tangam, ipſæ muſicales voces nonniſi inter contrarietates concentuum ad veram harmoniam, & muſicalem concordiam perveniunt. Si igitur quæcumque ſint conſideres, animoque volvas, reperies omnia in cœlo, terra, maribus, & in ipſo profundo pelagi, terræque partibus, in ſilvis, in agris, in arenarum deſertis, in plateis, urbibus pugnam æternam, & implacabile bellum habere. Quæ cum veriſſima ſint, mirum quod homo, etſi ratione præditus, vitam ſe ſine prælio ducere arbitretur, qui non modo

eo ſe nobiliorem, & clariorem putat? Hac quoque ratione graſſatores, gladiatores, lictores, carnifices, qui ad perniciem hominum nati ſunt, fortes nominabimus. Quod quidem ab omni religione, pietate, & humanitate alienum eſt. Factum eſt hoc ſcriptorum culpa, maxime vero hiſtoricorum, qui, quo plures quis in prælio interfecerit, eum triumphos, ſtatuas, trophæos, honores tum divinos, tum humanos merito aſſecutum oſtendunt. Hinc orta eſt pernicioſa illa æmulatio, qua & Alexander Achillem, Melchiades Themiſtoclem, Cimonem Themiſtocles, Cæſar Alexandrum divina, humanaque omnia pervertentes, rerum geſtarum gloria, imitari, vel ſuperare conati ſunt. Hos etiam gentilitas illa, quod pejus eſt, ſanguine madentes, in Deos ob ſævitiam, & crudelitatem refert, quo nihil certe poteſt naturæ divinæ magis eſſe contrarium, qua admonemur continuo, religionem, pietatem, humanita-

---

do cum cæteris rebus, ſed ſecum inexplicabilem pugnam gerit, ut latius inferius tangemus. Sed ut pulchre unus ex poetis ait, quod ſi nulla alia, quam Romanorum bella fuiſſent, illa orbi ſufficerent.

Verum quid prædicta commemoravimus? Nam quo pacto deerit bellum, aut pugna, cum in ipſa ſcientiarum inquiſitione diſſonantiam, & inexplicabiles contrarietates videamus? Quis eſt, qui ignorat tantam philoſophorum repugnantiam, tantam ſectarum varietatem, & ut poeta laureatus ait, cur reges, aut populi quieſcent, ſi philoſophi non quieſcunt? Si ſapientes pugnant? Illi de rebus humanis, iſti de divinis, de veritate contendunt. Alius Academicus, alius Stoicus, alius Peripateticus. Sed nec Grammatici quieſcunt. Dialecticis vero tam proprium, tamque innatum eſt bellum, ut ipſa ars non niſi bellum, concertatio, & diverſa altercatio ſit. Ubique diſcordiam, ubique clamores reperies. Juris periti vero, an diſſideant, ipſa litium immortalitas demonſtrat. Diſcordantia vero medicorum non aliunde comprobatur, niſi quod ægrorum vitam ſuis altercationibus faciunt breviorem. De religione vero, & ſacris agentes inter ſe adeo diſſident, ut etſi, teſte Ariſtotele, veritati omnia conſonent, de ea ipſa diverſæ ſententiæ plerumque emanant. Rurſus in actibus hominum, quid niſi repugnantiam conſpicimus? Ut verum ſit, quod Flaccus ait, quod ſua cuique ſententia ſecum pugnat. In cunctis litem, bellumque reperies. Inter duces in ordinanda acie; ante ipſam pugnam aliam pugnam cernes, & in conſtituendis legibus, in eligendis magiſtratibus repugnantia primo. Nec in mecanicis artibus diſſonantia, & pugna deeſt; dum alter Carpentarius domum ſic, alius ſic ædificat, alius ibi portam, alius alibi deſignat, & ut paucis agam, omnes hominum actus, atque conceptus in diſſonantia ſunt conſtituti, dum diverſos, & averſos in nobis motus conſpicimus. Alius enim vult, alius non vult, alius amat, alius odit, alius blanditur, alius minatur, alius irridet, alius fingit, alius fallit, alius parcit, alius iraſcitur, alius ſcit, alius neſcit, alius obliviſcitur, alius recordatur, alius diligit, alius invidet, & quæ ſunt hujuſmodi; adeo ut ſine ulla requie ab ingreſſu in hanc lacrymarum vallem uſque ad exitum, fluctuet, & inter diverſa pugnet mortalis vita, ſecumque ſit lis, & quædam inevitabilis affectuum colliſio, ut veriſſimum arbitreris, quod in omnibus rebus diſſonantia, & pugna, ſolum cum voluptatibus, & nolitis nulla lis, nulla pugna, ſed omnium conſenſus ſit. Si enim aliquid virtutis in homine erit, neceſſe eſt gravia admodum bella, aut gerat, aut ſuſcipiat. Quis enim ſatis exprimere valeret inexplicabilem conflictum, aſſiduamque pugnam virtutum contra vitia, dum adverſus humilitatem ſuperbia armatur? Contra timorem Dei inanis gloria inſultat? Contra veram religionem ſimulatio? Contra dilectionem invidia? Contra ſubjectionem pugnat contemptus? Contra correctionem detractio? Contra patientiam ira? Contra manſuetudinem protervia? Contra virtutis exerci-

tem , gratiam , & æquabilitatem ſervare . Quæ ſtultitia quæſo iſtá eſt ; eum , qui unum hominem occiderit , nefarium , & ſceleſtum putare ; & eum , qui centena millia perdiderit , qui Orbem terrarum deleverit , qui eorum templa , quos in cælo ſocios habiturus eſt , prophanaverit , colere , ac divinis honoribus proſequi ? Conceſſum hoc quondam vix Herculi eſt , ut ſcribunt poetæ , qui monſtra ad perniciem hominum nata , multorum ſudore , & gravi diſcrimine domuit . Non multa hominum millia trucidavit , non cruore provincias , & campos inundavit , non flumina infecit , ut Cirus , ut Alexander , ut Hannibal , ut Claudius Nero , ut Marius , ut Sylla , ut Pompejus , ut Cæſar , quorum triumphi , extincta magna humani generis parte , in precio ita ſunt habiti , ut nunc quoque cum admiratione inſpiciantur quidem , & legantur . Non poſſum non admirari , hac in re præſertim , doctorum quorumdam ſententiam iis quo-

---

citium torpor , vel ignavia ? Contra mentis firmitatem armatur diſſoluta vagatio ? Contra mundi contemptum cupiditas ? Contra veritatem fallacia , atque mendacium ? Contra parſimoniam ciborum ventris ingluvies ? contra carnis integritatem luxuria ? Contra moderatum mœrorem inepta lætitia ? Cernis igitur tam inevitabile bellum hominibus ineſſe : aſpicis tam conglobatas vires , tam fortes ad pugnandum acies intra pectus humanum . Vides jam , diſertiſſime Platina , particulatim , & ut ita dixerim , ad ſenſus , omnia in lite fieri , cuncta in bello verſari .

Supereſt , ut univerſalibus teſtimoniis conſpicias bella ipſa ex quadam repugnantia rebus creatis naturaliter ineſſe ; idemque oro auſcultes . Equidem armorum præclara exercitia , & bellicas actiones ipſo naturali jure , & primordiali rerum diſpoſitione ortas eſſe nemo ambiget . Ariſtoteles ſiquidem ipſa entium principia contra invicem , & plurimum repugnantia aſſerit ; & iterum unam voluit fore primam contrarietatem in quolibet ente : quo evenit , omnia entia , ac ſubſtantias rerum , ne dum componi , ſed & conſervari quadam pugna , & contrarietatis repugnantia naturali .

Rurſus , ut cunctorum pertractantium eſt ſententia , omnibus rebus innatam credimus naturalem inclinationem , quá facile quævis repugnantia excludunt . Idque in rebus eſt naturalibus non modo ſimplicibus , ſed & mixtis . Conſtat ſiquidem diverſis contrariis elementis mundum eſſe compactum , inter quæ aſſiduam conſpicimus pugnam ; & nunc calidum agit in frigidum , nunc humidum in ſiccum inſurgit . Aquæ inſitum eſt reſiſtere , pugnamque igni inferre , quod nulla alia ratione accidere arbitramur , quam ob qualitatum ſibi innatarum repugnantiam . Sed & in mixtis idipſum intuemur , veluti in animalibus brutis , quæ utique naturali complexionum repugnantia impellente , alterum naturaliter inclinatur in alterum pugnam habere , ut lupus in ovem , canes in lepores . In volatilibus vero major , nobiliorque pars , non niſi ex bello , rapinaque victitat , ut aquila , accipitres in cætera avium genera ; quod & in rationali creatura tanto excellentius conſpicimus , quanto magis natura in nobis ſollicitior eſſe debuit , quam in brutis , veluti quæ noſtro obſequio creata ſunt . Eſt enim hominibus inſita naturalis diſpoſitio , & innata inclinatio ad profugandum , expellendumque quodcumque nocuum , & ſibi repugnans . Non enim ſagax ipſa , & parens natura minus debuit eſſe ſolicita in conſervatione creaturæ rationalis , quam brutorum, cum ſit longe nobilior : quo fit , ut contrarietas elementorum , quibus homo compactus eſt , ac repugnantia humorum diverſorum intus hominem nata , ipſum hominem conſervet ; qua contrarietate ceſſante , ut vita ceſſet hominis neceſſe eſt . Liquido igitur patet , animalia ipſa naturaliter fore bellativa . Aliás autem ſerviunt , aut pereunt . Hinc Ariſtoteles in politicis ait , bellicas actiones fore ſecundum naturam .

Natura igitur ipſa bella inſtituta ſunt , id-

quoque erroribus implicitam, qui hac digladiandi ſævitia, quàm eandem virtutem appellant, immortales fieri homines exiſtimant. Mori mehercule malim, quod id quidem amicis meis contingat exopto, quam potentiæ aut dominatus cauſa exitio eſſe quamplurimis. Ad immortalitatem reſpiciunt ii, ut video, immo vero ad voluptatem, ad licentiam peccandi, qui id agunt, nullo modo adhibito flagitii, & crudelitatis genere, ut ſoli e pluribus eſſe videantur. Immortales fieri homines virtute, non vitio, non fraude, non ſuperbia, non crudelitate, veri adſcribunt hiſtorici. Quid? Si, ut eorum vita improbatur a bonis, ſic quoque eorum animi apud inferos cruciantur, cum exprobratione crudelitatis, & ſuperbiæ? Ut bonis enim ex divina juſtitia propoſita ſunt præmia, ita & malis pœna, & cruciatus. Conſidera quæſo, quam falſa ſint hominum in rebus humanis judicia. Quos enim mites, ac clementes in bello dicimus, quod millies pepercerint, ut Philippum magni Ale-

---

idque ſi amplius agnoſcere vis, videbis omnium mortalium vitam in quadam pugna conſiſtere, non modo inter ſe ipſos, ſed ad cæteros: ut verum ſit, quod Sanctus ait Job, quod non eſt, niſi bellum, & militia; vita hominis ſuper terram. Nec illud quorumdam juris peritorum nobis obſiſtit: ſuadere enim videtur, bella ipſa jure gentium orta eſſe. Quod ſane intelligendum arbitramur. Fatemur enim, ut ſapientes volunt, naturalem ipſam ad bella, & pugnam inclinationem ex principiis naturalibus fuiſſe introductam. Regulationem tamen, ac rectitudinem ejuſdem inclinationis fore introductam de jure gentium.

Rurſus ex bellorum ipſorum prioritate, illorum commendatio comprobatur. Fuit enim bellorum initium in ipſo paradiſo terreſtri in prima hominis origine, ne dum inter homines, & ſerpentes; quam bellorum originem ſecuti juriſconſulti, legibus ſuis id fateri videntur, cum inquiunt, quod prius apud Romanos fuit data opera bello, quam legibus; & alius juriſconſultus ait, quod antiquior fuit exercitatio armorum Romanis, quam caritas filiorum.

Ad bella omnes mortales non modo a natura, ſed ſupernaturaliter inclinari: & quod varia ſunt genera bellorum, diverſæque cauſæ, quæ ad bella ipſa incitant.

Secunda bellici exercitii excellentia, & ingens militarium armorum præconium, non modo ex naturali inclinatione cognoſcitur, verum etiam ex ſupernaturali diſpoſitione. Pro cujus rei clariore deductione, diſtinguendas putamus diverſas bellorum ſpecies. Quoniam aliud eſt naturale, aliud cæleſte, aliud humanum. Humanum rurſus aliud interius, aliud exterius. Quæ omnia bellandi genera nonnulli philoſophantes voluerunt, ex quadam ſupernaturali diſpoſitione neceſſario ventura fore, adeo ut, ſi naturales ſemitas, & demum ſuper cæleſtium corporum motus, atque influxus intueri libet, cælum ipſum, ſed & mundialem fabricam non abſque vario, contrarioque motu, ac pugna conſiſtere poſſe credatur; adeo ut neceſſitate quadam bella in orbe eſſe oporteat: quod ſic demonſtare, non inſulſe, videntur. Cum enim juxta Ariſtotelis ſententiam cælorum perpetuus ſit motus, inde fit, ut corpora ipſa cæleſtia, ſua natura repugnantes effectus in hoc inferiori orbe operentur. Neceſſe eſt enim hunc inferiorem orbem, ut ſapientes voluerunt, ſubjectum eſſe ſuperioribus rationibus, ut virtutes ſimul, & repugnantias bellorum rebus inferioribus influant; quam utique repugnantiam non aliunde exſurgere putandum eſt, niſi varietate aſpectuum corporum cæleſtium, atque motuum ipſorum: idque ad ſenſum libet conſpicere. Siquidem ex varia correſpondentia corporum ipſorum cæleſtium, tempore, quo civitates conſtruuntur, ſæpe repertum eſt, naturaliter ſe odio habere; alias ſeſe nimia complecti dilectione, nullis præcedentibus aut meritis, aut demeritis,

Cum

Alexandri patrem in Græcos , ut Pyrrhum in Romanos captivos , ut Cæſarem in cives eoſdem , mutata ſententia ob multitudinem interfectorum hoſtium , ob everſas Urbes , ac deletas provincias , in cælum laudibus ferunt . Quaſi vero illa fortitudo , quam tantopere laudant philoſophi , non in animo potius , quam in lacertis ſit poſita . Ut enim belluarum eſt parcere , modo feritatem , & rabiem expleant ; ita homini natura tributum , ut poſthabita crudelitate , & ſævitia , etſi juſta decertandi cauſa ſubſit , multitudini parcat , innoxias civitates conſervet , & quos projectis armis ſupplices ad ſe manus tendentes videt , eoſdem in fidem , & clientelam more majorum ſuſcipiat . Hoc volunt & jura belli , quæ qui prætererierunt , immanes omnino , & crudeles ſunt habiti . Quid enim laudabilius eſt ? Quid magno , ac præclaro viro dignius ? Quid item , quod nos Deo magis , quoad fieri poteſt , ſimiles faciat , quam homines , unde humanitas , & placabilitas dicta eſt , conſervare , & in

---

Cum igitur bella ipſa , atque hominum diſſidia nonniſi ex odiis , & diſſonantiis contrariorum appetituum procedere dignoſcantur , conſtat denique , quod appetitus ipſi qualitates corporum cæleſtium , ſaltem inclinative ſequantur . Non abſurde philoſophi ipſi , circumſcripta doctrina canonica , naturalia aſtrorum veſtigia ſectantes , aſſerunt mundum abſque bellis , & diſſidiis non poſſe diuturnari : quamquam catholici interpretes fateantur , ipſam naturalem potentiam , & aſtrorum vim non directe ad bella ipſa incitare , quando reſiſti eis poſſit ab hominibus , licet id rarum ſit ; agunt enim , quod in humano interiore bello uniuſcujuſque hominis idipſum reperitur , ex quo validum ad exterius bellum argumentum ſumitur : quod naturaliter demonſtrari poſſe videtur . Nam palam eſt homine prius eſſe mundum . Veluti ergo generatio cauſatur in primo mundo ; ſic quadam adæquatione fit in univerſo . Conſtat quidem nullam fore in primo mundo rebellionem , nullam repugnantiam , nullam denique pugnam , ubi non eſt humorum exceſſus . Si enim ille exceſſus aut ex inordinato regimine , aut altero ex humoribus prævalente accideret , neceſſe eſt ſequatur pugna , & rebellio ad humanam corporis deſtructionem tendens ; ad quam utique comprimendam plerumque non ſufficit potentia naturalis . Quare opus eſt extrinſeco , & eradicativo remedio . Nec aliter in magno mundo . Si enim cunctorum mortalium appetitus ſenſitivus rationi obediret , utique pax eſſet ubique : quod vero non modo rationis dictamini , & rectitudini obviant, ſed exceſſus contra cætera membra miſtici corporis mundialis commovent , neceſſe eſt bella ſequantur . Quod enim , oro , acrius bellum , quæ infeſtior pugna in primævo mundo eſſe potuit , quam illa , de qua Apoſtolus ait ; Video aliam legem repugnantem legi mentis meæ ? Quæ res arguit naturaliter homini ineſſe diſſentire , nedum a ſe ipſo , ſed & ab aliis . Scriptum eſt enim per Prophetam , ab extremo terræ uſque ad extremum ejus , non eſt pax univerſæ carni ; & apud Machabæos legitur , quia poſtquam multiplicata ſunt mala in terra , conſtituta ſunt prælia multa . Sed nec id negavit Hieremias inquiens , genuiſti me virum diſcordiæ in univerſa terra : quæ verba probant ex generatione hominis innatum eſſe illi diſſentire . Cujus non inſulſa ratio eſſe poteſt ; quia facilius eſt deſcendere , quam aſcendere . Rurſus quia diſcordare per nos ipſos poſſumus , concordare vero non valemus , niſi divina gratia adjuvante ; dicente Deo per Hieremiam ; dabo eis cor unum . Et iterum: perditio tua ex te , tantummodo in me auxilium tuum . Et alius Propheta ait , quia Deus eſt faciens pacem , & creans malum . Ex quo licet arguere , quod non facile pacem cæteris dare poſſumus , ſi bellum in nobis nutrimus . Quis eſt enim , & laudabimus eum , qui ita in ſe ipſo pacatus eſt , ut omnes animi ſui motus confirmet , rationi ſubjiciat , carnaleſque concupiſcentias domet ? Qua de re Auguſtinus ait , eam ſubjectionem car-

& in vita, quam non abs te, ſed a Deo acceperunt, retinere? Magna nimirum injuria fit, perpetrata cæde, ſummo illi rerum omnium Opifici, qui hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſui ipſius fecit (quod non idem contigit cæteris animantibus) ut eſſet aliquid in terris peculiare, quod in cælum ſuſpiceret, & quo ipſe potiſſimum oblectaretur, cujuſque etiam partem aliquam, qua immortales habemur, interempto hoc miſero corpuſculo, ad ſe, ſi ita meriti eſſemus, traheret. Moti hanc ob rem majores illi, qui novæ generationi propinquiores fuere, qui mentis divinæ magis participes, delinquentes exilio mulctabant, eiſdemque aqua, & igni interdicebatur, grave nefas putantes, quamvis malos, tamen homines, & Dei ſimilitudinem præ ſe ferentes, ſupplicio capitis afficere. Cum itaque ab ſolo humunculo, & eo quidem noxio, violenta manus vi pietatis, & clementiæ retrahitur, laudabuntur, qui interfectorum hominum ſpolia, & adhuc ſanguine madentia, in

---

carnis ad mentem, & ſenſualitatis ad rationem non poſſe perfecte in hac mortali vita inveniri.

Cum igitur homo pugnam ipſam in ſe non facile plene vitare poſſit, eadem ratione, nec mundi univerſitas repugnantias animorum, ex quibus bella proveniunt, facile vitare valebit. Valide enim, & efficaciter de mundo privato ad univerſum, veluti de partibus ad totum arguere licet. Si enim talem caſum admittere fas eſt, quo nullus homo hujuſmodi exceſſum, & rebellionem ſentiat, nullum profecto ſentiremus exterius bellum. Verum quod aſſiduo, & in pluribus conſpicimus, plurimi inſurgunt exceſſus tendentes in destructionem gubernationis mundialis, ad quos utique expellendos natura non ſufficit, ſed admonitionibus, exhortationibus neceſſe eſt uti; ergo remedio eradicativo, ſeu bello. Sic enim natura docet in humano corpore, quod invaleſcentibus humoribus, adhibenda eſt primo pharmachia, deinde ignis, & ferri cauterium; nec propterea mala eſt medicinæ ars, quæ jubet reſcindi unum membrum putridum, & inobediens, ne totum corpus corrumpatur.

Cernis ut puto, diſertiſſime Platina, ſi philoſophorum amplecteris ſententiam, omnia quamdam repugnantiam ſibi innatam habere, & quaſi quadam nuncia pugna conſervari; quo fit, ut bella humana non facile evitabilia arbitreris; ſed quadam neceſſitate, quam illico audies, evenire oportere. Cæterum, ſi literatorum interpretum veriorem putas ſententiam, fateri oportet, ut bella ipſa humana continuo mortalibus perveniant. Tradunt itaque divinarum Scripturarum tractatores, etſi corpora ſupracæleſtia ad quamdam repugnantiam inferiora inclinent, non utique in iis, quæ ex libero pendent arbitrio, cui nulla neceſſitas eſt. Ea de re non aliunde bella, atque diſſidia in orbe evenire arbitrantur, niſi ob maligni humani generis hoſtis invidiam, illiuſque continuam pugnam adverſus creaturam rationalem; quam ſiquidem reſiſtentiam, & pugnam a peccato primi parentis fomitem ſumpſiſſe pie credimus; nec aliud bellum Apoſtolus ſignabat, cum ait, induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli, qui a principio creati mundi pacem inter homines violare, unitatem ſcindere, & tandem humanum genus inficere, & perturbare conatur. Dolet enim, ut inquit Hieronymus, unitatem, quam in cælo habere nequit, terris homines obtinere; nec abs re auctor diſcordiæ appellatus eſt. Ea tamen ſacra poſitione ſtante, ut diſſidia, atque bella mundum premant, neceſſe eſt; quam utique neceſſitatem Chriſtus in ſuo Evangelio nunciavit. In mundo, inquit, preſſuras habebitis; & iterum: neceſſe eſt, ut veniant ſcandala. Ecce, inquit, neceſſe eſt. Quæ quidem Chriſti verba, non de aliis ſcandalis, quam diſſidiorum, & bellorum intellexit. Fateor tamen verba Chriſti non de neceſſitate præciſa fore intelligenda, quæ, ut diximus, tollant arbitrii libertatem; ſed ſane ſumenda ſunt, videlicet de neceſſitate providentiæ, quia quæ a Deo præviſa ſunt evenire, ut ſint ventura, ne-

in triumphi modum, applaudentibus etiam Civibus, referunt, literiſque tradunt (malis etiam laudem, & æternitatem querentes) quibus & numerus cæſorum, & præda ingens notatur? Quæ rabies quæſo illa eſt, qua homines, etiam ex inſtituto, ad ſævitiam incitantur? Fundenti hoſtem Imperatori, quaſi minus ob clementiam merito, ovatio concedebatur: at qui fuſos hoſtes occiſione recidiſſet, ei honor ille triumphandi, quo nullus major in terris, magno civium conſenſu decernebatur. Propoſitis enim præmiis ad crudelitatem homines impellebant, a qua certe natura, & Dei mandato retrahimur. Oh crudeles hominum mentes, & efferatæ, cum reliquæ animantium ſpecies individua ſua non lædant, dico, ſed conſervent, & tueantur ab injuria! Soli ne qui rationis participes eſtis, tanti boni expertes eritis? Parcite quæſo vobis metipſis, parcite, parcite ſanguini veſtro. Ex eodem enim parente geniti ſumus, ad eaſdem ſedes, ſi boni erimus, & ſi mandata Dei, quæ nos ad pa-

---

neceſſe eſt. Conſtat quidem, Deum prævidiſſe bella futura, cum ait, ſurget gens contra gentem; regnum adverſus regnum.

Rurſus alio ſenſu neceſſe eſt, ut bella orbem premant quantum ad finis conſecutionem. Eſt enim utile bella fore, quia dum mali bonos perſequuntur, bonorum major virtus, & conſtantia comprobatur. Sed & neceſſe eſt, ut ſint bella, videlicet neceſſitate conditionis cupiditatibus humanis depravatæ. Veluti enim ſapiens medicus inordinate viventes dicit, neceſſe eſſe illos mori, aut gravius infirmari: nec aliter, cum cernimus inteſtina odia cupiditate hominum augeri. Recte quidem judicamus dicentes, neceſſaria eſſe bella in Orbe, quia ſi hoſti humano non reſiſtimus, ſed aſſentimur, noſtriſque vitiis, & cupiditatibus favemus, neceſſe eſt, ut juſtiſſimus Deus bellis nos affligat, qui pace ad vitia utimur; eo per Prophetam Ezechielem dicente, judicabo te juxta vias tuas, & imponam tibi omnia ſcelera tua: & per Iſaiam, effudit ſuper eum indignationem furoris ſui, & forte bellum, & combuſſit eum in circuitu: quia neceſſe eſt, ut bellis affligatur, qui belli cauſas non fugat; nec pace, & quiete dignus habetur, qui hoſti bellum indicenti non reſiſtit. Hanc denique bellorum neceſſitatem Chriſtus Imperator noſter patenter inſinuat, cum ait, ventura eſſe bella, & opiniones bellorum; ſubdens, oportet hæc fieri. Nec incaſſum credimus dixiſſe opiniones bellorum, ſi ſufficiſſet dixiſſe bella, & diſſidia: ſed ut liquido ſignaret, bella poſſe aliquando præſcindi, aut differri; opiniones vero bellorum nunquam extingui poſſe. Opinantur enim homines rerum alienarum cupiditate ducti, in futurum bella imbecillioribus agere, majore freti opportunitate, quo fit, ut cum bella interrumpi poſſent, bellorum tamen opiniones maneant; præſertim non extincta, ſed in dies aucta cauſa bellandi. Adde, Iſaiam non fruſtra vaticinaſſe, quod in noviſſimis diebus, cum tempus finalis judicii advenerit, non levabit gens contra gentem gladium ſuum, nec exercebuntur ultro ad prælium, ut innuere videatur, ante illud tempus neceſſe fore, ut bella, & ſeditiones premant. Durant prædicta, quia, ut eſt ſententia Auguſtini, qui tranquillitatem in animo non gerit, nec mens ira, odio, timore, amore, cupidine dominandi, cœteriſque paſſionibus vacat, pacem habere non valet; dicente Propheta, qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die conſtituebant prælia. Quid enim non facit dominandi rabies? Quam, teſte Auguſtino, neceſſe eſt, ut bella ſequantur. Sic enim, inquit, in Africa Cirus, in Græcia Lacedemonii, & Athenienſes ex libidine principandi, innumera bella geſſerunt, & ſubdit idem Auguſtinus, quod cum ea peſtis non ſubſiſtet, tunc bellorum ceſſabit furor; quod donum nemo, niſi Deus, donat mortalibus: Et ut paucis agamus, qui mundus cupit eſſe a bello, mundus ſit a vitiis. Hæc enim, ut putamus, carent myſterio, quod Chriſtus cum diceret, beati mundo corde, illico adjecit; beati pacifici, ut aperte monſtraret, quia vera pax ex

pacem adhortantur, obſervaverimus, proficiſcemur. Erit etiam nobis mutua congratulatione ſedes illa jucundior, ad quam certe, non niſi magnis piaculis repurgatæ, parricidarum animæ conſcendere vix poſſunt: adeo illi diſplicent Deo optimo maximo, qui proximo ſuo, in quo ipſe mirifice delectatur, violentas inferunt manus. Tollunt enim multorum dierum, multorum annorum labores. Nam quem parentes ad confirmandam humanam ſpeciem genuerunt, quem ad uſum rei familiaris, ad commoda publica, magna cum ſolicitudine, & diligentia educaverunt, atque inſtituerunt, uno fere momento furentes parricidæ interficiunt, luctum parentibus, ſolitudinem domibus, vaſtationem Urbibus relinquentes. Quod ſi ruſtici ſatam arborem, & prope adultam, ut jam fructus inde ſperari poſſint, exciſam dolent, & queruntur, quanto magis lamentanda mors illius eſt, a quo non baccæ, non nuces, non acini, non poma, ut ab arbore, ſed auxilium, & conſilium,

L

& ne-

---

ex cordis procedit munditia: unde Propheta ait, non eſt pax oſſibus meis a facie inimicorum meorum. Hinc idem Auguſtinus ſubdit; cum interiora tua vacua feceris ab omni labe peccati, ne diſſenſiones ex affectu tuo procedant, a te pacem incipis, ut aliis pacem feras. Et rurſus, ille quidem pacem habet, qui nullum animo peccatum habet, qualem pacem, inquit, nos non habemus, dum adhuc dicimus, dimitte nobis debita noſtra. Idque pulchre inſinuat Apoſtolus, ſequimini cum omnibus ſanctimoniam, & pacem: Ecce inquit, ſanctimoniam, & pacem, quia altera ſine altera non juvat. Vide doctiſſime Platina, quid cogito; veluti ignavus eſt medicus, qui curare ſatagit, dum morbi cauſas non amputat; ſic mortalium magna eſt cæcitas, qui non ignorantes, potiſſimas bellorum cauſas fore odium, avaritiam, ac libidinem dominandi, dicente Seneca, quietiſſime homines viverent, ſi meum, & tuum non eſſet in natura, pacem habere falſo arbitrantur, cauſa ipſa bellorum, ac diſſidiorum radice non evulſa. Ut enim ipſe Auguſtinus ſubdit, pacem homines non habebunt pro eo, quod pro iis rebus, quas ſimul habere non poſſunt, infelici egeſtate decertant.

Ex quibus liquido demonſtratur, bella, diſſidia, & ſcandala neceſſe fore, ut mortales afficiant: quo fit, non eſſe ſatis facile, ut bella ceſſent. Quod non negare videtur Apoſtolus, inquiens, ſi fieri poteſt, quantum ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes; nec abſque myſterio ait, ſi fieri poteſt, quaſi difficile admodum judicaret, pacem habere ad omnes.

Bella ne dum fore in terra, ſed & inter incorporeos ſpiritus bonos, & malos.

Tertia commendatio exercitii armorum militarium, ac bellorum a culpa excuſatio ex eo patet, quoniam, ut quidam ſapiens ait, non video, cur bella terrena a culpa non excuſantur, ſi cæleſtia prælia commendantur. Ut enim Poetæ fingunt, & Auguſtinus recitat, inter numina ipſa gravia bella geruntur. Bellonam ſiquidem cum Dea Concordiæ pugnaſſe poetæ contendunt, viciſſeque Bellonam dicunt, aut forte de Dea Concordiæ pro eo plurimum indignatam, quod inter Deos templum habere non meruit. Quare aſſenſiſſe putant, ut frequentibus bellorum tumultibus orbis diſſideat; tantoque atrocius potuit irritari, quanto ejus loco adverſariæ templum inſtitutum videret. Sed forte Bellona ipſa oculis Romanorum pugnare finxit, ut Romani, Deorum ſuorum exemplo, bellando, nullum nefas admittere viderentur. Rurſus, ut figmentis Poetarum non hæreamus, quis dubitat cœlica agmina bella ſua gerere? Pugnant certe inter ſeſe Principes ipſi tenebrarum, qui mali Angeli verius nuncupantur. Etenim idem Auguſtinus ſubdit, malignos ſpiritus pluries viſos eſſe in campo pugnaſſe ad invicem præliantes, quo prælio ceſſante, militum, & peditum veſtigia ſunt reperta. Sed & inter bonos Angelos, & beatos Spiritus bella geſta

& neceſſarii vitæ humanæ fructus expectantur ? Sublato enim uno homine , interdum res ipſæ publicæ , quamvis amplæ , evertuntur , ut de Thebanis Epaminunda , de Achæis Philopemene , de Macedonibus Alexandro , de Epirhotis Pyrrho , de Athenienſibus Cimone , de Perſis Dario interempto . Tanta eſt unius hominis bene inſtituti virtus , & induſtria .

In diripiendis , aut etiam evertendis Urbibus , quantum flagitii committatur a victore , & inſolenti hoſte , non ſine gemitu , & lacrymis dixerim . Nam & impuberes necantur , quorum ætati vel belluas ignoviſſe certum eſt , ut de Ciro , & Romulo legimus ; & ſenes jugulantur , quibus tacentibus , ætas ipſa imbellis ſævientium gladios retardare nimirum deberet ; & virgines a matrum amplexu ad ſtuprum diſtrahuntur . Quid plura ? Cæditur paſſim juventus , profanantur divorum templa , ſacraria ſpoliantur , diripiuntur majorum monumenta , virgines Sa-

---

ſta non dubitamus propter apparentium negotiorum conditiones . Volebat enim Angelus , qui loquebatur Danieli , Judæorum liberationem , ut ſacra Scriptura in eodem Daniele inſinuat , pro eo quod congruum videbatur orationes Danielis exaudiri ; ſed Angeli principes regni Perſarum hoc nolebant ; quippe bello reſiſtebant . Adde , quod fruſtra Job dixiſſet , qui facit pacem in ſublimioribus ſuis , ideſt Angelis , niſi aliquando bella inter eos fuiſſent . Quæ utique , Auguſtino teſte , tamdiu durare credimus , quamdiu divina providentia alteri favet . Denique bella eſſe commiſſa inter bonos , maloſque Angelos , ex Joanne in Apocalipſi cognoſcimus dicente , quod factum eſt prælium magnum in Cælo , & Michael , & Angeli ejus præliabantur cum Dracone . Ut igitur unus ex ſapientibus ait , ſi veraciter inter ſe numina pugnaverunt , bella civilia excuſantur humana . Demum quis dubitat , bellum eſſe inter Chriſtum Imperatorem noſtrum , & malignos hoſtes , ut attenti reddamur , hoſtibus ipſis nequiſſimis reſiſtere nos oportere .

Bellica arma Eccleſia benedicit , & Deus ipſe bellorum titulis appellatur .

Quarta commendatio militaris exercitii armorum , & bellorum a culpa defenſio , ex eo maxime patet , quia in ſacris literis bella benedicuntur , & ſanctificantur . Fruſtra enim Eccleſia arma in ſacris altaribus benedice - ret , ſi bella damnata forent . Unde Rex , & Propheta David mortem Saulis deplorans , ait , corruit Saul , quod clypeus ejus non eſſet unctus oleo . Sed & Hieremias Propheta Dei juſſu ait ad populum , ſanctificate bellum , & conſurgite ; & alius ex divinis Vatibus : clamate , inquit , in gentibus , ſanctificate bellum , ſuſcitate robuſtos , concidite armaturam in gladios , & ligones veſtros in gladios , quia bellum Domini eſt . Accedit quidem ; ſi bella in culpa eſſent , nunquam innocentiſſimus , ac ſanctiſſimus Imperator noſter bellorum titulis appellaretur . Non enim Deus avaritiæ , non Deus ſuperbiæ , non Deus iniquitatis ; ſed Deus bellorum , & dominus exercituum voluit appellari , ut ſacræ litteræ perhibent . Rurſus quis dubitat , bella plurima , Dei juſſu , commiſſa , & prælia Dei appellata fuiſſe ? Hinc ſcriptum eſt , bellate animo forti ; non eſt pugna veſtra , ſed Dei . Ut enim inquit Auguſtinus , ſi chriſtiana diſciplina omnia bella culparet , idipſum conſilia ſalutis petentibus , Evangelium expreſiſſet , juſſiſſetque , ut a bellis ſe ſubtraherent : quibus dictum eſt per Johannem , neminem concuſſeritis ; eſtote contenti ſtipendiis veſtris . Itaque , ut idem Auguſtinus ait , quibus proprium ſtipendium ſufficere debere præcepit , bellare non prohibuit . Et iterum ſubdit ; noli exiſtimare neminem Deo placere , qui armis , & bellis profuit . In iis erat Sanctus David , cujus Dominus magnum teſtimonium perhibuit , & plurimi illius temporis juſti . Si enim impium foret arma ſumere , bella gerere , nequaquam Deus bella eligere , & ſume-

ſacræ inceſſantur. Nulla ſiquidem facies malorum eſt, quæ non calamitoſorum oculis objiciatur: quum & fortunas, quas tot per annos multo cum labore ad uſum congregarunt, diſtrahi vident, quumque incendio, demolitione, tecta illa domeſtica a majoribus accepta, in qua nati, & educati ſunt, uri, ac ſolo æquari cum gemitu cernunt. Hinc vero in exilium acti, fundum avitum relinquentes, vitam miſerrimam, & calamitoſam extorres agunt. Non ne hæc injuſtitia, & quidem ſumma eſt appellanda, cum contra jus faſque, ſpreta religione, pietate, humanitate, æqualitate, dominandi libidine incenſi, cædunt, diripiunt, vaſtant, incendunt, demoliuntur, evertunt, & quod obvium ſit, & quod ad eorum cupiditatem facit? Fumant enim paſſim villæ, ſuccenduntur innocuæ arbores, necantur ruſtici, abiguntur pecora. Cui non excutit lacrymas, & gemitus, præclariſſimarum quondam Urbium lectum apud poetas, & hiſtoricos excidium, ut illud Thebarum, Numantiæ, Corin-

thi,

---

mere juſſiſſet. Electio ſiquidem nonniſi de bono fit. Ait enim ſcriptura, elegit Deus nova bella, & inimicorum portas ipſe confregit. Abſit aſſerere Abraham, Moyſen, David, & cæteros ſanctos viros, ut Machabæos, rem iniquam geſſiſſe, cum juſſu Domini bellarunt, non nunquam aſſiſtentibus Angelis. Quo enim pacto Eccleſia petit armorum, & bellatorum auxilia, quando ad juſta bella invitat, ſi bella in culpa forent? Denique quis bella, & armorum exercitia damnabit, cum ſanctorum tractatorum ſententia eſt, fideles licite ſub Principe etiam pagano bellare, licet incertum ſit, an contra Domini præceptum tale bellum committatur, quia bellatorem innocentem facit ordo ſerviendi.

Bellis, & armis humanam rempublicam dirigi, ac conſervari, & abſque illis augeri, & illuſtrari non contingit.

Quinta armorum commendatio militarium, & bellicarum actionum excuſatio, ex eo conſtat, quod ſine bellis, & propulſantibus armis reſpublica terrena conſiſtere non valeret. Ait enim ille omni ſtudio clariſſimus Ariſtoteles, duas fuiſſe conſtituendi belli cauſas cunctis mortalibus, nedum neceſſarias, ſed commendatiſſimas; altera ad repellendum facilius injuriantes inſurgentes, ne injuſte ſerviant; altera ad compellendum ſervire eos, qui nati ſunt ſervire, & ad id tenentur. Ut enim inquit Seneca: ſi non vis cum fortibus bellare non dedigneris abjectis hominibus ſervire. Duo tibi proponuntur, arma, & ſervitus. Bellare magni animi eſt; ſervire miſerrimi; illud honoris, iſtud fracti, atque abjecti mancipii. Eſt ergo naturale apud omnes homines libertatis ſtudio incitari, & malle pugnaſſe, quam conditionem ſervitutis ſubiiſſe. Quis enim reſiſtere ſatis poſſet tot mortalium, ut ita dixerim, armatis cupiditatibus, niſi belli timorem comprimens? Quis tot millia hominum inſatiabilia; Quis tot inſurgentes tyrannos ſaturare valebit, qui non domum, non agrum ſibi ſubiicere, ſed urbes, & provincias, ſed regna, & imperia optant? Hinc Romanus ille Vegetius, qui de re militari ſcripſit, Quis, inquit, dubitat bellicas actiones rebus omnibus eſſe potiores, per quas libertas retinetur, & dignitas hominum protegitur, & conſervantur imperia? Et rurſus ſubdit, cætera hac arte conſiſtunt, aut per hanc mortales conſequi poſſe cuncta confidunt. Sed & Valerius Maximus: bellica, inquit, diſciplina aſſiduo, acriterque retenta, principatum Italiæ Romano Imperio peperit, multarumque Urbium, magnorum Regum, validiſſimarum gentium regimen largita eſt. Livius denique nil aliud, aſſerit, Romanos conſervaſſe, atque auxiſſe rempublicam, quam armorum exercitium. Et ut paucis multa comprehendam, pro pace Regna perduntur, per bella perpetuantur.

Rurſus ſi Ariſtoteli credimus, Hyppodami ſententiam referenti, in omni bene inſtituta politia perneceſſarium eſt robur bellicum. Voluit

enim

thi , Babiloniæ , ac urbis Romæ , cujus ruinas , quod mirum videri poteſt , cum voluptate , & lacrymis cernimus ? Ego vero , ut de me ipſo loquar , Virgilii illud non ſine horrore , & exanimatione lego .

Hic finis Priami fatorum , hic exitus illum
Sorte tulit , Trojam incenſam , & prolapſa videntem
Pergama, tot quondam populis, terriſque ſuperbum
Regnatorem Aſiæ . Jacet ingens littore truncus ,
Avulſumque humeris caput , & ſine nomine corpus .

Nonne Saguntinorum , & Carthaginenſium deſperatio , Romanorum , & Hannibalis crudelitatem arguit , quum ſuſpendio , ferro , veneno vitam finire maluerint , quam in manus ſuperbiſſimorum hoſtium devenire ? Quid Fulvius ille , qui Capuam delevit ? Ad quam neceſſitatem deduxit Campanos ? Multi enim manus ſibi ipſis , & quod mirum eſt , conjugi-

---

enim Hyppodamus tres fore ſubſtantiales totius politiæ partes ; videlicet artifices , agricolas , & propulſatores bellantes , quos cœteris antepoſuit , illiſque mirifica privilegia tribuit , & ſingulari eos honoris , & laudis genere decoravit , & utilitate alios voluit antecellere , ut latius in decima commendatione tangemus . Conſtat autem id eſſe ſumme neceſſarium , quod ad rei conſtitutionem accedit . Si vero Principatum quis aſſerit , aut magiſtratum principaliorem civitatis eſſe partem , ut Plato voluit , adhuc ſtat ſumma bellorum neceſſitas , eodem Platone dicente , bellicas actiones neceſſarias fore nedum ad principandum , ſed & ad tuendas reliquas partes civitatis . Nec enim artifices , neque agricolæ in civitate præſtabunt abſque pulſatoribus belli . Cum itaque, Philoſopho teſte , ſine civitatibus hominum vita eſſe nequeat , conſtat, abſque bellatoribus , qui ejuſdem civitatis neceſſariæ partes ſunt , vitam eſſe non recte poſſe . Tam igitur neceſſaria bellorum exercitatio eſt , quam defenſio civitatum : tolle enim bellatores a republica , videbis virgines rapi e complexu parentum , matresfamilias ad libidinem trahi , ſacra , profanaque ſimul pollui , cædibus , & incendiis cuncta miſceri . Quod Vegetius non ignorans ait , quod in militarium armorum exercitio , ejuſque ſinu , & tutela ſerenius , tranquilliuſque pacis ſtatus quieſcit . Tam glorioſum profecto fuit ſemper bellicarum actionum nomen , ut famoſis in ea arte viris ſtatuas reſpublica ſæpe effixerit , quippe non alio habitu, quam militari ; quaſi præſtantiſſimum ſit in hoc genere laudis claruiſſe . Kar[illegible] dicere ſolitum ferunt , arma defenſiva omnibus a natura eſſe conceſſa , quibus defenſio indulgetur ; offenſionis vero arma certo generi perſonarum in omni republica perneceſſaria fore , videlicet viris bellatoribus . Hinc Octavianus , quo nullus felicior , filios adoptivos bellicis exercitiis inſtruxit , putans nulla re magis aut ſua retineri , aut aliena acquiri poſſe . Novit enim clariſſimus Imperator , quod non inerti pace imperium ipſe conſecutus eſt , ſed bellis , & armis . Quare docuit ſuos cæſim , punctimque ferire , miſſilia jacere , & quomodo belium omne aut ſuſtineri debeat , aut inferri ; nec ignorabat quoniam , quo ſemel eſt imbuta recens , ſervabit odorem teſta diu .

Bella , medicamina eſſe Orbis ; illique perutilia , & expedientia fore .

Sexta bellicarum actionum commendatio ex eo luculenter monſtratur , quia nedum neceſſaria , ſed plurimum expedientia , & utilia ſunt arma ad arcendas pravorum hominum cupiditates , & ſceleratorum flagitia : qua de re non abſurde militia , ab arcendo mala , dicta eſt . Fuit equidem orbi expediens, ut armorum potentia non tepeſcat vel ad terrendam , vel retrudendam , vel ſubjugandam mortalium ſuperbiam , & ambitum ; quin immo , ut alter ex ſacris Scriptoribus ait , miſericordioſiſſime Deus ordinat , ut talia bella gerantur , ut licentioſis cupiditatibus domitis , multa vitia perderentur , quæ aliter extirpari , vel deprimi

jugibus, & liberis injecere, ne vultum exultantis, ac ſævientis hoſtis viderent; cujus tanta fuit ulciſcendi rabies, ut Senatum Campanum, adverſante Collega, obſtante Pyrrho, trucidaverit, populum diſſipaverit, ac nullam in tam potenti urbe civitatis formam reliquerit. Mallem ut imitatus eſſet Fabium, vel Marcellum, qui Syracuſanos, & eorum calamitatem miſerati, quantum per furorem bellicum, & licentiam militarem licuit, lacrymantes conſervaverunt. Hæc eſt illa dira, & deteſtanda bellorum facies. Hæc illa immanis bellua, Lenæa Hydra, Nemæo Leone, Apro Calidonio perniciosior, quam qui laudat, quid aliud, quam malum approbet, non video: quum hic furor malorum omnium fons, & origo, bene merito dici poſſit; quo certe, qui percitus eſt, nec juſtitiam, nec aliud virtutis genus colere poteſt; quum Deorum contemptum religioni, crudelitatem, immanitatem, potentiam, & dominatum mediocritati, & æquabilitati ſine ulla modeſtia anteferat. Quid? quod

---

mi non valerent: quo valido teſtimonio, bellorum non modo utilitas, ſed etiam efficacia approbatur. Hinc ad eumdem ſenſum Auguſtinus ait, utilia fore arma in civitate, ut malorum pronitas habeat, quid timeat, quod, cui licentia iniquitatis eripitur, utilius vincitur. Secreto certe Dei judicio agitur, ut cupidi bella pertimeſcant, unde rerum cupitarum appetitus caſtigetur. Hinc in ſacris voluminibus ſcribitur, Deum dixiſſe, flagello inimici percuſſi te, & caſtigatione crudeli te corripui; & iterum, clamas ad me ſuper contritione tua: inſanabilis eſt dolor tuus.

Mihi igitur crede, doctiſſime Platina, injuſtus eſt, qui de bellis imminentibus queritur. Ut enim inquit noſter Iſidorus, diſſidia, & bella partim origine, partim culpa in nos ſæviunt. Quare non recte homo Deum incuſat, quod bella ea patiatur, quæ ſua ſibi culpa attulit. Bellum enim non ſui natura, ſed vitio noſtro malum eſt. Si nobis nocet, nos meruimus. Lux bona eſt, infirmis tamen impia; tunc enim oculorum eſt vitium, non rei natura. Si igitur diſſidiis, belliſque mortales premuntur, peccatorum pœnam exigunt, quod hominum vitio fit, ut quæ bona ſunt, immutentur in adverſa.

Denique quis ea bella damnabit quæ vitam, quæ ſacra, quæ templa, quæ patriam, quæ libros, quæ parentes, quæ ipſam denique humanam ſocietatem protegunt? Hinc Auguſtinus Romanos illos priſcos, quamquam infideles, pro tantis ſuſceptis bellis excuſat, pro eo, quod irruentibus ſibi, atque invidentibus, & importune prementibus inimicis reſiſtere cogebantur; non modo erat eis aviditas adipiſcendæ laudis, ſed neceſſitas tuendæ ſalutis, ac pacis, & libertatis. Quare perpulchre Auguſtinus adjicit, quod non ſine divina providentia bella geruntur humana, in cujus poteſtate eſt, ut quis bello ſubjuget, aut ſubjugetur, quidam ſint regnis præditi, quidam ſint regnantibus ſubditi: noſcantque omnes, eodem ſe bello, ac flagello caſtigari poſſe, quo cæteros affligere decreverunt. Sunt rurſus bella ipſa medicamina malorum humanorum. Veluti enim, ut ſupra tetigimus, neceſſariam eſſe ad conſervationem humani corporis pharmaciam, aut ipſum ferri, vel ignis cauterium, quibus ſuperflui, nocuique humores depurgantur: nec aliter in corpore miſtico reipublicæ terrenæ neceſſaria, atque plurimum expedientia ſunt bella, ut illis, tamquam quibuſdam antidotis, mortalium cupidines, & cætera funeſta vitia caſtigentur: idque præclare Job Sanctus edixit; ultor iniquitatis gladius, & bellum.

Bella ad pacem ordinata fore, ad quam in bellando pervenitur. Rurſus pacem minime bello adverſari.

Septima bellorum, & armorum commendatio, ac a culpa defenſio ex eo maxime conſtat, quod nonniſi per illa ad eam pervenitur, quam tantopere commendas, pacem videlicet terrenam. Ut enim inquit Ariſtoteles, nemo bellat gratia ejus, quod eſt bellare; ſed ideo

quod hæc armorum licentia, & rabies nec patriæ quidem, aut concivibus parcit? Superato externo hoſte Piſiſtratus in ſuos arma, & dolos convertit, ut tyrannide potiretur. Idem & Pauſanias Spartanorum Imperator, juncta cum barbaris affinitate, moliri conatus eſt. Factus major ob Cymbricam victoriam Marius, potentiam Optimatum armis opprimere conatus eſt. Huic Sylla aliquantulum ſævior obviam contendens civili cruore Urbem, ac totam ferme Italiam fœdavit. Quantam deinde licentiam, & impunitatem ſæviendi, dictaturam adeptus, conſecutus ſit, tabula illa proſcriptionis declarat, in qua parricidarum ingentia propoſita ſunt præmia. Horum veſtigia, immo factiones imitati Pompejus, & Cæſar, atque his e medio ſublatis, Antonius, & Octavius, arma illa victricia Orbis terrarum proprio, & cognatorum ſanguine fœdaverunt. Scimus enim quoſdam ſe ipſos interfeciſſe, ubi poſito furore bellico, ad ſanitatem redacti, cognatos a ſe interemptos deprehendiſſent. Quan-

---

ideo bellamus, ut pacem quæramus. Hinc ait Auguſtinus, terrena ſocietas ad pacem ipſam deſiderat pervenire, bellando; quo fit, ut non parva belli ſit commendatio, quæ pacem hominibus deſideratam parit. Hinc Romanus Vegetius; qui deſiderat pacem, bellum cogitet, & qui victoriam cupit, milites induat; nemo, inquam, infeſtare eos audet, quos intelligit eſſe paratos: & rurſus, vide, quantum ſit bonum, ac reipublicæ expediens bellum, per quod pervenitur ad pacem. Quæ omnia arguunt, pacem nequaquam eſſe bello contrariam, ut vulgares ſomniant. Si enim ſibi adverſantia forent, utique alterum ſine altero eſſe poſſet. Conſtat tamen, teſte Auguſtino, quod bellum ſine pace eſſe non poteſt, quippe quod ad eam ordinatur. Quemadmodum ergo dolor non poteſt contingere ſine vita, nec bellum ſine pace conſiſtit. Quo argumento infallibili patet, bellum paci non adverſari; quin potius eam promovet. Hinc omnium Imperator Chriſtus Dominus exercituum dicebat: Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poſſidet; ut innueret, quia armorum exacta, & aſſidua exercitia dirigunt, ac cuſtodiunt pacem, & quiete cuncta conſervant. Adde, quod ſi ipſa pax bona eſt, ipſa quoque bellica arma bona ſunt, quæ illa inducunt, ac protegunt. Teſte enim Ariſtotele, cujus effectus bonus eſt, ipſa cauſa bona eſt; ea propter unum quodque tale, & illud magis. Si enim ſanitas bona eſt, ipſa quoque medicina ad eam ordinabilis bona, & pernéceſſaria erit.

Verum, doctiſſime Platina, cerno te undique armatum, & eo bello, quod maxime damnas, in me uteris. Plurima ſiquidem eleganter commemoras damna, cædes, vulnera, ſacrilegia, quæ ex bellis ſequuntur, pacique adverſantur. Quæ omnia, pace tua dixerim, non arguunt, bellum ſui natura malum, & damnabile fore, nec paci adverſari; idque, ut auſcultes velim. Errant enim non parum, qui talia garriunt; cum nonnunquam bella ipſa cum pacis manſuetudine recte geri poſſint. Sic apud Machabæos ſcriptum eſt, quia viri fortes procedebant ad bella pacifice, quemadmodum eiſdem viris fortiſſimis accidiſſe, ſacra tradit hiſtoria, qui intus pacifici, extra feroces hoſtibus videbantur. Erant enim manu bellantes, qui dum contra hoſtes pugnarent, animo agnis mitiores erant, foris vero leonibus fortiores. Nec aliud ſenſit Auguſtinus. Ait enim, quia etſi in bellis quædam apprehenduntur, videlicet nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, impatientis, & implacabilis animi feritas, & libido dominandi; non tamen bella ipſa peccata ſunt, quæ cum manſuetudine, & pacis ſtudio geruntur propter malorum correctionem, & bonorum promotionem, & tuendam rem publicam, ſalutem, & reverentiam: quibus caſibus bella recte, & auctore Deo geruntur, & ſuſcipiuntur. Non igitur bellum paci æmulatur, ſed alia peſtis, odium videlicet directe paci contrariatur. Cum enim odium ex deordinata, ac quadam perturbata mente procedat, ſævitias, ac diſcor-

Quanta fuit per immortalem Deum trium Virorum rabies! Cum & Octavius in Ciceronis, quo adjutore ad eam potentiam evectus erat, & Lepidus in Pauli fratris, & Antonius in Lutii Cæſaris avunculi ſui mortem conſenſere! Exterius parſuros eos arbitramur, aut humanitate invictos uſuros, qui animis efferati aliorum interitum, ſuorum ſanguine mercati ſunt?

Non contemnendam eſſe bellicam gloriam mihi propones, quam maximi philoſophi laudaverunt; cum ad tutelam rerum publicarum initam eſſe militiam oſtendant. Venio ego in hanc ſententiam, modo armis ad tutelam, & non ad inferendam injuriam, quod fere ſemper contingit, utamur. Sed quis eſt, qui potentiam adeptus, illam teneat, quam juſtitia, ac virtutes omnes commendant? Facilius enim exuberans flumen ob potentiam aquarum inter ripas continebitur, quam exultans, & inſolens victoria hoſtis. Nulla ſiquidem re aut natura, aut arte nobis da-

---

cordias gignit, per quas ad bella venitur. Quippe cum pax ſit vinculum charitatis, conſtat, eam odio adverſari, non quidem bello, quod ad pacem quærendam ordinatur, ut cauſa ad effectum. Nec enim illud tolerabile eſt, cauſas videlicet ipſas effectibus contrariari.

Vides ergo, doctiſſime Platina, bellum, quod gratia conſequendæ pacis inſtitutum dignoſcitur, recte, & ſine animi perturbatione, quin potius pacata mente geri poſſe. Cæterum nec te protegit, quod plurima funeſta, nefandaque mala ex bellicis furoribus conſpiciamus. Nam fateor in unaquaque re uti ſimul, & abuti contingit. Non ergo, quæ enumeraſti mala, ex bello derivantur, ut ex bello, ſed ex belli abuſu, & exceſſu. Plerumque enim bonis, optimiſque rebus abutimur abſque illarum detrimento. Virtutibus ſiquidem aliquando abutimur. Quid enim ſancta eleemoſina ſanctius, Deoque acceptius? Ea tamen contingit abuti, cum per jactantiam fit. Denique etiam ſcientia nonnunquam male utimur, cum ex ea ſuperbimus, nec recte ſapimus ad ſobrietatem, ſed ad inanem gloriam, dicente Apoſtolo, quod ſcientia inflat. Quis enim fabrum inculpabit, quod enſe ab eo utiliter ficto homines occiduntur? Nec aliter de bello dicendum arbitror. Contingit plerumque eo abuti, cum non conſequendæ pacis gratia, nec ad fines, quos tetigimus, geritur, veluti & ipſa pace plerumque abuti poſſumus. Atque utinam non ſemper, dum pacem appetimus, nonniſi ad luxuriam eſſet, ad deſidiam, ad voluptates liberius explendas, coacervandaſque divitias cum pauperum oppreſſione. Abutimur denique ipſa pace, dum nonnunquam mali uniuntur, & confæderantur in bonorum perniciem: quia, ut ait Gregorius, noxium eſt, ſi malis non deſit pax, quia quanto iniqui ſibi fortius uniuntur, tanto ſe robuſtius bonorum affectibus illuduntur.

Bella virtutes plurimas parere, pacem vero multa vitia; nec fore pacem ſecuram ſine bello.

Octava commendatio armorum, & bellicarum actionum reſultat ex congerie plurimarum, & præclariſſimarum virtutum, quas ipſa exercitia bellorum pariunt. Ariſtoteles, id ipſum profitetur. Ait enim, Lacedæmones magnas, excellenteſque virtutes conſecutos ex aſſiduis contra Arcades, & Meſſanos bellis. Illi enim bellicis actibus vacantes, ſe ſe promptos exhibebant ad obediendum Ducibus, & aptos ad omnes virtutes. Hinc Vegetius ait, bellandi exercitium apud veteres plurimum eſſe laudatum, quia varia virtutum genera ſuis præſtat ſectatoribus. Nec id beatiſſimus Gregorius ignoravit. Ait enim in Moralibus, nemo vires ſuas in pace cognoſcit. Si enim bella deſunt, virtutum experimenta non proderunt. Primo ſiquidem bellis vacantes ad obediendum ducibus ſunt tam parati, quam aſſueti. Equidem ob ipſorum eorum aſſiduam ad Imperatores, & Duces obedientiam, obſe-

data licentioſius, quam armis utimur, quibus ad explendas libidines facilior comparatur via, propoſita impunitate peccatorum omnium. Non enim in omnibus Imperatoribus ea eſt modeſtia, ea virtus, quæ in Camillo, Cincinnato, Papirio, Fabricio, Catone, Scipione illo majore, magno Alexandro, qui duo captas ex hoſte mulieres intactas parentibus, & conjugibus reddiderunt. Addo etiam liberalitatem Africani, qui decem captivas virgines ære proprio auxit: nec huic ceſſerit, hac in re præſertim, Alexander, qui Darii uxores bello a ſe captas, ut reginas ſalutari, ac coli voluit, & filias ejus regiis nuptiis honeſtavit. Hæc enim exempla, quæ rara ſunt, omnibus nimirum præclara videri debent, præſertim cum militaris licentia non quid deceat, ſed quid ad voluptatem faciat, ſibi proponere conſueverit. Hinc eſt illa majorum in re militari ſeveritas, qua & Manilius in filium, quod abſque juſſu ejus cum hoſte dimicaſſet, uſus eſt. Quamquam quid ſeveritas, quid diſcipli-

---

ſequentiſſimi redduntur etiam ad cæteras alias res. Qui enim obedientes ſunt in iis, quæ ferro, & gladio aguntur, & veluti etiam in iis rebus arduis, & terribilibus, ſatis veriſimile creditur, quod obſequentes in cæteris rebus erunt, quæ minora, & faciliora videantur. Demum ex bellicis exercitiis homines patientiam, & perſeverantiam conſequuntur; quas utique virtutes nanciſcuntur bellantes ex aſſidua tolerantia bellicorum laborum, & plurimarum rerum moleſtarum, & terribilium, quæ tot ſunt, ut non facile enumerari queant. Denique ex bellicis actibus conſequimur virtutem mirificam fortitudinis, & magnitudinis animi, qua bello vacantes aggreſſivi ſunt omnium terribilium, ac intrepidi morti ſe ſe exponunt pro ſalute reipublicæ; qua aſſiduitate aggrediendi terribilia, ne dum corpus habilitatur, validiuſque vires roborantur, ſed & animus fortior, audaciorque redditur. Unde Cicero ait, quod aſſiduitas bellandi parit audaciam. Unuſquiſque enim id animoſe aggreditur, quod ſæpe expertus eſt. Sed & Svetonius, cum de XII. Cæſaribus agit, pulchre ait, quod bellis non exercitati, cum ſe periculis proximos conſpiciunt, alterum e tribus ut agant oportet, quæ aliena penitus a virtute videntur. Primum, ut quam maxime mirentur, obſtupeſcantque rerum novitate; alterum, ut timeant ob non experientiam; alterum, ut fugiant ob animi, & fortitudinis defectum, pericula non conſueta conſpicientes. Armis tamen, & bellis exercitati, nec mirantur eorum, quæ ſæpe viderunt, nec timent ea, quæ probarunt, nec fugiant ab iis periculis, quæ ſæpe tolerarunt.

Ex hoc inſuper bellico exercitio magnanimitas naſcitur, qua incliti principes, & generoſi viri ſe ſe dignos reputant magnis honoribus. Sed & virtus liberalitatis ex bellicis exercitiis procedit. Poetæ ſiquidem fingunt, Martem tam liberalem fore, ut clauſis oculis divitias fundat. Rurſus temperantia plurimum ex bellis conſurgit, non enim ſine ea virtute recte bella geruntur, pro eo quod bellatores oportet eſſe temperatos, & juſtos, quoniam ex aſſiduis deliciis, tempore pacis, coguntur minoribus injurias infligere, ut voluptates ſolitas continuare valeant. Longa enim pacis vacatio homines facit delicatos, plurimiſque vitiis, præſertim incontinentiæ, deditos: bellatores vero, ut eo minus, ſtudent continentiæ. Deſunt enim eis ea omnia luxuriæ incitamenta, quæ pace, & otio vacantibus ſunt promptiſſima: quo fit, ut bellantes ipſi per non uſum habituentur virtuti continentiæ. Ea de re antiqui ſapientes videntes in bellis, & caſtris aſſiduam fore caſtitatem, exercitus ipſos armatorum vocarunt caſtra caſta, quaſi ibi caſtitas addiſcatur. Paci vero, & inerti otio vacantes, luxuria, & aliis plurimis vitiis invaduntur; ut enim Ariſtoteles ait, contrahunt rubiginem, ut ferrum, pace fruentes. Nuſquam enim romana virtus abiiſſet, ſi bellum Carthaginenſe viguiſſet. Pax ergo Punica Romanæ urbis excidium fuit, urbibuſque aliis documentum ſempiternum, non ſemper imperiis, atque provinciis optimam eſſe pa-

plina, quid decumatio militum, quid exauctoratio legionum, quid cenſura in flagitioſos duces, & ſeditioſos profuit? Cum eo licentiæ ventum ſit, ut milites largitionibus, & rapinis aſſueti, ne patriæ quidem, nedum exteris, parcentes, Imperatorem pro arbitrio tollerent, ac darent; quam ob rem Dei judicio factum, ut quæ ſanguine parta imperia ſunt, eadem, cæſis victoribus, deleantur.

Quæramus, hac omiſſa gladiatoria licentia, vel ſævitia, veram illam, & ſolidam gloriam, quæ beneficio, non ſanguine, virtute, non crudelitate, conſilio, non vi integre, ac ſancte comparatur. Minus ne Pompilius ille ob injuſtitiam a Sabinis excitus pace, ac religione populo Romano profuit, quam Romulus ille Urbis parens, & conditor? Minus Tullius Servius diſtinctis per cenſum ordinibus, quam Ancus ille Marcius, quam Tullus Hoſtilius? Minus qui leges XII. *tabularum inſtituere, quam Brutus ille, qui pulſo Superbo, liberam armis patriam*

M

red-

---

pacem. Idque felix ille Dux Naſica non negavit, jurans periculoſam fore longam ſecuritatem, quia ut ait, ſuperba eſt pax, & negligens, plurimumque lenta, ſegnitiem pariens. Appium Claudium ſolitum fuiſſe dicere Valerius ait, accepimus, inquam, negotium populo Romano melius, quam otium. Licet enim non ignoraret, quam jucundior pacis ſtatus ſit; quia tamen animadvertebat præpotentia imperia, agitatione rerum, ad virtutem capeſſendam excitari, nimia quiete in deſidiam reſolvi, ne a bello ceſſaretur, ſuaſit. Stat iterum Quinti Metelli in Senatu alta ſententia, qui devicta Carthagine, ne ſcire ſe ait, an plus mali Reipublicæ illa victoria attuliſſet, quam boni; quomodo enim, pacem reſtituendo, profuiſſet, ſic Hannibalem ſummovendo plurimum nocuiſſet. Demum ſi quis rectus cenſor exiſtat, videbit parum ſecuram eſſe pacem, illam deſiderantibus. Sæpe enim armati inter gladios tutiores fuere, quam togati, qui plerumque bella optarunt. Dabit huic rei teſtimonium certum quidem, ſed lugubre, Manlius ille, neſcio vitiis, an virtutibus clarus, cujus ſi geſta recoluntur, neſcitur, utrum bello melior, an pace pernicioſior fuerit. Equidem Romanam rempublicam, quam armatus ſervavit, eam primo togatus omni genere fraudis, poſtremo armis hoſtiliter evertit.

Habet certe longa pax comites licentiam, libidinem, multaque diſcrimina, nec minora, nec pauciora, quam bellum; adeout verum ſit illud Laureati, quod plurimis lorica felicior, quam toga, campus ſecurior, quam thalamus, tuba quam tibiæ, Sol quam umbra. Julio Cæſari ſævior fuit pax, qui bello vixit, & crevit. Sed de his aliquid tangemus in decima Commendatione ſecundæ partis ad finem. Quæ omnia rerum arctiſſima argumenta ſequutus Auguſtinus ait, per ſeptigentos, & unum annos ab Hoſtilio Tullio uſque ad Auguſtum Cæſarem una tantum ætate Romana viſcera ſanguinem non ſudaſſe. Conſtat autem eo feliciſſimo tempore tantum creviſſe bellis rempublicam Romanam, quantum Orbis capere potuit. Raro enim pax ſine vitio conſervatur. Eſt igitur cunctis mortalibus certiſſimum documentum, longam pacem longa vitia peperiſſe, cum apertis oculis cernamus, quod populi Romani nimia ſecuritas, non modo ſingulorum hominum, ſed ipſius Imperii, totiuſque Orbis domitoris corrupit mores, miramque illius fregit virtutem, qui tamdiu clarus, tamdiu integer fuit, quamdiu in bellis verſatus eſt. Pulchre igitur Cicero hanc longam pacem deplorans ait, quod in bellico exercitio victor gentium, & quod eſt glorioſius, victor ſui, domitor victorum a longa tandem ſecuritate victus eſt, & peſſumdatus.

Demum bellica exercitia prudentiam pariunt: teſte enim Philoſopho in Politicis, duplex prudentia in omni republica neceſſaria exigitur, altera civilis, altera bellica. Civili prudentia homines bona ſequuntur, nocua fugiunt; quod ſatis ex legum poſitione conſequuntur: Bellica vero prudentia conſequuntur homines ordinate ſcire reſiſtere prohibentibus, & injuriantibus, ac nocere volentibus,

quo-

reddidit? Pace enim, & legibus, quæ labore, & induſtria ſunt parta & retinentur, & augentur. Profuiſſe Solonis, & Licurgi leges, quibus homines ad honeſtum, & rectum adhortantur, non Lacedemoniis modo, & Athenienſibus, ſed toti ferme Europæ, certo ſcimus; cum hinc tanquam ex uberrimis juſtitiæ, & pacis fontibus, reliqui Græci, ac Romani inſtituendarum civitatum formam ſuſceperint. Utinam tandem humanum genus oculos, pulſa erroris, & ignorantiæ caligine, ad cælum tollat! Intelliget profecto, ſe ad id natum eſſe, ut quoad fieri poſſit, Deum Optimum Maximum imitetur, qui fugata illa vetere omnium rerum confuſione, quam Græci vocant Chaos, mundum hunc, cujus pulchritudinem, & convenientiam ob æternam pacem admiramur, creavit, & compoſuit. Novem enim Orbibus, vel potius globis hunc, quem una appellatione Mundum vocamus, ſapientiſſime diſtinxit. Summo illi circulo, qui omnes continet, & cui perpetuo inhærent ſtellæ, ſu-

---

quove ordine prohibentia ſuperentur; quæ omnia non niſi per virtutem bellicam mortales nanciſcuntur. Qua de re Ariſtoteles bellicas actiones ſpeciem quamdam prudentiæ recte poſuit; & ut paucis agamus, ipſa bellica exercitia ingentem materiam præſtant ad omnes virtutes: quo fit, ut has reſpuat, qui illa damnat.

Bella terrena exercitia, & incrementa fore virtutum.

Nona bellici exercitii, & armorum militarium commendatio, & a culpa defenſio, ex eo conſtat, quod per hujuſmodi bella, veluti per congruentia remedia, pii, & juſti viri comprobantur, & exercitantur, ut per amplius creſcant. Tam neceſſaria ſiquidem, & utilia bella ſunt hominibus, ut qui illa abhorreat, ſimul & impie velle vivere profiteatur, quod pulchre Auguſtinus probat; non vis, inquit, ſentire bella, non perſecutiones: per conſequens non vis & pie vivere. Chriſtus enim dicit pro conſtanti, omnes, qui pie vivunt, perſecutiones patiuntur. Et ſubdit Auguſtinus, neceſſe eſt affligaris ab eis, qui impie vivunt: & rurſus, pugnamus cum concupiſcentiis noſtris, pugnamus foris cum inobedientibus, ubique pugnamus. Et iterum ſuper illud Apoſtoli; Ecce dies mali ſunt ſine pugna, & aſſidua perſecutione: hic vivere juſti non poſſunt, qui inter malos vivunt. Verum igitur ſæpe putavi illud eloquentiſſimi Leonis Papæ, quia confligunt unitas cum diſcordia, odia cum pace, ſecuritas cum bello: Interdum ad utilitatem, ut in ipſo certamine vel homo exerceatur, vel a cupidine concuſſus intra ſe reſtringatur. Ea igitur bella, & perſecutiones neceſſaria, & perutilia nobis ſunt, tamquam experimenta virtutum, quibus conducimur ad beatitudinem. Ut enim inquit Chryſoſtomus, cum Chriſtus dixiſſet, Beati pacifici, ne homines putarent, quod ſemper quærere pacem ſit verum bonum, illico addidit, Beati qui perſecutionem patiuntur, ut inſinuaret, quam certa ſint bella, & perſecutiones poſt pacem; nec aliud fidelis ſibi promittat, niſi quod Evangelium promittit inquiens, in mundo preſſuras habebitis.

Bellica arma nobilitatem, ac ſummos honores generant, ipſaque longa pax extinguit. Rurſus, quod bella cedunt ad decorem univerſi.

Decima bellicarum actionum commendatio ex eo demonſtratur, quoniam per illorum exercitia illud homines conſequuntur, quod ſola non valet natura efficere. Conſtat enim, quod parens natura abſque virtutis adminiculo, & præſertim ſine hoc militari armorum exercitio, non poteſt veram carnis nobilitatem, quam politicam appellamus, efficere. Demum ex armis, & bellis ſummus honor, ſumma gloria, & quidquid triumphi, & laudis eſt procedit, & comparatur. Et ut a nobilitate incipiam, eſt apertiſſimum, principalem nobilitatis cauſam fore in hoc nobili armorum exercitio

ſubjiciuntur ſeptem, quos errones Latini, Græci planetas vocant. Hi contrario motu acti natura feruntur. Illam conficiunt harmoniam, qua nulla profecto major in terris audiri poteſt. Hanc cæleſtium corporum pacem non immerito dicamus; cum pax nihil aliud ſit, quam convenientia, & quaſi quædam conjunctio hominum inter ſe. Quid? Quod idem rerum omnium Parens, & auctor Saturni, ac Martis noxia, & horribilia terris ſidera, collocato inter utrumque ſaluberrimo Jove, contemperavit? Creatus & ab eodem Sol eſt, qui paci ob lucem, & utilitatem comparatus, tenebras mortalium hoſtes fugat, & abigit. Poſt Solem vero, ne quid tanto operi deeſſet, Venerem, Mercurium, Lunam conſtituit, qui quidem arculi ſuo fungentes munere, & Deum concentu, ac perpetuo ordine, quem paci comparamus, delectant, & animantia omnia in medio mundi poſita juvant, ac conſervant. Tamdiu enim Mercurii ſalubre ſidus putamus, quamdiu ejus opera ad ponendas

---

citio conſtitutam ex eo, quod, ut Ariſtotiles ait, aliquando plebejus tam fortiter, & ſtrenue arma egit, ſuaque induſtria, & virtute hoſtes devicit, patriam liberavit, quo beneficio ditatus, & ob ejus ſtrenuitatem communi reputatione a plebejis ſegregatus, ac nobilibus aggregatus extitit; quia ſcriptum eſt per ſapientes, victricem manum laudavit populus. Sic igitur fit, ut natura, quæ prius plebeja erat, ac ſervilis, excellenti armorum uſu devicta, mutata eſt in generoſam naturam, quam nobilitatem appellamus. Hinc quidam ex ſapientibus, tolle, inquit, arma, tolle bella, tolle & nobilitatem; & teſte Vegetio, ſi bella ceſſant, ac armorum delitefcit uſus, nihil plebejus diſtat a nobili, nihil ſervilis a milite. Sed & Hieronymus, quid agit nobilis homo in paterna domo, quid delicatus miles in otio? Ubi bellum ibi honor. Quid fortis homo, cui hyems tranſit acta ſub pellibus, corpus aſſuetum mollibus, loricæ onus recuſat, caput coopertum linteo galeam refugit, mollem otio manum durus exaſperat capulus? Patet itaque ex bellicis frequentibus exercitiis nobilitatem originem ſuſcepiſſe. Honores vero, laudem, & gloriam, quod hoc militare armorum exercitium pariat, facile libet intueri. Si quidem honoratiores artes, honoratiores homines reddere palam eſt.

Conſtat itaque bellatores fortes quammaxime fore honoratos, pro eo quod in bellis agonizant. Hinc Ariſtoteles ait, quod omnes homines honorant maxime fortes, & agonizantes, & juſtos. Fortes inquam, quia ſunt utiles in bello; juſtos, quia & in bello, & in pace. Rurſus ait. Quod bellicæ actiones cum victoria inſinuant excellentiam virtutis, per conſequens honoris, ac nobilitatis. Nemo enim, niſi ex magno virtutis opere laudatur. Scriptum eſt enim, opus electum honorabitur. Id etiam in brutis animalibus conſpicimus. Ea utique aut quadrupedia, aut volatilia, quæ bellativa ſunt, ingenua certe, & digniora habentur non bellativis, ut libet videre in leone, & lepore, accipitre, & perdice; atque, ut pulchre ait Livius, ignarus eſt, qui putat civem, licet locupletem, in media pace honoratius, digniuſque in urbe vivere, quam Scipio in Africa cum hoſtibus pugnare. Accedit, quod, Philoſopho teſte in Politicis, non pari honore habentur in civitate artifices, mercatores, aut pecuniativi, ſicut propulſatores, & milites; nec vacantes paci æqualibus honoribus extolluntur, ſicut bellis inſiſtentes. Illi enim lucro, hi victoriæ vacant, unde Sapiens, melior eſt, inquit, pauper, & fortis, quam dives imbecillis. Adde quod ibi ſolet minoris eſſe honoris, ubi minus eſt periculi. Hyppodamus enim, ut Ariſtoteles refert, maximis honoribus dignos eſſe cenſuit eos, qui ſe majoribus periculis exponunt. Neque enim ſine cauſa præmia, braviaque ipſa agonizantibus conſtituuntur, quæ pace, & otio torquentibus denegantur. Hinc Sacræ litteræ quidquid gloriæ, & laudis eſt, ſub bellorum, & certaminis titulo exprimunt; ajunt enim, non coronabitur, niſi qui legitime certaverit; &

lites Dii, ne a fabulis diſcedamus, utuntur. Hunc item uti Caducæo, ſcribunt poetæ, quo viſo, poſitis gladiis, de concordia agitabunt. Non caret præterea ratione, pacatum concubitu Veneris Martem, cujus ſævitia, non niſi placabilitate, & indulgentia benigni ſideris remolliri potuit. Ex cerebro Jovis natam Minervam, quæ pacis, ac ſapientiæ Dea eſt, ratione non caret: cum divino conſilio hi nimirum uti putantur, qui pacem, poſthabito bello, amplectuntur. Huic item dedicata eſt Olea arbor fæcunda, & æſtate, atque hyeme viridis, quo quidem virgulto, ut pace coli omnia, ſic bello vaſtari, ac ſuccidi declaratur. Ingreſſus eſt Hyeruſalem Salvator noſter prætenſis olearum ramis, ut ſe ad pacem, non ad bellum veniſſe declararet. Idem fecit & Cæſar Urbem triumphans ingreſſus, orbe terrarum in Monarchiam redacto. Quam vero illud celebratum exemplum ab hiſtoricis eſt, quo & Numa Pompilio regnante, & bello Punico primo compoſito, & Auguſto victore orbis

---

iterum, Dominus mecum eſt, tanquam bellator fortis. Nec abs re fortiſſimis bellatoribus plurimæ inſignes Reſpublicæ peculiares fecere honores cæteris hominibus non conceſſos, recordationes videlicet in metris, conſtructiones templorum, ſedis monumenta; ſed & imagines, ſtatuaſque fixere, alimenta denique publica dedere, & alia perpetuæ laudis præconia attulere; quæ omnia, teſte Ariſtotele, excellentiora ſunt honoris teſtimonia, quemadmodum in quinta commendatione diximus. Et ut reliqua omittamus, quantum Romulus, vir omni Sæculo clariſſimus, militaribus, & bellicis armis detulerit, quantumque ſpeciei in ea vitæ una formula collocaverit, vivus non modo inſtituendo, exercendoque, ſed etiam mortuus, ad divoſque relatus quodam vaticinio confirmavit, atque oſtendit. Verba ſiquidem ejus ſuprema, ut unus ex ſapientibus ait, ad Julium Proculum iſta fuere; nuncia, inquit, Romanis, cæleſtes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum ſit. Colant ergo militaria arma, ſciantque, & ita poſteris tradant, nullas opes Romanis armis reſiſtere poſſe. Hæc loquens ſublimis Deorum conſortia petiit.

Rurſus ſunt plurimæ aliæ utilitates, & commendationes armorum militarium, & bellicorum exercitiorum, quas enarrare non eſt facile. Inter eas tamen illa non parva eſt, quod aſſiduitas bellorum cogit peccata dolere. Demum vitæ hujus miſeria, inſtabilitas, ac quietis inopia quam maxime bellis ipſis demonſtratur.

Succedit alia bellorum defenſio, & a culpa excuſatio, quoniam nonnunquam bella geruntur ad decorem, & pulchritudinem univerſi. Ea de re, ut putamus, pro eo dictum eſt bellum, quod ſit bella, ſive pulchra res. Ut enim Auguſtinus ait, ne dum ea, quæ ſunt bona ſimpliciter, aut indifferentia, ſed ipſa mala bene ordinata eminentius demonſtrant decorem univerſi, & longe pulchrius potentiam Creatoris oſtendunt; quemadmodum non parva pulchritudo eſt in regia domo vaſa reperire aurea ſimul, & fictilia. Sic ex tali varietate, aliquando pacis, aliquando bellorum, apparet decor univerſi. Denique alio ſenſu bella cedunt ad pulchrum ordinem univerſi; ne videlicet aliquid in mundo remaneat inordinatum. Eſſet profecto non parva ordinatio in univerſo, ſi hominibus non recte pace, & bello uti volentibus, aut pace ipſa abutentibus, vel bellum pro fine optantibus, bella ipſa ſubtraherentur; quòd, ut pulchre Cyprianus ait, neceſſe eſt, ut bellum ſentiant, qui non ſapiunt in pace bellum, nec in bello pacem quærunt. Sic enim permulti ſunt, qui nunquam, niſi bello afflicti, pacem noſcere cupiunt, vel amare; ſic faciliter redditam pari levitate contemnunt. Adde quod bella ipſa pro eo commendanda videntur, quod eis demonſtratur divina Juſtitia, qua juſte injuſtitias belli ipſius judicat, quemadmodum ipſe juſtiſſimus Deus in ſacris literis comminatur inquiens, propter injuſtitias, & univerſos dolos transferetur regnum de gente in gentem: Tranſlationes ſiquidem, & occupationes regnorum non niſi bello fieri per-

bis terrarum imperante , cum magno populorum omnium gaudio , & lætitia , templum jam , quod non ſine horrore , ac metu aperiebatur , ſit clauſum . Hoc & his carminibus tanquam rem memoratu dignam celebrat Maro :

> Aſpera tum poſitis miteſcent ſæcula bellis :
> Cana fides , & Veſta , Remo cum Fratre Quirinus
> Jura dabunt : diræ ferro , & compagibus arctis
> Claudentur belli portæ . Furor impius intus
> Sæva ſedens ſuper arma , & centum vinctus ahenis
> Poſt tergum nodis , fremet horridus ore cruento .

Quis ergo eſt , niſi ex alieno prædari admodum cupidus , ac ſanguinis humani avidus , qui non pacem bello , immo bonum malo , pietatem crudelitati , humanitatem ſuperbiæ merito præferendam cenſeat ? Sed nobis

---

perſpicuum . Quare illud conſequens videtur , ut ubi injuſtitia cruciat , bellum neceſſe eſt affligat.

Poſtremo non infima omnium commendatio bellorum videtur , quoniam per eadem bellica terrena exercitia habituantur , quippe & habilitantur mortales ad bella ſpiritualia , quæ aſſidue contra hoſtes inviſibiles gerimus . Nam ut eſt Hieronymi ſententia , bella iſta terrena , imaginem , quamdamque ſimilitudinem gerunt bellorum ſpiritualium : quin immo quædam ſunt præparatoria , ſive prælud ia contra hoſtes ipſos inviſibiles . Procedit ſiquidem utrumque bellum ex eodem principio , ex diſcordia , ſive repugnantia appetitus ſenſibilis ad rationem . Si enim humana voluntas rationi obediret , ceſſaret terrenum ſimul , & ſpirituale bellum , tam contra hoſtes inviſibiles , quam contra vitia nos in dies infeſtantia . Itaque cum ex eadem radice utrumque bellum oriatur , eodem modo gerendum , & propulſandum eſt . Qui enim ſtrenue , & magno animo in bello terreno vincit , non minus fortior , habiliorque redditur contra hoſtes in bello ſpirituali .

Cernis itaque , doctiſſime Platina , expreſſe bellici exercitii non modo excuſationem , ſed ingentem commendationem , laudes , præconia , ſed & neceſſitatem , & utilitatem . Per quæ omnia , ut arbitror , objectis tuis fit ſatis, cum bellorum ſævitias , cædes , vulnera , ſacrilegia , plurimaque mala attuliſti ; quæ omnia , niſi fallor , non ex bellis ipſis , ut ex bellis , quæ ad pacem ordinantur , ſed ex illorum abuſu , & exceſſu prodire conſpicies : quemadmodum & ex ipſa inerti pace plura ad luxum , ad deſidiam , & ad innumerabilia pene vitia incitamenta prodire noſcuntur , ut hactenus diſſeruimus , & illico tangemus . Adde quod ea ipſa , quæ de bellis enormia enarraſti , de illis plane bellis intelligenda arbitramur , quæ ex bellandi indebito fine jure culpantur , ubi nocendi cupiditas , ulciſcendi crudelitas , nec non implacabilis , ac impatientis animi feritas ſimul , & dominandi libido , ut Auguſtinus voluit , principalius intenditur . Et hæc velim , primæ ſufficiant parti .

SECUNDA PARS

In qua agitur de difficultate humanæ quietis , quam pacem vocant ; & quæ ſit vera pax ; & de vitiis , & incommodis ex longa inertis pacis ſecuritate provenientibus .

COgit ordo politicus , diſertiſſime , ac eloquentiſſime Platina , ut poſt militarium armorum , ac bellorum excuſationem , ſimul & commendationem , nec non illorum neceſſitatem , & utilitatem , ad alteram partem accedamus , in qua inertis , ac deſidioſæ ſecuritatis , & temporalis quietitudinis plurimorum vitiorum nutricis , quam tu pacem vocas ,

bis ut in cæteris, ita quoque hac in re contingit: pacem in bello quærimus, in pace bellum; quod quidem eſt magnum inconſtantiæ ſignum. Neque nos unquam arma ſumpſiſſe pœnitet, niſi ubi in caput noſtrum retruditur injuria. Tum demum pacem optamus, quam non ita æquis conditionibus, Dei judicio, plerumque impetramus, ut malis edocti, bona eadem cognoſcere aſſueſcamus. Extaret adhuc fortaſſe Carthaginenſium nomen, extaret Numantinorum, extaret Corinthiorum, niſi potius, ruptis fœderibus, experiri fortunam armis, quam pace frui maluiſſent. Hæc eadem cauſa non Samnites modo, non Campanos, non Æquos, ſed Philippum Perſam, Antiochum, Ptolemæum potentiſſimos Reges omnino delevit. Populorum quidem pernicies, provinciarum vaſtatio, urbium everſio; non eorum, qui tot mala ob dominandi cupiditatem excitaverunt, deflendus interitus eſt, cum nihil eis tot malorum ſtructoribus grave, aut crudele aliquid accidiſſe videri poſſit. Execrantur omnes, maxime vero ſenio-
res

---

cas, & tantopere laudas, incommoda, damna, & diſcrimina, & calamitates brevi percurram. Prioris igitur partis ordinem ſequens, decem inter cæteras incommoditates laudatæ a te pacis, totidemque difficultates, ne dixerim impoſſibilitates, ſuccincte depromam, noſtri communis Judicis præſtantiſſimi ſalvoconductu fretus.

In primis igitur dicturus de pace, illud puto fore ſupponendum, quod, ut ſacri Interpretes deſcribunt, pax dicta eſt a pacto, quaſi pactum faciens, vel a pactione mentis; quo fit, ut ubi unanimis, ac conformis deſit mentis tranquillitas, ibi pax ipſa vera deſinat, neceſſe. Eſt ergo apud omnes mortales vera, atque perfecta pax non modo laudanda, ſed ſi in hac vita attingi valet, ſummis conatibus perquirenda. Alia vero pax ſuſpicienda, veluti quæ communis eſt omnibus hominibus juſtis, & injuſtis. Hinc unus ex divinæ legis ſanctis tractoribus, pax, inquit, humana ſic ſol eſt, ſic aer, ſic pluvia, & alia ſubſidia, quæ ſuper ingratos, & nequam ſunt.

Rurſus, ne de pace agentes æquivocatione multiplicis pacis fallamur, ſupponendum etiam credimus, quoniam apud ſacros tractatores novem eſſe pacis ſpecies comperimus, quarum prima eſt pax corporis, quæ nihil aliud eſt, quam quædam ordinata temperantia, vel concordia humorum, & partium ad invicem. Secunda eſt pax animæ inrationalis, quæ eſt ordinata requies, & concordia appetituum. Tertia eſt pax animæ rationalis, & eſt quædam ordinata conſenſio cognitionis, affectionis, & actionis. Quarta pax animæ, & corporis eſt ordinata vita, & ſalus animantium. Quinta dicitur pax domus, & eſt quædam ordinata concordia ſimul habitantium. Sexta eſt pax hominis, & Dei, & eſt quædam ordinata concordia civium imperandi, atque obediendi. Octava (mox affert ſeptimam) eſt pax cæleſtis, & eſt quædam ordinatiſſima concordia, & ſocietas fruendi Deo. Nona pax eſt univerſi, & eſt tranquillitas ordinis, quo immortalis Deus omnia diſponit ſuaviter pondere, & pro menſura. Cæteras igitur omittendo, ſeptimam diſcernamus, quæ eſt pax temporalis, ſive terrenæ charitatis, quam Auguſtinus definit, eſſe quamdam concordantium in bono tranquillitatem. Alibi vero eam definit, quod eſt ſerenitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, amoris vinculum. His igitur pro quibusdam præludiis ſuppoſitis, accedo ad explicandas temporalis pacis incommoditates ſimul, & defectus, ac difficultates.

Pax vera unitatem, animorumque exigit conformitatem ad homines abſque diſcrepantia; quæ res in pace humana difficile reperitur.

Prima incommoditas terrenæ quietitudinis, aut temporalis ſecuritatis, quam pacem vocant, & ejus difficultas ex eo patent, quoniam, ſi attente veræ pacis comites neceſſarios conſideras, pene impoſſibile cenſebis, poſſe in orbe terrarum pacem reperiri, aut recte confici, quo oſtenſo fiet, ut bona tua pace ſalva,
ne-

res apud Homerum . . . . conſilium . . . Paridis, & Helenæ Trojani belli capita, quo Urbs tanta cum tanto Rege, ac clara filiorum prole funditus interiit. Servati ſunt, & quidem ſoli ex tanta clade, nec immerito, Æneas, & Antenor, qui ſemper pacis, ut ait Livius, reddendæque Helenæ ſemper auctores fuerant. Tanta præterea fuit apud priſcos illos Romanos pacis auctoritas, & fides, ut obſervato jure feciali, prælatos etiam, & Duces fortiſſimos milites obruta fœdera repoſcentibus ad certum ſupplicium, ad propoſitam pœnam dederint. Quoties integras legiones ſupplicio dedere, quod contra fas humanæ ſocietatis jura, ob prædandi cupiditatem, violaſſent? Exemplo ſunt milites illi omnes ad unum ſecuri percuſſi, qui ſecundo bello Punico ceſſis reginis, quibus præſidio eſſe debebant, urbem ſociorum occuparunt.

Servanda itaque pax eſt, ne quod precibus, ac ſacrificiis ab immortali Deo continuo petimus, acceptum faſtidire, ac contemnere videa-

---

neceſſe tibi ſit mecum de pace ſentias. Non putes igitur, diſertiſſime vir, eas omnes laudes, quas cum maxima eloquentiæ luce attuliſti, de omni pace intelligendas fore, & longe minus de ea, quæ a gladiis materialibus, quæ ab armis militaribus, quæ a bellis ſimpliciter ſumptis ceſſare cogit; ſed niſi fallor, ea ſola pax tam mirificas meretur laudes, quæ, ut ſacri Interpretes voluerunt, decem, quos illico ſubjiciam, habet comites. Primo, quæ unitatem cauſat cum hominibus ſine odio, & diſcordia. Secundo, quæ conformitatem cum Deo habet ſine reſiſtentia. Tertio, ſi tranquillitatem in animo facit ſine pugna. Quarto, ſi pacem in deſiderio retinet ſine ulla concupiſcentia. Quinto, ſi ſtabilis, ſi impavida, ſi ſecura, ſi non ſimulata eſt. Sexto, ſi vitia fugat, virtutes nutrit. Septimo, ſi rerum temporalium cupidinem, & exceſſum reſpuit. Octavo, ſi Dei paci non adverſatur. Nono, ſi juſtitiam committat, ſi delicta puniat, elationem, ac ſuperbiam aſpernetur. Decimo, ſi impeditiva non eſt belli ſpiritualis contra hoſtes inviſibiles. Quæ omnia, cum difficile admodum, vel forte impoſſibile ſit, ut mortalibus plene inſint, conſtat veram pacem eos aſſequi minime poſſe. Igitur quot comites vera pax requirit, tot fore putamus incommoditates terrenæ, & imperfectæ pacis, & tot difficultates perfectam pacem conſequendi. Libet igitur partes ipſas diſcernere.

Primo igitur, quis ille mortalis eſt, qui unitatem, conformitatem cum proximis teneat ſine ſcintilla diſcordiæ, aut diſcrepantiæ? Quid tam pene impoſſibile, quam in una domo, in una urbe, aut provincia, ubi plurimi ſunt homines diverſos, & adverſos mores, diverſos animos, diverſas paſſiones, diverſos denique appetitus habentes, in unum ita eſſe conjunctos, atque unitos, ut in unum conformentur, unaque ſit omnium intentio? Aut quid prodeſt, ſi una nos continet domus, ſi ſeparat diverſa voluntas? Falſo certe quis putat pacem eſſe, quæ verborum conformitate, & animorum diſſenſu contrahitur; quam pacem ſignabat Propheta: loquuntur, inquit, pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum. Pax itaque vera fundatur in virtute, ex qua eſt concordia. Conſtat autem concordiam inter deditos vitiis eſſe non poſſe. Nam Cicerone teſte, ſic inter bonos concordia eſt, ſic inter malos factio. Non igitur eſt unitas, & pax inter malos. Quinimmo plerumque bona diſſonantia malam pacem extinguit. Sic de turri Babilonica legimus: Unde Propheta ait, zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns, ut innuat, pacem non eſſe inter malos. Nam & alibi ſcriptum eſt, non eſt pax impiis, dicit Dominus: quod Auguſtinus exponens, homines, inquit, non bonæ voluntatis, vel piæ mentis, pacem veram recipere minime poſſunt. Nam, ut alibi idem Auguſtinus ait, pax vera noſcenda, & amanda eſt, nec illa vera putatur, qua ſibi pacifice vivunt adulteri, raptores, ebrioſi, ſuperbi, quia non de radice charitatis, & juſtitiæ conſurgit. Et iterum ſuper illud, orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis, donec auſe-

deamur. Quid ſibi vult quæſo concurſus matronarum, & impuberum ad templa? Quid ſupplicationes Sacerdotum, & Virginum? Pacem ne, an bellum expoſcunt? Pacem profecto, non item bellum, dum in pace ſunt, quia nil certe contrarium humanæ felicitati eſt, quam perturbatio, & furor, comes, ſociuſque belli. Quem enim etiam conſtantem, & fortem non terret horrendum belli nomen? Quam terribilis vox illa, qua ad arma, ut ad certam mortem, conclamatur? Capimus ferrum, quo non ad rimanda hominum viſcera, ad ſuccidenda membra, ſed ad culturam agrorum, ad uſum communem uti deberemus. Nil nobis certe Salvator noſter, terras relinquens, pace ſalubrius, & peculiarius reliquit, & cujus meminerit magis; pacem, inquit, meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: hac enim via ſciebat nos ejus veſtigia perfacile imitaturos; cum bene, ac beate vivendi ratio in virtute, unde pax oritur, collocata ſit. Notatque item, eos, qui bella cuperent, pietatem,

---

auferatur luna; abundantia, inquit, pacis ſequitur juſtitiam, non vitia. Ea tamen pax non datur, donec auferatur luna, quouſque mortalitas corporis auferatur, & tollatur per generalem reſurrectionem; vel donec auferatur luna, Eccleſia militans extollatur ad triumphantem. Adde, quæ in ſexta incommoditate dicemus. Vides ergo pacis humanæ incommoditates, & difficultates.

Pax vera conformitatem expetit cum Deo creatore, & ſe ipſo abſque reſiſtentia; quod perraro in mortalibus invenitur.

Secunda incommoditas temporalis ſecuritatis, & pacis ejuſdem difficultas, ex eo maxime demonſtratur, quoniam nemo veram pacem conſequitur, niſi pacatus in ſe fuerit, conformitatemque cum ſuo Creatore habeat abſque reſiſtentia, quod tam difficile, quam rarum eſt. Quis enim tam rationi accommodatus, quis tam conformis Deo eſt, & laudabimus eum, cujus inferior pars rationi obediat, ac illi imperanti non reſiſtat? Ex quo illud ſequatur neceſſe eſt, quod non facile cum aliquo pacem gerere poteſt, qui ſecum bellum. Hinc beatus Leo Papa: Tunc eſt vera pax hominis, quando voluntas obedit rationi; ratio vero Deo præſide gubernatur. Rurſus, quis tam pacis avidus eſt, ut divinis præceptis ſit obediens ſine reſiſtentia? Qui enim tales ipſi ſunt, veram utique habent pacem, dicente auctore pacis, in æternum præcepta mea cuſtodi, & pacem apponent tibi; & iterum, pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Sed in Iſaia ſcribitur; Utinam attendiſſes ad mandata mea: fuiſſet quaſi fluvius pax tua. Unde Auguſtinus; pacem veram non habet, qui non ſic vivit, ſicut præcepit Deus eſſe vivendum. E contrario tamen, qui divinæ voluntati reſiſtit, qui illius mandatis non obtemperat, pacem veram habere non poteſt, dicente ſancto Job, quis reſiſtet ei, & habebit pacem, quaſi, nullus, dixerit. Super quo verbo Gregorius pulchre inquit, quod in eo conditori reſiſtitur, pacis conventio diſſipatur. Merito enim pacem non inveniunt, qui auctori pacis iniquis actibus contradicunt, perpulchre Auguſtino dicente, quia ſic judicatur in rebellem contra Deum, ut ſibi ipſi ſit bellum, qui pacem noluit habere cum Deo. Cum itaque omnis caro reſiſtat Creatori Deo, nec ejus mandata cuſtodiat, dicente ſcriptura, omnes declinaverunt ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum, merito pacem habere non poſſunt. Scriptum eſt enim; quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideo traditi ſumus in direptionem.

Pax vera, & quieta ſecuritas reddit pacatum animum abſque humanorum affectuum contradictione; & de animi diverſis paſſionibus pacem impedientibus.

Tertia incommoditas terrenæ quietudinis, & difficultas veram pacem conſequendi, ex eo cognoſcitur, quoniam vera pax tranquillitatem

tem, fidem, religionem, jusjurandum, humanitatem, gratiam, officium, ac ſanctiſſima mandata, augendarum opum, & dominandi cauſa, eſſe contempturos. Colent ne Deum, abſtinebunt a perjurio, a ſanguine humano, a rebus alienis; pietate utentur in parentes, Religione in Deum, humanitate in amicos, clementia in ſubditos, in ſupplices, vel victos, charitate in ægrotos, liberalitate in pauperes? Proderit ne idem cuipiam, docendo, conſulendo, admonendo, caſtigando, quod eſt boni viri præcipuum, qui quantum in eo eſt, non hominibus modo, ſed elementis, corporibus, ac ipſi Deo optimo maximo bellum indicit?

N

tatem in animo efficit ſine pugna; quo fit, ut illi veram aſſequantur pacem, qui nullis humanis affectibus agitantur, odio videlicet, ira, & amore, aut timore. Ea igitur, cum mortalibus ita inſint, ut vix vitari poſſint, conſequens videtur, illis obſiſtentibus, pacem veram in hac mortali vita reperiri non poſſe. Ut enim ſacri tractatores ajunt, illi veram habent pacem, quibus nihil repugnat, qualem pacem nos non habemus, dum adhuc dicimus, dimitte nobis debita noſtra.

A prima igitur paſſione, quæ odium dicitur, exordiamur. Cum itaque, ut ſupra diximus, odium directe paci adverſetur, conſequens eſt; qui odit proximum, non poteſt pacificus eſſe. Hinc, ut ſacra ſcriptura commemorat, Cain non poterat quæcumque pacifice loqui fratri ſuo Abel, pro eo quod eum oderat. Et rurſus, fratres Joſeph videntes, quod a patre plus cæteris amaretur, non poterant ei quidquam pacifice loqui. Odium autem ex invidiæ livore prodire palam eſt, cujus illa ratio putanda eſt, quoniam moventur homines, ut communius, ad ea odio habenda, quæ maxime contriſtant. Conſtat autem, invidiam eſſe triſtitiam de bonis alterius. Stante igitur invidia, pax eſſe non poteſt. Habet enim invidiæ rabies, ut inquit Seneca, quatuor comites pacis æmulos. Nam qui invident, torquent ſe, macerant, extenuant, injurias dilatant, & augent; adeo ut de omnium felicitatibus torqueantur, & quanta ſunt felicium gaudia, tot ſint gemitus invidorum.

Rurſus ira paci inimicatur. Naſcitur autem ira, ut Philoſophus ait, ex injuſta parvipenſione, aut deſpectione. Eum quippe, qui parvipendit, aut deſpicit, tranquillum non habere animum, perſpicuum eſt. Conſtat autem, pacem non aliud, quam tranquillitatem animi fore. Denique cum ira appetitus ſit vindictæ, non facile pacem cum illo gerimus, cujus vindictam peroptamus. Pax enim iram, & vindictam non appetit, quia illa unitatem parit, iſta diſcordiam, Salomone in Proverbiis dicente, qui provocat iras, producit diſcordias; idque beatus Auguſtinus pulchre docet: ait enim, verus pacis amator, inimicorum ejus eſt miſerator: quemadmodum ſi lucem iſtam amares, cæteris non iraſcereris, ſed eos doleres. Quam itaque rarum ſit inimicorum miſereri, quam rarius non iraſci, ſatis expreſſit Propheta inquiens, conturbatus eſt in ira oculus meus; & iterum, peccator videbit, & iraſcetur. Recte ergo ira, & vindictæ appetitu æſtuantes pace carent, & per bella de illis vindicta habetur, quam in alios exoptarunt, quia ſcriptum eſt, qui vindicari vult, inveniet in ſe vindictam.

Amor vero, qui altera paſſio appellatur, non minus paci adverſatur, ſive inordinatus ſit amor ſui, ſive aliquorum. Hinc Auguſtinus ait, civitatem Babylonis facit amor ſui uſque ad contemptum Dei. Conſtat autem, qui Deum contemnunt, habere pacem non poſſe; dicente Propheta, quis reſiſtet ei, & pacem habebit? Denique timor ſecuritatis, & pacis eſt æmulus. Oritur ſiquidem ex inordinato amore temporalium pro eo, quod quilibet, quæ maxime amat, timet amittere; ſed & nullus timet, niſi quod eſt contrarium ejus, quod amat. Pax itaque, cum ſit mentis tranquillitas ſine pugna, conſtat, inordinate timidos, & ſui amatores tranquillos, & quietos mente eſſe non poſſe. Non enim pacatum habet animum, quem timor cruciat, quia, ut ajunt, nunquam pax cum timore concordat.

Pa-

dicit ? Ejus enim illa ſunt verba : qui non eſt mecum , contra me eſt . Adhortatur idem bene vivendi , ac moriendi magiſter diſcipulos , ut ingreſſuri cujuſvis domum , pacem precentur . Sed quid ego hæc exempla divina , atque humana commemoro , cum elementa inanimata quidem , unde hæc noſtra corpuſcula originem trahunt , pacem expetere videantur ? Agitatum ventis mare , quam terribile ſit viſu , quam pernicioſum accolis , & nautis , norunt , qui currentium undarum , tamquam ex manu conſerta , ictus , & procellas cum naufragio nonnunquam perpetiuntur . Idem vero , ceſſante vento , quieſcentibus undis , quam paca-

---

Pacem itaque tam prompte , tam vere mortales conſequuntur , quam facile his omnibus paſſionibus exuuntur ; quos Job ſignat , inquiens , involutæ ſunt ſemitæ greſſuum tuorum , & perturbatæ hujuſmodi humanis paſſionibus . Eas ipſas animi paci adverſari Chryſoſtomus aſſerit , quod pax non eſt , niſi iis expulſis ; veluti id quod ægrotare cogit , inciditur , atque id , quod litem infert , ſeparatur : & ſubdit , quod ita poſſibile eſt cœlum terræ copulari , ſicut poſſibile erit pacem aſſequi , non expulſis animi paſſionibus , quæ pacem impediunt .

Pax vera liberum exigit animum , a terrena concupiſcentia ſemotum , bonis deſideriis incenſum : quæ impoſſibile pene videtur , hominibus perfecte ineſſe .

Quarta incommoditas terrenæ quietis , & temporalis pacis ex nimia difficultate eam perfecte conſequendi comprobatur . Exquirit enim pax ipſa liberum habere deſiderium ſine ulla terrena concupiſcentia , cujus illa eſt cauſa . Qui enim aliquod bonum obtinet , & aliud , quo caret , peroptat , pacatum animum habere non valet , niſi rem optatam aſſequatur ; dicente Gregorio , ſicut tranquillo animo vivit , qui nihil appetit , ita nihil inquietius , quam alia , quæ non habet , concupiſcere , & terrenis deſideriis æſtuare . Qua de re Caſſiodorus recte pacem definivit , nihil aliud eſſe , quam concordantium in bono ordinatam mentis tranquillitatem , quam certe cupiditati adverſaria novimus . Quod Jeremias Propheta non negavit inquiens , quia a minimo uſque ad maximum omnes avaritiam ſequuntur .... & ſanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam dicentes : pax pax ; cum non eſſet pax . Vides quam maxime terrenorum cupiditatem paci contrariari ; idque in libro Geneſeos ſignatum reperies , cum Abraham Dei præcepto vaccam triennem , & capram , ac arietem trium annorum per medium diviſit : turturam autem , & columbam non dividebat ; quia cupidi , & carnales ſemper inter ſe diviſi ſunt ; ſimplices vero , & a terrenis cupiditatibus liberi , qui per columbam , & aves ſignantur , non dividuntur , ſed amoris glutino junguntur . Hinc noſter Seneca ait , quia nunquam tranquillus , nunquam ſecurus eſt animus cupiditate reus .

Quo igitur pacto mortales veram pacem aſſequi poſſumus , qui contrariis pacis deſideriis æſtuamus , qui nulla tranquillitate , aut animi quietitudine fruimur , qui ſemper majora concupiſcimus , ſemper in ſpe ſumus ? Si enim quod ſperamus adipiſcimur , rurſus ſpem in longiora , difficilioraque tranſmittimus , & inde rurſus alio , ita ut craſtinus dies hodierno clarior nobis ſit , cum futura ſemper meliora præſentibus putemus : adde , quibus nihil gratius eſt , quam concupiſcere multa , cum parva mereamur , majora ſperare , cum minora nondum digeſſimus , adeo ut ſpem ipſam nullis eventibus rerum ſperatarum quietemus : quo ſit , ut concupiſcentiam , & ſpem ipſam , ne dum bellorum potentia , ſed & dolis , & fraudibus , variiſque artibus nutriamus . Quare illud conſequens eſt , ut qui terrenarum rerum concupiſcentia animum gravatum habet , pacem habere non poſſit . Unde Bernardus , pax non eſt , niſi hominibus bonæ voluntatis . Qui enim multa cupit , & inſatiabilis eſt , corde inquietus eſt , anhelat ad gloriam mundi , nec pacem retinens , nec gloriam apprehendens . Poſtremo illud cujuſdam ſapientis veriſſimum putandum eſt : depone , inquit , cupidinem , & plenam animo pacem conſequeris . Multa enim ſperare , non niſi bellantis eſt ;

catum , quam portuoſum , quam navigantibus utile , ut etiam nolentes mercatores ſua tranquillitate attrahere ad ſe , & allicere videatur ? Vagantes tum piſces , pace ubique parta , littus , & altum pro libidine petunt , nec allidi in ſaxa , aut rejici ad littus , quod undis fieri ſolet , verentur . Amplius paſcuntur in littore aves , nidificant tuto halcyones , quibus non alibi , quam in maritimis locis ova parere , & incubare licet . Idem etiam nobis , & animantibus omnibus ex aere contingit . Eo enim perturbato , ventos , & quidem frigidiſſimos , pluvias , imbres , nives , grandines , fulmina , tonitrua perpetimur . Hinc poma

eſt ; quare , ut bello non careat , dignum eſt , veluti qui pluris bellum , quam pacem timet.

Pax humana pavida , inſtabilis , doloſa , fugax , & incerta demonſtratur.

Quinta pacis humanæ incommoditas , & eam conſequendi difficultas ex eo patet , quoniam pavida , inſtabilis , fugax doloſa , & mercenaria eſt . Inſtabilis inquam , atque pavida eſt , quia femina , & femineo nuncupata nomine , quæ ſui natura timida , inſtabilis , & mobilis eſt . In omnibus ſiquidem rebus is , qui timet , ignobilior eſt eo , quem timet ; pax vero , cum bellum ſemper timeat, eo indignior cenſetur . Timida merito eſt , quod faciliter rumpitur , turbatur , atque contremiſcit , non modo bellorum conflictu , ſed ipſius audito rumore . Vide quam miſera , quam imbecillis ſit : nequit ſe ſe a bello , niſi cum bello defendere . Quid enim tam miſerum , tamque fragile , quod non niſi ab hoſte ſe protegi , & conſervari ſperet ? Cæteræ res hoſtibus reſiſtunt , hæc ultro cedit . Nunquam pax lætum habet diem : quo enim magis ſecuram ſe putat , majore belli timore concutitur, ut veriſſimum ſit illud Job , ſonitus terroris in auribus . Pejora ſemper illa præſtolatur , ſemper inſidias ſuſpicatur , circumſpectat undique gladium . Quare nihil tranquillitatis , nihil quietitudinis , aut ſecuritatis præſtare poteſt . Nam Auguſtino teſte , quando ſecura eſt humana pax , quæ nunquam potuit auferre timorem ?

Adde non minorem humanæ pacis miſeriam. Quidquid infelix pax ipſa multis ſudoribus , atque periculis perquiſivit , non ſibi , ſed bello invicta relinquit : tam omnium rerum miſera eſt , ut nec ſatiari queat , quum tandem omnia bello exponenda conſervet ; cujus funeſtam infelicitatem Propheta tangit inquiens , diripient alieni labores ejus , & inimicus implebitur ſpoliis ejus .

Rurſus doloſa , & ſimulata eſt humana ſecuritas , dum non modo in media pace , ſed cum conficitur , de bello ipſo cogitat ; tamdiuque humanam pacem agentes , eam ſervare intendunt , quamdiu aut debiliores ipſi erunt , aut utile interim conſequentur .

Mercenaria denique exiſtit , dum quoddam videtur eſſe inſtrumentum , quo majores diſcordias ordinat . Adde verum eſſe illud Solini , quod eo tempore tantum inter mortales de pace agitur , cum ſibi uterque confidit . & pares ambo videntur . Quod ſi alteri paululum fortuna tribuerit , vix utetur pacis conditionibus , quæ ſuperiora putantur ; nec æqua parte contentus erit , qui omnia ſperat ſe habiturum . Non aliud clamabat quidam ex prudentibus ipſis ſcriptoribus ; falſo , inquit , putas te pacem conſecutum . Dediſti hoſti ſpatium ad colligendas vires , quibus fortius te feriat : adeo ut utrinque pax ipſa fluctibus pendeat ; nam & timor perdendæ pacis obſtat, ſimul & timor belli . Neſcitur autem , an ſit gravius perdere , quam ruere ; quinimmo , ut puto , miſerabilioris conditionis eſt , nec pacem obtinere poſſe , nec bellum . Nec abs re magnus Auguſtinus humanam pacem bonum quoddam incertum appellat , pro eo quod corda eorum , cum quibus illam cupimus , ignoramus ; cujus illa cauſa eſſe videtur , quia nullæ ſunt occultiores inſidiæ , quam hæ , quæ latent in dolo , & ſimulatione officii , aut in aliquo pacis , vel neceſſitudinis nomine . Illum enim , qui palam eſt adverſarius , facile vitare poſſumus : quo fit , ut veram , atque perpetuam pacem minime aſſequi poſſimus ; cum ſub umbra pacis bellum lateat .

Nec , ut ajunt , pacem puram , aut diutur-

ex arboribus, uvas, baccas, nuces decuſſas ante maturitatem cum gemitu cernimus. Hinc proſtrata ſata, tot dierum labores, hinc corpora humana corrumpi, ac in varias ægritudines prolabi videmus: Mærent aves, ingemiſcunt animantia, ut ait Heſiodus, & latebras, vitandi mali cauſa, quæritant. At ubi ſerenum effulſit, & pax eſt reddita terris, evaſiſſe tempeſtatem gratulabundi, otio ſecuri, & tranquillitate fruuntur. Garriunt tum aves, geſtiunt quadrupedes, ac reliqua animantia, & quaſi ſecuritatem nacta, ſeſe ad id, quo natura feruntur, effundunt, præteritorum malorum parum recordantia: tanta eſt præſentis

---

turnam ſinit armorum inſtabilitas ſecum non minus, quam cum hoſte bellantium. Nam profecto tam inſtabilem, & ſimulatam pacem ſignabat Propheta inquiens, pax pax, & non eſt pax; & apud Machabæos ſcribitur, quod Apollonius ſimulavit pacem ad tempus, quo in feriatos Judæos irrueret. His igitur humanæ pacis legibus conſideratis, Auguſtinus dicebat, quod in hac vita non eſt perfecta pax, in qua ſi non facili operatione, tamen labili loquutione, aut volatili cogitatione peccatur. Quid igitur ſibi velit hic mortalium jocus, quo cum pace ludunt, quid utilitatis afferat parum duratura pax, verius dixerim, ſubdola belli ceſſatio, quam pacem mortales vocant, non video; niſi quod, ut ajunt, in morbis incurabilibus parva a dolorum cruciatibus reſpiratio, loco remedii, & ſanitatis habetur. Hinc Seneca: nulli longa pax fuit; vix induciæ ſunt.

Pax humana plurima vitia nutrit; virtutes, & honores pellit.

Sexta humanæ ſecuritatis, & quietis, quam pacem vocant, incommoditas, ex eo maxime patet, quia ſectatrix eſt vitiorum, inimica plurimarum virtutum, ut latius in prima parte deduximus, præſertim in octava, & decima bellorum commendatione; quibus adde, quod, ut ait Auguſtinus ea præclara ſententia, pax non eſt dicenda eorum, qui noverunt poſtponere recta pravis, & ordinata perverſis; ſubdens, quia pax non eſt vera, quando vitiis obtemperatur, quinimmo ſævior eſt ipſa pax, quæ animos luxuria frangit, quam bellica exercitatio. Illa orbem proſtravit, hæc victum ulciſcitur; & rurſus ſubdit, longam pacem novercam fore virtutum, ac perfectis, & virtuti deditis viris inimicam; quod validis probat argumentis. Ait enim, Scipionem contra dixiſſe Catoni volenti Carthaginem dirui, quæ diu Romanos afflixerat, pro eo quod videbat, infirmis animis hoſtem eſſe pacis ſecuritatem, & tamquam pupillis civibus idoneum, neceſſariumque tutorem. Dicebat denique, quod ceſſantibus bellis, ceſſarunt & vitia, ambitio, avaritia, luxuria. Exemplo rurſus id ipſum demonſtrat; quoniam ſecuritate Romanis data poſt Carthaginis everſionem, inſurrexerunt bella civilia, quæ rempublicam ad nihilum redegerunt. Quid autem ſit, cur vitiis deditis hominibus pax inimica ſit, facile conſpicitur. Homines ſiquidem virtute carentes pacis tempore faciliter ſuperantur. Conſtat autem eos eſſe, qui timent ab hoſtibus ſuperari, qui fortius ad virtutem conantur, cujus conatus ipſe timor cauſa fuit. Rurſus, quam inimica ſit ipſa pacis ſecuritas bonis viris, pulchre Laureatus inſinuat: Idque ex Auguſtino didicerat. Inertis, inquit, & languidi animi eſt longa requie torpeſcere, quo nil fœdius, nil ſepulchro ſimilius eſſe poteſt, nihilque, niſi inglorius torpor, pigris, ventrique, & ſomno deditis, obvenire poteſt; & tandem ſubdit, eos erraſſe, qui putant, cives locupletes in media pace dignius in urbe vivere, quam Scipio in Africa cum hoſtibus pugnans.

Ex quibus liquido conſpicere libet, quoniam virtus non ſine ſcabroſo, aſſiduoque illorum certamine quæritur. Longa vero pacis ſecuritas ne dum animos effeminat, ſed & corpora pergravat, enervat, fruſtratque ingenia, quod paucis verbis quidam ſapiens inſinuat; nihil, inquit, inerti pace pernicioſius, qua uſus armorum dediſcitur, nutritur puſillanimitas, vires fatiſcunt, obrepit inertia, & ad immunditias, & quæque vitia animus implicatur.

Pax

tis boni voluptas! Quid poteſt eſſe bello illo pernicioſius, quo populos Deus, immo errata noſtra peſtilenti cælo afficit? Quam multa tum cernuntur funera, quam funeſtæ domus, quam lugubres populi, quam deſolatæ Civitates, & vaſtatæ Provinciæ! Impetrata Dei pace, fugata paulatim tantæ calamitatis nube, ad officia quique ſua converſi, rempublicam, & privatam, quæ ſunt pacis opera, curamus.

Verum enim, ut quid diutius in re præſertim manifeſta moramur? Cum liceat oculis cernere, quid mali bellum, quidve boni ſecum pax afferat. Concordia enim, ut ait Criſpus, res publicæ creſcunt, diſcordia

---

Pax humana inſtrumentum eſt augendæ rei familiaris, & cupiditatis divitiarum: quare abundantia veram impedit pacem.

Septima incommoditas humanæ quietis, quam pacem vocant, & illius difficultas ex eo patet, quoniam inſtrumentum videtur augendæ cupiditatis terrenorum, quam totam effugere perquam difficile eſt. Cum enim nulla principalior cauſa videtur ſolvendi quippe, & extinguendi pacem, quam ipſa inexplicabilis rerum abundantia temporalium, ad quam inordinata omnium fere mortalium aviditas tendit, dicente ſcriptura, omnes avaritiæ ſtudent a minimo uſque ad magnum, conſequens eſt, ut tam difficile ſit pacem terrenam conſequi, quam eas ipſas res terrenas nec cupere, nec augere.

Idque ut liquidius conſpiciatur, illud Ariſtotelis in Politicis putamus ſupponendum, pacem ipſam humanam nequaquam fore finem humanæ politiæ, ſed ipſa felicitas, aut ſecundum virtutem operatio. Conſtat itaque pacem non eſſe operationem, immo quamdam privationem, ſive ceſſationem ab operatione, & ſi quid eſſentiæ habet, nil aliud eſt, quam quædam quietatio ordinis civium in fine virtuoſæ operationis, ut ſapientes definiunt, quæ non propter ſe ipſam quæritur, ſed propter aliud. Non ergo, ut quidam garriunt, pax eſt ultimus reipublicæ finis.

Rurſus ſupponendum putamus, ipſam felicitatem humanam, quam operationem præſertim virtutum morales appellant, & ad quam ipſa pax terrena ordinatur, quammaxime impediri ex rerum terrenarum abundantia: idque primo moralibus, deinde ſacris teſtimoniis comprobabimus. Eſt enim Ariſtotelis ſententia, quod vera pax plurima requirit, difficilia quidem; quorum illud primum videtur, ut homines ſic ſe habeant, quod quilibet ad bonum reipublicæ ſe totum dirigat. Reliquum eſt, ut cives reipublicæ plurimaque habentes non ſint, nec nimis egentes, ſed mediocres, cujus illam putat Ariſtoteles cauſam; nam qui plurimum abundant, facile alios contemnent; ſi nimis egeni, divitibus invidebunt. Conſtat autem quia quietatio, & pax non ſunt contemptui, & invidiæ compatibiles; quinimmo eis plurimum repugnant.

Alterum rurſus ad veram pacem exigitur, videlicet, quod cives virtuti dediti ſint, rationique obediant, pro eo quod, ut quidam Philoſophus ait, omnia virtuti conſonant; quo fit, ut ſi homines rationi, & virtuti accommodati non ſint, ſed propter incrementum utilis, aut delectabilis quietem optent, atque procurent, veram pacem non attingant. Non enim conformitas hominum ex utili temporali, aut delectabili ſumpta, pacem efficit: quoniam tamdiu durabit pax, quamdiu utilitas, aut delectatio permanet. Vides ergo diſertiſſime Platina, ipſam rerum temporalium abundantiam quam maxime extinguere homines.

Rurſus ſacrarum ſcripturarum teſtimonia apertiſſima ſunt. Ut enim ſacra tradunt annalia, creverat terrena ſubſtantia Abrahæ, & Loth, & erat multa; quare nequibant ſimul habitare: unde facta eſt diſſenſio, & rixa inter paſtores, & homines utriuſque fratris. Conſpicis ergo etiam apud juſtos, & bonos, ipſarum rerum terrenarum ſubſtantiam pacem ſuffocare, & quam maxime impedire. Denique factum eſt jurgium inter paſtores Iſaac, & Gerare ob grandem ovium, & armentorum abundantiam. Hinc alibi ſcriptura ait, hæc fuit iniquitas tua Sodoma, abundantia pacis, & ſaturitatis, ac otium; & iterum Propheta id ipſum ſignat, cum ait; prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, & tranſierunt in affectum

dia vero, & ſeditione, magnæ dilabuntur. Convenientibus enim ſimul civibus, amplæ fiunt urbes, quæ certe ſine legibus, ſine moribus, ſine juris æqua deſcriptione, ſine vivendi diſciplina, quæ ſunt pacis opera, etiam ædificatæ, & auctæ ſtare non poſſent. Ingenito enim quodam amore, innata manſuetudine, & verecundia, ſi nobis per pacem licet, tecta, quibus & frigorum vis pellatur, & illorum moleſtiæ ſedentur, hominum cauſa ædificamus, valetudinem ægrogantium curamus, navigatione ad importandas, exportandaſque res uſui hominum accommodatas utimur, fruges, fructuſque percipimus, & conſervamus, ſaxa, & mar-

---

ctum cordis ſolum æſtuantis ad rerum terrenarum abundantiam.

Pax humana adverſatur veræ, & perfectæ paci; & de differentia inter utramque, & de difficultate pacis, propter defectus veritatis.

Octava pacis terrenæ incommoditas, & illius difficultas ex eo patet, quod pax ipſa humana contrariatur quammaxime divinæ, & veræ paci. Quod enim bono contrariatur, conſtat non bonum eſſe. Ut igitur cætera omittam, pax humana veræ paci in tribus adverſatur. Primo quidem ex ipſa intentione. Conſtat enim, ut paulo ante diximus, quod mortales pacem ipſam terrenam ordinant ad quietam, & pacificam fruitionem rerum temporalium; quo fit, ut quandoque cooperetur pax ipſa hominibus ad peccandum: pax vero perfecta, & vera ordinatur, non principaliter ad res terrenas pacifice tenendas, ſed, ut diximus, ad operationem virtutis, & ad ipſam pacem cœleſtem. Nam, teſte Auguſtino, terreſtris civitas terrenam pacem refert ad cœleſtem, quæ vera pax eſt.

Rurſus pax terrena adverſatur veræ, & divinæ paci pro eo quod illa tantum exterius, ut hactenus in quinta commendatione diximus, ſed pax perfecta eſt, quia quietat interius, & exterius: quippe quæ ſine veritate eſſe nequit. Sola enim veritas diſcordantes conciliat: quam utique pacem in veritate radicatam Ezechias Rex petebat inquiens, ſit tantum pax, & requies, ac veritas in diebus meis. Conſpicis igitur, inter quos veritas non eſt, pacem eſſe non poſſe, dicente Boetio, nulla eſt diſcordia viris, qui ſibi veritate cohærent; & Hilarius inquit, inter veri aſſertionem, & pravi defenſionem pertinax pugna eſt, dum ſe, & veritas tenet, & tuetur voluntas. Ex quibus pacem ſine veritate eſſe non poſſe aperte inſinuatur. Quam rara itaque ſit veritas in terra, ſacra Scriptura inſinuat dicens, quod non eſt veritas in terra; & iterum Propheta ait, non eſt in ore eorum veritas; & rurſus, diminutæ ſunt veritates a filiis hominum.

Demum pax terrena tertio loco adverſatur veræ paci in perfectione; quoniam terrena pax eſt imperfecta, cum ſolum illam homines ordinent ad quietem bonorum exteriorum, quæ, ut diximus, plerumque operantur ad vitia. Sed pax Dei eſt perfecta, pro eo quod virtute regulata quietat interius, & exterius. Ex quibus conſtat perfectam, & veram pacem in hac vita reperiri non poſſe.

Pax vera ſine legibus, & juſtitia non conſtat; elationem, & arrogantiam reſpuit. Rurſus quare tam raro, & difficulter pax obtinetur.

Nona difficultas, & pene impoſſibilitas veram in hoc ſæculo conſequendi pacem, ex eo monſtratur, quoniam vera pax juſtitiam comitatur. Rurſus arrogantiam, & elationem reſpuit. Tanto ergo difficilius pacem veram mortales conſequuntur, quanto rarius juſtitiam amplectuntur, & quanto difficilius arrogantiam, & ſuperbiam aſpernantur.

Ut ergo ab ipſa juſtitia incipiamus, illud ſancti Job in mentem veniat; ait enim, ſi mundus, & rectus inceſſeris, pacatum reddet Deus habitaculum juſtitiæ tuæ; ex quo illud conſtat, quod vera pax ſine juſtitia eſſe non poteſt. Hinc Sapiens, & erit opus juſtitiæ pax. Juſtitia itaque primo quamdam præſupponit æqualitatem. Nec juſtitia recta eſt, quam ſibi unuſquiſque optat. Pax vero humana,

marmora ex montibus excindimus, lateres, & cæmentum conficimus: tum publice, tum privatim ad cultum, ornatumque Urbium, & aurum, & argentum effodimus penitus abditum, quibus adminuculis homo in emendis, vendendiſque rebus utatur. Ducimus aquas, derivamus flumina, agros irrigamus, moles fluminibus, ne inundent, opponimus. Urbes, portuſque munimus, fana ædificamus, rem divinam inſtituimus, fora ſternimus, vectigalia curamus, portoria locamus. Sunt & opifices, & ſecularium artium magiſtri, qui paſſim per urbem ſparſi calceos, vaſa, veſtes, ac reliqua cultui hominum accommodata conficiunt. Non

na, ut Auguſtinus ait, ab omnibus optatur, ſed talis, ut ea ſit, quam volunt. Cupiunt enim mortales pacem cum illis, quos ad arbitrium ſuum vivere volunt. Nam etiam eos, cum quibus bella gerunt, ſuos facere, ſi poſſent, volunt, eiſque ſubjectis ſuas leges pacis imponere. Demum juſtitia id alteri cupit, quod ſibi: quare pax conformitatem habet cum proximo, quæ ſiquidem conformitas juſtitia eſt. Unde Apoſtolus, juſtitia, pax, & gaudium; quia veluti ex diſſenſione diſcordia naſcitur, ſic de vera pace gaudium. Hærent enim ſibi inſeparabiliter; quia ſcriptum eſt, juſtitia, & pax oſculatæ ſunt. Quod verbum exponens Gregorius ait, duæ ſorores ſunt juſtitia, & pax, duæ amicæ, ipſæ ſe oſculantur. Si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipſa pax, nec ad te veniet. Qualis autem juſtitia in hoc terreno incolatu exiſtat, Propheta declarat inquiens, quia pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ tuæ; & iterum, non eſt judicium in congreſſibus eorum: & alibi, non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum. Sed & Sapiens id ipſum non negavit: Vidi ſub ſole, loco juſtitiæ, impietatem: & rurſus, periit juſtitia a filiis hominum. Ergo merito pax non eſt, quia juſtitia periit, dicente alio ex Prophetis, iniquæ ſunt viæ vobis: quare pax recedet a vobis.

Inter cætera vero injuſtitiæ genera, illud deteſtabilius putandum eſt, cum in Deum, in rempublicam, in proximum admiſſa ſcelera non puniuntur, qua de re exulet pax, & tranquillitas terrena neceſſe eſt: nec enim ſe ſe compatiuntur impunitas ſceleratorum civium, & quietudo civitatum. Quemadmodum corpus ſanum, quietumque eſſe non poteſt, cum excedentes humores non corriguntur, aut a corpore non extirpantur, ne totum inficiatur corpus; ſic corpus reipublicæ miſticum nequaquam ſanum, aut tranquillum eſſe poteſt, ſi membra rebellia, & excedentia non corriguntur. Unde Eccleſiaſtes, ecce, inquit, quia non profertur cito ſententia contra malos, abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala. Attamen peccator ex eo quod centies facit malum, & per patientiam hominum ſuſtentatur, ego cognovi, quod erit bonum timentibus Deum. Non ſit bonum impio, nec prolongentur dies ejus, ſed quaſi umbra tranſeant, qui non timent faciem Domini. Etenim peccata, & cuncta flagitia puniri Deus jubet, ut hominum ſocietas, & conformitas, quæ ipſa pax eſt, temeritate improborum non rumpatur: dicente Auguſtino, cum agit de puero Centurionis, quod illa bella Dei benevolentia geruntur, ut ad pacis juſtitiæque ſocietatem victis facilius conſulatur. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, utilius vincitur; quoniam, ut ſubdit, nihil infelicius infelicitate peccantium, qua pœnalis impuritas, & mala voluntas, veluti hoſtis, interius roboratur: & iterum, ne dum juſte, ſed neceſſario bella geruntur, ut mali coerceantur. Si enim delinquentes ſuæ juſte relinquerentur libertati, quare Deus Iſraelitas murmurantes diverſis bellis afflixit? Hinc in quodam canone Gregorius ait, quod ſceleratorum hominum peccata punienda ſunt, ne propter neglectum iracundia Dei commota, belli gladius interimat, quos delinquentes ad viam veritatis, & æquitatis non reducit; & iterum, ſi peccata quibus Deus offenditur ulciſci differimus, ad iraſcendum utique divinam vindictam provocamus. Nam Achor filius Zaræ, quia peccata non punivit, diverſis bellis afflictus eſt. Agit itaque juſte juſtiſſimus ipſe Deus, eam pacem nobis ſubtrahens, in qua Deum offendimus, ut ea mala, quæ cum pace homines curare negligunt, juſtus Deus cum

Non deſunt præterea foris , qui greges pecorum paſcant , unde innumerabiles fere utilitates hominibus proveniunt . Ut enim lacte , caſeo , carne veſcimur , ita pellibus , & lana veſtimur . Domantur equi , domantur boves , ac reliqua jumenta , quæ non ſine cauſa a juvando ſunt dicta . Maximarum artium ſtudia , ſine quibus bene moratæ civitates eſſe non poſſunt , ut bello intermittuntur propter ſtrepitus , & concitationes animorum ; ita pace , ſedatis animis , & corporibus , celebrantur . Quo , quid fieri melius poſſit , aut præſtabilius , certe non video : cum ex his non animi ſolum oblectatio , curarumque requies quæritur , ſed & re-

---

cum bello puniat . Scriptum eſt enim , qui negligit viam ſuam mortificabitur ; & iterum , non mireris , ſi te neglexerit , qui cum neglexiſti , ne faceres judicium .

Demum vera unitas , & pacis conformitas elationem , & arrogantiam non compatitur . Sicut enim manſuetudo , æqualitas , & humilitas efficiunt pacem ; ſic ex ſuperba elatione diſcordia generatur , quia per Sapientem ſcriptum eſt , inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt . Cujus illa poteſt eſſe ratio : elatus quidem præeſſe vult ; Rurſus contumelioſus eſt , quoniam Salomone teſte , ubi ſuperbia , ibi contumelia . Conſtat itaque deſiderare ſuper alios ire , illoſque contumeliis afficere , paci , & conformitati adverſari . Quo enim pacto concordiam , & pacem habere valebit , qui inferiorem deſpicit , qui ſuperioribus , qui paribus dominari ſatagit , qui , quanto ſe altius erigit , tanto a pace recedit ? Adde quia elatus , & ambitioſus nec ſibi , nec aliis concordat . Non utique ſibi , qui ſe ſupra ſe exiſtimat . Non rurſus : Primus enim in hominum conventu præeſt , in conſilio reſpondit , non vocatus accedit , non miſſus ſe ingerit , reordinat ordinata , reficit optime facta ; quicquid ipſe non egit, nec recte factum , nec pulchre exiſtimat ordinatum ; judicat judicantes , præjudicat judicaturos , quæ omnia , quantum paci adverſantur, facile libet agnoſcere . Recte igitur Lucius Seneca ait ; nunquam in tuto ſtetit ſuperbia , & arrogantia , quæ ſua ſemper erigere , aliena deprimere conatur .

Ex quibus aſpicis mortales tot vitiis obtenebratos , non facile , niſi velis novos , aut facere , aut fingere homines , veram pacem poſſe conſequi , quos recte Apoſtolus ſignat inquiens , cum dixerint pax , & ſecuritas , tunc repentinus eis ſuperveniet interitus .

Pax humana torpeſcere cogit ad utilia exercitia , & bella ſpiritualia . Et quæ ſunt veram pacem impedientia . Rurſus , quænam ſit vera , & perfecta pax .

Decima incommoditas terrenæ quietis, quam pacem vocant , & difficultas eam conſequendi, ex eo conſpicitur , cum per eam ipſam temporalem pacem torpeſcimus ad utiliora exercitia, quæ ſunt ſpiritualia bella nobis contra hoſtes humani generis peragenda , dicente Paulo vaſe electionis , non eſt nobis colluctatio adverſus carnem , ſed adverſus Principes tenebrarum ; & ad Romanos idem Paulus admonet jam ultra non eſſe carnaliter bella peragenda ; ſed , ut Gregorius exponit , animæ certamina contra ſpirituales adverſarios deſudanda . Quibus utique bellis vera Dei pax in nobis nutritur , dicente Gregorio in Moralibus , quod inde nobis pax robuſtior exoritur , unde nobis ab adverſariis durior pugna generatur . Eo certe inviſibili , ſed fortiſſimo bello Paulus ipſe excitari nos jubet inquiens , induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare contra inſidias Diaboli . Hoc eſt certe graviſſimum , licet inerme illud bellum , quod nobis Chriſtus Dux inſinuat inquiens , nolite arbitrari , quia veni pacem mittere in terram , ſed gladium . Venit , inquit , non pacem mittere in mundo , nec quietem inter homines , & dæmones , quos ab ipſa mundi conſtitutione nobis inſidiatores , & hoſtes conſtituit dicens , inimicitias ponam inter te , & mulierem , & filios ejus , ſed bellum , ut malam pacem bonum bellum exterminet . Digne igitur nobiſcum agitur , ut qui bellis ſpiritualibus ſalutiferis non excitamur , terrenis diſſidiis affligamur , quietemque amittamus temporalem , qui ad æternam ſecuritatem reſpiramus . Nec eſt indignum

& rerum divinarum, atque humanarum ſcientia, conſtantiæ communis ſocietatis, modeſtiæ, ac prudentiæ ratio petitur. Quibus virtutibus non una civitas, non provincia, ſed totus orbis terrarum conſiderate, integre, conſtanter, ac ſecure gubernari poſſet, ſi pacem bello, juſtitiam rapinæ, prudentiam temeritati, modeſtiam incontinentiæ, ut fas eſt, anteponeremus.

O Hæc

gnum, ut terrenis tamquam levioribus impetantur bellis, qui ſpiritualibus tamquam acrioribus, aut torpeſcunt, aut facile vincuntur. Et ut paucis agamus, cum, teſte ſancto Job, vita hominis militia ſit ſuper terram, neceſſe eſt temporalibus belli fragoribus conterantur, qui ſpiritualibus non occupantur.

Vides jam doctiſſime, ac eloquentiſſime Platina quietitudinis terrenæ, quam pacem vocas, incommoditates, difficultates, & pene impoſſibilitates, eam in hoc mortalium certamine conſequendi. Quare faciam tandem finem, ſi id unum, quod tibi cordi admodum eſſe velim, atque utinam verum non foret, quod multi fuerunt, quippe & ſunt, quibus, etſi pacis nomen dulce fuerit, ipſa tamen pax amara, atque mortifera fuit. Legiſti tu ſæpe, ne dicam vidiſti, ipſam deſideratam pacem nonnunquam urbibus, provinciis, & maximis Imperiis mutatione ſtatus, rerum omnium attuliſſe perniciem, uſque adeo, & ſi bona, rara tamen, & ut cœleſte munus ſit, peſſimis tamen eſt circumſperſa comitibus, videlicet occultis odiis, aperta tyrannide. Qua de re verum arbitror illud tui Ciceronis, quod melior longe fuerit bellicoſa libertas viris fortibus, quam pacifica ſervitus. Nam, ut ait Auguſtinus, ipſa crudelis ſecuritas Romanis exquiſita mortis genera conceſſit; multaque ſæva in pace facta ſunt, ubi pax cum bello de crudelitate certavit, & vicit iniquo belli genere: & ſi illud proſtravit armatos, iſta inermes, atque nudatos; quoniam, ut ajunt, minus eſt bellum, quando qui ferit, ferire poteſt, & ſæviſſima pax, & parum tuta, quando non qui evadit vivit, ſed moriens non repugnat.

Cæterum non putes, diſertiſſime Platina, his, quæ diximus, omnem terrenam quietationem velle nos aut damnare, aut penitus incommodam, & difficilem arbitrari. Scio enim, pulchri ſunt pedes, & ſpecioſi annunciantium pacem. Scio equidem, optanda eſt ipſa temporalis ſecuritas, quam pax humana inducit, ſine qua finis optimus cujuſque politiæ humanæ haberi facile non poteſt: quòd ſcriptum eſt, poſuit fines tuos pacem. Audacter tamen dicimus, quod eam ipſam extrinſecam pacem ſoli perfecti, & virtutibus dediti viri conſequi poſſunt, quæ videlicet conſiſtit in inimicorum conciliatione, in injuriarum, & offenſarum oblivione, & malorum patientia, ac in uniendo diviſos, congregando diſcordes, dimittendo odio furentes. Rurſus vera pax ipſa, ad quam omnis humanus animus reſpirat, non eſt pax oris, ſed pectoris, quam utique pacem immortalis Deus nobis ſectandam reliquit, inquiens, pacem meam do vobis. Ecce, inquit, pacem meam: nec addidit pacem mundi, do vobis; ſed pacem meam, quæ eſt pax pectoris pro qua etiam orat. Petit enim pacem, quam mundus inquit non poſſe dare, pro eo quod in mundo plene obtineri non poteſt. Quod beatus Auguſtinus aliis verbis deducit. Nam nobis oſtendens quæ ſit pax Dei, ait, pacem meam, inquit Chriſtus, do vobis. Nobis dat pacem ſuam; in fine venturam pacem reliquit nobis, in qua manentes hoſtem vincamus, quoniam ſine hoſte regnabimus. Fallitur ergo plurimum, quiſquis ille eſt, qui inducias quaſdam temporis, & a bello interpellatas ceſſationes, pacem veram putat, quam Deus nobis reliquit, & tantopere commendavit.

Crede mihi doctiſſime Platina, vera, & perfecta pax non eſt in mundo; quod Auguſtinus non negavit, cum ſuper pſalmos ait, quia in hac mortali vita vera pax non eſt, nec tranquillitas; ſed ubi gaudium immortalitatis, & ſocietas Angelorum promittitur: & quiſquis illam, cum hic eſt, non quæſierit, illam non habebit, cum venerit. Quo enim pacto pacem veram, quæ eſt pax Dei, habere poſſumus, qui ſemper actu, aut animo bella gerimus, & aut bellamus, aut bellare intendimus. Nihil, ut puto, differt arma manibus, aut animo gerere, niſi quia tanto ſævius bella geruntur, quanto minus ab hoſtibus ſentiuntur. Hinc quidam ex ſacris

Hæc habui, Reverende Pater, ac doctiſſime Roderice, de laudibus pacis, quæ ad te ſcriberem, tum ut abs te provocatus, tuæ voluntati, & quidem honeſtæ, morem gererem, tum vel maxime, ut oſtenderem, Paulum ſecundum Pontificem Maximum non ſine cauſa, juſſis omnibus ab armis diſcedere, quibus jam concitata erat Italia, ſaluberrimam pacem, conſentientibus omnibus, magna cum laude compoſuiſſe.

---

cris tractatoribus ait, quod continuum bellum, & quidem perpetuum gerimus, cujus nos facere poteſt ſola mors victores; vel ſi vis alio ſenſu, Chriſtus Imperator noſter ſuam nobis commendavit pacem, conformitatem videlicet animorum divinæ voluntati, quòd, ut ait beatiſſimus Leo Papa, vera pax eſt illa, a Dei voluntate non dividi. Ea itaque pax non modo temporalis eſt, ſed perpetua, dum hic temporaliter incipit, & tandem ducit ad æternam immortalitatem, quam obtinebunt, qui contra carnem, & mundum, & dæmones bene, ac viriliter pugnabunt. Quam pacem ipſe nobis præſtet, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

Explicit liber de utilitatibus bellicorun exercitiorum, & incommodis humanæ pacis nutricis plurimorum vitiorum.

BAR-

BARTHOLOMÆI PLATINÆ
ORATIO
DE LAUDIBUS BONARUM ARTIUM
AD PIUM II. PONTIFICEM MAXIMVM
Ex codice bibliothecæ Riccardianæ.

&

INTERPRETATIO DIALOGI PLUTARCHI
DE IRA SEDANDA
Ex codice Vaticano.

QUæ promiſimus Platinæ opuſcula e codicibus in lucem emittere, bona promiſimus fide, & hactenus in ea re operam impendimus. Quid tandem? Cur non cætera etiam in vulgus edemus, quæ ſupra commemoravimus; orationem de laudibus bonarum artium, & Plutarchi Dialogum, quem ipſe latine vertit, de ira ſedanda? Id ſane animo meditabamur: ſed eorum codicum exemplum non æque habebamus. Promittere autem, quod forte præſtare non poſſis, levitatis eſt. Nunc vero quum ipſam Platinæ orationem ex codice Riccardiano Florentia tandem acceperimus, hanc, & interpretationem Dialogi Plutarchi ex codice Vaticano libenter ſuperaddere curavimus. Quam elegans ſit bonarum artium commendatio, quam erudita, quam condita, quam ſucci plena, quam denique ſapiens eloquentiam Platinæ, hoc eſt viri in ea re præſtantiſſimi, melius lectores intelligent, quam dici a nobis pluribus verbis poſſit.

Opuſculum Plutarchi *de Ira* ad Sixtum IV. Pont. Max. Platina primus omnium, quod quidem ego noverim, ex græco latinum fecit, rei pulchritudinem, & præſtantiam admiratus, confiſuſque fore, ut prodeſſe multis poſſet, qui natura, quum iræ pareant, manſueti doctrina fiant neceſſe eſt. Quæ duo noſtram commendant per ſe ſe ejuſdem opuſculi editionem. Græce, ut ea ætas tulit, Platina eruditiſſimus fuit; atque hoc nomine Marſilius Ficinus in Academia Florentina doctor literarum græcarum, illum, quamdiu ibi fuit, fa-

miliarem habuit, ut ipſe ſcribit in epiſtola ab Antonio M. Biſcionio edita in præfatione ad Catalogum codicum bibliothecæ Laurentianæ. Verſio Platinæ elegans ſane eſt, & legenti perſpicua, ac jucunda, ut librum e græco apprime latinum fecerit. Id etiam commodi præ cæteris verſionibus habet, quod rem ipſam in capita diſtinctam efficiat plane clariorem. Vaticanus is papyraceus codex ille idem eſt, quem Platina Pontifici Max. obtulit, ejuſdem effigie minio picta in prima quadrata litera; quam perſimilem delineari, & ære incidi juſſimus. Longiorem Senecæ librum de Ira ad Novatum Platina adjecit; de quo dicere noſtri inſtituti ratio non poſtulat.

His finem habent Platinæ opuſcula, quæ lucem deſiderabant. Nam alia proferre, quæ edita ſunt, licet in aliqua re a codicibus differant (*) neque utile eruditis, neque gratum eſſe, ac jucundum poteſt.

(*) Extat exempli gratia in codice Othoboniano bibliothecæ Vaticanæ num. 2056. Vita Pii II. Pont. Max. quam Platina primum uberrime conſcripſit. Quum tamen eandem breviorem ipſe ediderit, iis omiſſis, quæ momenti nullius ſunt, inutiliter faceret, qui illam typis mandaret. Epiſtolam quidem hoc loco afferam, quam Platina ea de re ſcripſit ad Pii II. nepotem.

Epiſtola Bartholomæi Platinenſis Rmo D. Franciſco Picolomineo Card. Senen. ſuper vita Avunculi ſui Pii II. Pont. Max.

Franciſco Picolomineo Cardinali Senenſi B. Platinenſis S. P. D.

Dolorem, quem morte Pii Pontificis optimi, ac maximi conceperam, leniri nullo modo poſſe videbam, ni animum a luctu, & lacrymis, quantum mihi licet, ad cogitationem laudum ſuarum traduxiſſem. Angebar profecto mente, & animo, quod illum nobis ſuo certe, & ſi non noſtro tempore, ſublatum eſſe cernebam, in quo Europæ ſalus, & ſtudiorum noſtrorum ſpes omnis repoſita erat. Hanc igitur ob rem diu mecum ipſe conſiderans, unde medelam vulneri meo potiſſimum ſuſciperem, nulla mihi potior, atque ſuavior impræſentiarum viſa eſt, quam ejus mores, & vitam literis mandare, qui rebus a ſe geſtis, & ſcriptis, de lingua latina, de libertate Italiæ, de fide Catholica, de ſalute chriſtianorum omnium optime meritus eſt. Conquiſivi itaque diligenter omnia, quæ in adoleſcentia, quæ in media ætate, quæque in ſenectute ab eo ſunt geſta; & conſcripta ad te mittere inſtitui, ut Avunculi tui virtute, & excellentia motus, æmulatione gloriæ ad laudem, ad quam te natum eſſe video, magis, ac magis incenderere.

ORA-

ORATIO BARTHOLOMÆI PLATYNENSIS
DE LAUDIBUS BONARUM ARTIUM
AD S. D. N. PIUM II.
DIVINA PROVIDENTIA PONT. ROMANUM.

*V*ERITUS BEATISSIME PATER, *ne hoc meum factum audax nimium, ac temerarium videretur, dubius aliquando fui, tantam ne cauſam, tamque neceſſariam apud Sanc. tuam agere inſtituerem; quæ quidem mihi dignitate, & amplitudine ſua, eruditiſſimi cujuſpiam, atque exercitatiſſimi oratoris induſtriam potius, & auctoritatem, quam noſtrum hoc tenue, atque imbecille orationis genus exigere videbatur. Dum in hac verſarer ambiguitate, duo mihi potiſſimum in mentem venere, quibus adeo animus excitatus, atque erectus eſt, ut ſine ulla mora ad Beatitudinem tuam me contulerim. Cui enim ad dicendum non daret animum gratioſiſſima tua, ac humaniſſima majeſtas? Quod non excitaret ingenium immenſa iſta, ac prope infinita pietas? Qua merito pii agnomen tibi inditum eſt. Conſtans profecto eſt, ac vera omnium opinio, in hoc pontificatu ætate noſtra extitiſſe neminem, qui tecum vel magnitudine animi, vel eruditione, ac doctrina, vel pietate, & gratia poſſet conferri. Omitto laudes rerum a te tum domi, tum foris fortiſſime, ac ſapientiſſime geſtarum, quas nullum ingenii flumen, nulla dicendi vis, ac copia digne ſatis, non dicam exornare, ſed ne enarrare quidem poſſet. Verum in his laus illa manſuetudinis tuæ, atque clementiæ inuſitatæ quidem, & inauditæ, tantam apud omnes gentes, & nationes ſanctitati tuæ gratiam comparavit, ut nulla in re clarior, & illuſtrior eſſe videare. Orantes libenter audis: his comiter, ac benigne reſpondes. Timidis, & amplitudinem pontificatus admirantibus, dat animos ad dicendum tuus iſte ſuaviſſimus, ac jucundiſſimus conſpectus, ſanctiſſima certe gravitate conditus. Impulit me præterea Legatorum iſte frequens numerus undequaque ad tuam S. quotidie venientium: quorum actionibus, quantumvis magnis, noſtra certe nequaquam inferior eſt, exceptis his dumtaxat, quæ ad divinam religionem, cultumque Dei optimi, ac maximi pertinent. Solent hi de bello, de pace, de induciis, de imperiis, de regnis, de provinciis, de civitatibus apud Sanctitatem tuam, tamquam apud juſtiſſimum, ac commune totius orbis terrarum concilium, agere: nec immerito. Ardentibus namque, ac concitatis bellis edicto tuo finem imponis: eos item ad pacem impellis, quos vides injuſta bella ſuſcepiſſe: inducias illos ſervare cogis, qui aliqua in fœdera pactione venerunt. Imperia, regna, tetrarchiæ, magiſtratus denique omnes tam habentur juſti, ac legitimi, quam abs te dati, & confirmati ſunt. Judicia civitatum omnium cum divina, tum humana, ſi qua corrupta ſunt, tu corrigis unus, & emendas. Magna ſunt hæc,*

ne

ne mentiar, & ad multorum utilitatem pertinentia: verum terrena, atque fragilia, ſi his, quæ actioni noſtræ inſunt, comparentur. Cum hæc ingeniis optimorum, ac doctiſſimorum hominum, & mente divina, ſtudio quidem, ac diligentia ad nos traducta, eam ſibi apud omnes gentes, & nationes ſervent conſtantiam, & perpetuitatem, qua merito Deorum dona, atque inventa poſſint appellari: illa autem, ut fluxa, atque caduca, libidine hominum magis, temeritateque fortunæ, quam ratione, & conſtantia gubernentur.

His itaque rationibus impulſus, maxime vero inaudita, atque incredibili clementia tua motus, S. Pontifex, ſtudia bonarum artium, ejuſque eruditionis, quam humanitatem appellamus, tum utilia, tum neceſſaria, tibi omnium noſtra ætate doctiſſimo, ac ſapientiſſimo, etſi audacter, non tamen inutiliter commendare ſum auſus. Neque enim fas eſt illas pati deſtitutas eſſe, & in ſitu, ac ſqualore degere, a quibus mentis, & ingenii cultum accepimus. Non video certe B. Pater, ſublatis diſciplinis, eaque eruditione, qua tu oratione, & verſu longe omnibus antecellis, quid in vita reliqui ſit, quod ab omnibus magnopere ſit expetendum: maxime autem his, qui poſthabitis terrenis rebus, atque corruptibilibus, ſeſe totos doctrinæ, & cognitioni divinarum, humanarumque rerum tradidere.

Age vero: omittamus reconditum illud vivendi genus, ab omnique actione humana remotum, quod ii amant, & amplectuntur, qui in ſola contemplatione rerum ſummum bonum poſitum exiſtimant. Sumere licet civilem animum, mediocritatemque vivendi, in qua retineri certe non poterimus, ut ſunt vitiorum blandimenta, niſi diſciplina fuerimus adjuti; ea præcipue cujus adminiculo civilem vitam conſtare ducimus. Hac modeſtiæ, hac temperantiæ, hac juſtitiæ, hac fortitudinis viam deprehendimus; a quibus humana, ac politica vita adeo dependet, ut his e medio ſublatis, non videam, quid magnopere inter hominem, & belluam interſit, quæ appetitu tantum, non etiam ratione, & voluntate movetur, quod eſt hominis bene inſtituti, ac docti proprium.

Equidem ſic exiſtimo, humanum genus aliquando ſuis viribus ſe ipſum fuiſſe confecturum, niſi Socrates ille mentis divinæ interpres, ac nuntius, a Diis ad homines bene vivendi præcepta tranſtuliſſet. Ante Socratem, Dii immortales! quæ vita in terris agebatur, quam fera, quam immanis, quam truculenta! Nulla religio, nulla pietas, nulla gratia, nulla miſericordia inter eos, qui tum vivebant, exercebatur. Forte habebantur, & in honore erant, qui cædes, qui rapinas, qui incendia, qui ſtupra frequentius exercebant: ad eos item imperia, regna, magiſtratus afferebantur, ut de primis regibus in monimentis majorum inſcriptum reperimus. Ninum legimus primum regum omnium imperio delectatum, vi, & armis exteras gentes ſuo adjeciſſe imperio. Hunc Aſtiages, hunc Cyrus, hunc Xerſes, reliquique barbari reges ſecuti, non Aſiam modo, verum etiam Europæ partem tanta vi, ac rabie invaſere, ut maximas urbes

fun-

funditus deleverint, provincias ſpoliaverint, nationes everterint. Eadem ferme tempeſtate, & in Europa, & in Africa hujuſcemodi monſtra hominum regnavere, ut de Meſentio, & Kako in Italia, de Capano in Græcia, de Gerione in Hiſpania legitur. Verum ubi philoſophari in civitatibus, & de vita, ac moribus diſceptari cæptum eſt: tum denique homines, pulſis tirannis, leges, ac jura condidere, præmia, ac pœnas tum bonis, tum malis propoſuere, ut hos ad virtutem incenderent, illos a vitiis deterrerent. Hinc auctæ civitates, hinc regna propagata, hinc parvæ reſpubl. ad ſumma rerum faſtigia erectæ: cum imperia, ut ait Criſpus, a minus bono ad optimum quemque transferantur. Non te latet, Beatiſſime pater, Kartaginem fœdifragam, & crudelem corruiſſe: Corintum petulantem, & ſuperbam incendio conſumptam: urbem Romæ imperio orbis terrarum potitam, avaritia, & libidine civium ſuorum eo loci redactam, ut quæ ante ceteris nationibus imperitare conſueverat, nunc omnibus cum dedecore, & turpitudine pareat. Equidem ſic exiſtimo, nullam potentiſſimarum quondam civitatum Romana citius fuiſſe caſuram; niſi caput pontificatus in ea ſemper fuiſſet aſſervatum: adeo erat libidini, & intemperantiæ dedita. Quare & tibi, & his, qui ante te juſte, ac legitime imperarunt, quicquid habent merito referre debent acceptum. Ad eam namque veſtra ſapientia, & moderatione, redacti ſunt urbanitatem, ac modeſtiam, noſtra præſertim ætate, ut ſi pares quibuſdam Italicis civitatibus opibus, & potentia eſſe non poſſunt, non longe tamen ſint magnitudine animi, & conſtantia inferiores.

Hæc diſciplina de moribus, & vita, quam utilis, quamque neceſſaria ſit in civitatibus, ſatis ex his, quæ dicta ſunt, patet. Nunc ad mathematica tranſeamus, quæ divinus Plato, tanquam gradus quoſdam inter nos, & ſummum Deum rerum omnium cauſam, voluit non inutiliter eſſe inventa. Qua namque ratione effici poſſet id quod de cælo deſcendiſſe poetæ fingunt, noſce te ipſum, *niſi inter nos, & ſummam illam eſſentiam medium quoddam, quo duo hæc extrema jungerentur, divinitus eſſet excogitatum? Non extaret profecto in animis noſtris divina illa platonica cognitio, quæ ideo ab Ariſtotele acute magis, quam vere reprehenditur, quod eam dixerit in cicli modum a nobis ad Deum, ab illo rurſum in nos converti. Proſpexit decus ille philoſophorum, nil eſſe, quo magis animi hominum perficerentur, quam cognitione ſui ipſius: quæ vera, & perfecta haberi non poterat, niſi aliquanto excitaremus animum a ſenſibus, eaque contemplaremur, quæ ab omni materia penitus eſſent ſejuncta. His cognitis, facto calle, conſcendimus ad altiora, ubi ſedet puriſſima illa eſſentia, in qua relucent exemplaria formarum omnium. Immorantur ibi illorum animi, qui paulo plus e materia emerſerunt, intelligendi ſtudio delectati. Revolvuntur præterea ad hæc rurſum inferiora iiſdem gradibus, quibus conſcenderant, & comparatione facta deprehendunt, divinis rebus nullum eſſe cum humanis commercium. Hinc oritur virtutis, ac ſapientiæ amor quidam incredibilis, ſpretis, contemptiſque cu-*

cupiditatibus omnibus: eo rurſum velle reverti ubi felices, ac beati ævo fruantur ſempiterno.

Hæc Plato meditatus eſt non chriſtiane minus, quam ſapienter. Quis enim noſtrum eſt, modo paulum aliquid ſapiat, qui non exiſtimet, doctos, ac ſapientes viros, maxime vero mathematicos, accedere facilius ad cognitionem rerum divinarum, quam rudes, & bonarum artium ignaros? Omittamus ſimplicem illam ruſticitatem, quam tantopere laudat Auguſtinus, ſapienter profecto, & caute. Noluit enim rudes, & indoctos de ſalute propria deſperare, modo caſte, & ſancte vixiſſent, ruſtica, & ſimplici meditatione contenti. Non ſunt contemnendæ mathematicæ ſcientiæ, quarum cognitione, & menſuram orbis terræ, & numerum rerum, & harmoniam ſonorum, & vocum, & motus aſtrorum non inutiliter deprehendimus. Quæ poteſt eſſe major voluptas, quam mente ſola metiri orbis terrarum ſpatia iſta ampla, & immenſa? Facit enim hæc ſcientia, ut eorum etiam, quæ a noſtro climate magnis ſpatiis, longiſque intervallis ſunt remota, certam cognitionem habeamus, & ſcientiam. Numeri vero tam ſunt neceſſarii, quod ſine his dimenſari res abſtractæ nullo modo poſſunt. His indiget geometra, his ruſticus, his aſtrologus. Harmonia præterea quid voluptatis non habet in ſe? immo quid non habet divinitatis? Si Ariſtoxeno muſico credimus, qui animos noſtros ex harmonia, & concentu effici voluit: cujus opinio, utpote falſa, & ab artificio parum remota, ab Ariſtotele & Cicerone exploſa merito, ac repudiata eſt. Aſtrologia poſtremo, utpote earum quoddam munus, & divinum, nullo modo poſthabenda eſt; cum ex ea intelligamus & ſolis, & lunæ ceterorumque planetarum perpetuum quemdam motum, & ordinem; quo etiam fit, ut depoſita libidine, & refrenata avaritia, omni animi labe expulſa, eo contendere mente, & cogitatione deſideremus, ubi ordinem illum, quem Homerus, & qui Homerum imitatus eſt, noſter Maro, patrem hominum, atque Deorum vocant, & ejus potentiam, infinitamque ſapientiam ordine, & conſtantia inferiorum circulorum intuemur, atque admiramur. Hac cognitione tum demum omnes animorum noſtrorum affectus, eos præſertim, quibus viam nobis ad ſuperos intercludi poſſe videmus, ita corrigimus, & emendamus, ut nihil commercii nobis, quoad fieri poteſt, cum flagitiis, & turpitudine eſſe velimus.

Plura dicere de laudibus tantæ, tamque diviniſſimæ doctrinæ, B. Pater, venerat in mentem; niſi e regione poſita ſupplex, ac ſqualida grammatice me admoneret, ut ſe quoque ſanctitati tuæ commendarem. Hæc enim etſi cæteris artibus ſpecie, & dignitate inferior, non tamen omnino contemnenda eſſe videtur: præſertim cum nobis præſtet viaticum ad capeſſendas illas, quas tantopere laudamus, diſciplinas. Huic enim ineſt cæmentum, inſunt ligna, ineſt calx ad conſtruendas bonarum artium ædes. Ut enim architecto in ædificiis conficiendis maxime curæ eſt fundamentum, ne quidquid ſuper inſtruxerit, corruat: ita & nobis curæ eſſe debet gramma-

matica, cujus auxilio, & fundamento ad omnem facilius ſapientiam conſcendimus. Iſta namque præceptio doctrinarum omnium theſaurus eſt optimus. Quid enim præclari habet in ſe aſtrologia? quid muſica? quid arithmetica? quid geometria? quid philoſophia illa, quam græci phiſicen, nos appellare naturalem poſſumus? quid denique hæc eruditio, quam humanitatem Cicero vocat, quod non huic, tamquam ſecretorum comiti, ac ſociæ audacter commendetur? Eſt enim hujus artis vel præcipua laus, quod ſine hac, ſcientiæ illæ diviniores ſtare non poſſunt; hæc vero ſine illis perfecta ſit, perfectaque habetur.

Sunt tamen qui longe aliter ſentiant, præſertim græci. Ii namque liberales artes encyclopedia contineri affirmant: quaſi unaquæque iſtarum ſeptem ſine reliquarum omnium cognitione intelligi perfecte nullo modo poſſit. Verum hæc diſceptatio in aliud tempus differenda eſt. Ad grammaticen redeo. Licet enim cernere quoſdam hujus artis ſtudioſos adeo facile, quo velint, pervenire, ut eos, qui ætatem in quavis nobiliſſimarum diſciplinarum conſumpſere, brevi ſuperent, & antecellant. Non audent illi quidem, qui hujuſce artis ignari ſunt, firmare veſtigia, & quo velint imbecillitate crurum pervenire. Unde fit, ut itinere concidant, & operam, ut ajunt, atque impenſam perdant. Hæc itaque facultas, Beatiſſime pater, etiam tacente me, ſuo jure ſanctitati tuæ ſeſe commendat, cum ab ea ita doctus diſceſſeris, ut in ejus præceptis tradendis, hoc quoque in genere laudis, C. Cæſarem, qui de analogia ſcripſit, ſis imitatus.

Sed jam tempus eſt, donum illud deorum, & munus tibi commendare, quo factum eſt, ut reliquarum artium laudes, mutæ quidem ſine hac, & infantes breviter, quantum in me fuit, & non inepte explicarentur. Equidem ſic exiſtimo, nullam eſſe doctrinam, quæ magis oſtendat, quantum homo beſtiis, & brutis animalibus præſtet, quam hæc, qua loqui apte, atque diſtincte didicimus. Neque is certe parum videtur adeptus, qui vel ingenio, vel exercitatione, & dicendi artificio tantum enituit, ut qua in re homines brutis præſtent animalibus, in eadem, ſolus homines ipſos antecellat. Deus in terris merito viſus eſt, qui primus juſtitiam colere, pietatem obſervare, fortitudinem, ac modeſtiam retinere civitatibus illis quidem primis, ac rudibus adhuc propter recentem congregationem, oratione perſuaſit. Magna nimirum provincia fuit, & quavis laude digna, homines ſcilicet rudes, & agreſtes ad id ſuavitate dicendi impellere, ut quibus ſuperiores vi, & robore corporis eſſe poſſent, poſthabita illa violentiſſima conſuetudine, quæ naturæ vim propter vetuſtatem obtineret, cum his ſeſe paterentur æquari.

Age vero quot bella reſtincta, quot ſeditiones compreſſæ, quot conjurationes patefactæ ſunt eloquentia, & oratione non inſuavi? Nonne Menenius ille Agrippa ruſticus adhuc, & qui nondum Attici leporis quicquam deguſtaverat, plebi Romanæ, quæ per ſeditionem a patribus in ſacrum montem ſeceſſerat, apologo, & ratione ad ſenatum, ut membra

ad caput, redire perſuaſit? Ciceronis eloquentia quantum profuerit populo Romano tum multis in periculis, graviſſimiſque reipubl. temporibus apparuit, tum vel maxime conjuratione Catilinæ extincta, quæ Senatui, quæ populo Romano, quæ plebi exitium, & perniciem minabatur. Nonne homo ille latinæ linguæ facile princeps, ac pater, grave, & intolerabile Antonianæ ſervitutis jugum a collo reipubl. diſpulerat tum conſilio tum armis illis, quibus feliciter ad Mutinam dimicatum eſt, niſi ejus conſilia cupiditate, ac temeritate adoleſcentis Cæſaris eſſent everſa? Non latuit præterea Catonem illum ſenem, non Lælium, non Africanum divinum hominem, non Graccos Africani nepotes, eloquentiam, ſi ei adjuncta ſapientia eſſet, omnium moderatricem rerum, & rebuſpub. præſidio eſſe, & his, qui eam ſtudio, ac diligentia eſſent adepti, laudem, honorem, dignitatem cum emolumento parere. Quid quod amicis, affinibus, cognatis, civibus, peregrinis, naufragio judiciorum periclitantibus tutiſſimus, ac munitiſſimus eſt portus? Nonne legimus Antonium, Catulum, Hortenſium, Ciceronem in agendis cauſis principem, ac regem, pleroſque, eloquentia, a periculo capitis vindicaſſe?

Sed extant hiſtoriæ, extant ſapientum præcepta, extant exemplorum monimenta; quæ in ſitu jacerent, & tenebris omnia, niſi eloquentiæ lumen acceſſiſſet. Hinc imagines optimorum, ac fortiſſimorum virorum græcis literis, ac latinis eleganter expreſſas ad imitandum aſſumimus; quibus fit, ut amore virtutis, omni cura, ac diligentia reipub., & amicis conſulamus, dum eorum facta imitari ſtudemus, quorum imagines a ſcriptoribus tantopere laudatas intelligimus. Non dico quid jucunditatis hæc ſtudia habeant in ſe, cum ſenectutem oblectent, adoleſcentiam, quæ libidini prona eſt, refrænent, & in eruditione detineant, ſecundis rebus ſint ornamento, adverſis refugium, atque ſolatium præbeant. Eſt præterea hæc doctrina his, qui vitam pro laude, & gloria volunt paciſci, maximum, & ad pericula pro ſalute, & autoritate patriæ obeunda, & ad labores tolerandos incitamentum: cum videant fortiſſimorum res geſtas hiſtoriis, & ſcriptis doctiſſimorum hominum æternitati commendari. Rogatus Themiſtocles, ſummus ille Athenienſium dux, cujus vocem libentiſſime audiret: ejus, inquit, a quo ſua opera, & virtus optime prædicaretur. Nemo eſt enim, qui non libenter de ſe audiat prædicari: bene præſertim. Dilexit L. Plotium C. Marius, cujus ingenio, & ſcriptis putabat ea, quæ geſſerat, poſſe illuſtrari. Delectatus eſt Ennio Africanus ſuperior: a quo & ſuum, & populi Romani nomen ornatum eſt. Etenim mirum videri cuipiam non debet, quod cum eloquentiæ laudes commendare propoſuerim, poeſeos quoque merita attingam. Sunt namque ſtudia iſta quodam communi vinculo colligata, & quaſi cognatione aliqua inter ſeſe devincta: quare qui unum laudat, alterum laudet neceſſe eſt.

Habuit item Silla, habuit Cæſar, habuit Alexander, habuit Magnus Pompejus rerum a ſe geſtarum ſcriptores. Videbant profecto duces illi

illi clariſſimi, tot vigiliis, tot laboribus, tot periculis nil actum eſſe, niſi eorum res geſtæ alicujus eruditiſſimi viri ſcriptis mandarentur memoriæ poſteritatis. Eloquentiam quanti fecerit Cn. Pompejus, hoc vel maxime declaratur, quo Theophanem Mitilenæum rerum a ſe geſtarum ſcriptorem laudatum, in concione militum civitate donavit: cui certe magno clamore militum aſſenſum eſt ſplendore gloriæ, & participatione laudis id ....cendo approbatum. Magnus ſiquidem ſtimulus ad virtutem eſt gloriæ cupiditas, quæ nos dies, ac noctes excitat, atque admonet tale aliquid in vita agere, quo poſt mortem nominis noſtri gloria, ac fama illuſtrior relinquatur: quod certe fieri nullo modo poſſet, niſi extarent, non dico qui ſtatuis, qui imaginibus, qui ſimulacris corporum caducis quidem, ac fragilibus; ſed qui virtutum, animorumque noſtrorum clara, ac ſimillima effigie poſteritati nos commendarent.

At vero quid cauſæ fuiſſe arbitramur, cur duo illi oculi Græciæ; Athenienſes ſcilicet, ac Lacedæmonii ad Thermopylas, in Maratoniis, ad Salaminam, ad Leuctram tam conſtanter, tamque obſtinate dimicaverint? Credo patriam, Lares, liberos, ac conjuges ad victoriam eorum animos incendiſſe. Verum hiſce longe nobilior cauſa fuit virtus, & gloria, qua nominis ſui memoriam nulla vetuſtate deleri unquam poſſe ſperabant. Fuit hæc olim conſuetudo apud Græcos, ut nomina militum, qui fortiter in bello cecidiſſent, pro concione pronunciarentur, eorumque virtutes, & laudes ſcriptorum monumentis traderentur; cum ut illorum parentes, ac liberi orbitatem ſuam æquiore animo ferrent, tum vel maxime, ut ii, qui ſuperfuerant, tantæ laudis amore, quodvis pro patria periculum ſubirent. Thucydidis leguntur orationes, quas ille ἐπιταφίους λόγους *vocat: eas latine non inepte funebres laudationes appellabimus. His declarat ſapientiſſimus ille hiſtoricus, ſuos non prædam, aut pecunias ſibi in bello expetiviſſe, ſed in monimentis ſcriptorum, laborum ſuorum præmia reponi voluiſſe. Neque enim veriſimile eſt, illos, qui pro repub. tot pericula, ac labores adierint, nullumque uſque ad extremum vitæ ſuæ ſpatium tranquillum, atque ocioſum ſpiritum duxerint, maluiſſe ſibi præmium caducum, ac fragile, quam perpetuum munus, ac divinum dari.*

Plura cum dicere de laudibus bonarum artium Beatiſſime Pater & vellem, & poſſem, duo mihi in mentem venere, quæ præ pudore cogitationes meas a ſede ſua dimoverint: præſertim cum viderem me eo temeritatis progreſſum, ut eas diſciplinas apud te laudarem, quæ, ut aliquando laudarentur, vires omnes ſuas in hanc ſacratiſſimam tuam mentem contulere. Momordit etiam me acriter illud, quod me has artes ita tibi commendo, ac ſi a te deſtitutæ penitus, ac relictæ eſſent. In primo fateor me peccaſſe, & ita peccaſſe, ut amori meo vehementi nimium erga literarum ſtudia magis videatur ignoſcendum, quam mihi ob temeritatem pœna aliqua inpingenda. Secundum plus imprudentiæ videtur habere, niſi rationes afferrem, quare prudentia, & magnitudine animi a manſuetioribus muſis ad res bellicas parumper declinaveris. Sed hujus

P 2 meæ

meæ purgationis rationes altius quidem repetendæ ſunt, ne temere tantam rem aggreſſus omnino videar. Ego, Beatiſſime Pater, eo animo, quo Patrum omnium, ac totius Chriſtianitatis ſummo conſenſu Pontifex Maximus declaratus es, in magnam ſpem veni, poſſe aliquando fructum aliquem capere laborum, ac ſtudiorum meorum. Dicebam enim, & perſæpe in cœtu ſtudioſorum prædicabam, ex Collegio Cardinalium neminem ad Pontificatum potuiſſe pervehi, qui bonis, ac doctis viris faveret magis; neque me (certo ſcio) mea fefelliſſet opinio, niſi crudelis illa bellua, & immanis, quem Turcum vocant, libidine, ac rabie dominandi, Europam, & Chriſtianum nomen ferro, ac flamma invaſiſſet. Coactus namque es ab his, ne mentiar, minoribus curis ad illas majores animum traducere. Indixiſti chriſtianis omnibus commune Concilium. Mantuam, ut imperatum eſt, ex Illirico, & Pannonia, ex Germania, ex Gallia, ex ulteriore, citerioreque Hiſpania multi principes aut venere ipſi, aut legatos ad S. tuam miſere. Conſtitutum eſt in illo neceſſario, ac honeſtiſſimo Conventu, te perſuadente, atque imperante, ut communi omnium decreto bellum barbaro illi truculento, ac ſævo indiceretur. Hoc tuo facto, Beatiſſime Pater, nil potuit eſſe utilius, nil honeſtius, nil probabilius, nil quod denique divinis, humaniſque rebus conferret magis.

Sed ecce humanæ gentis hoſtis atrox, & pervigil, ne tantum bellum, tamque neceſſarium pararetur, inter reges Criſtianæ religionis, inter populos tot diſcordiarum incendia exſuſcitat, ut uno ferme momento, quod mirum eſt, tota Europa conterrita, ac trepida a bello externo ad inteſtinum animos, atque arma converterit. Nititur viribus omnibus Romanus Imperator pellere ex patria Pannonum Regem, quo uno noſtra religio conſilio, & armis continuo defenditur. Surgunt item Germanorum duces partim in ſe ſe, partim in Imperatorem ſuum. Excitatur Britannia tota duplici factione, quarum altera veteri regi, altera novo faveret. Non dico quot hominum illic tribus, aut quatuor præliis ceciderint: qui certe ſi paribus animis in Turcam bella geſſiſſent, non Aſiam modo, verum & Africam ſuo ſubjeciſſent imperio. Rex Aragonum malo omine Barchinonæ regium imperium detrectanti, ut ipſe jure fæciali cauſatus eſt, bellum intulit: quo factum eſt, ut hinc Hiſpania, hinc Gallia ad arma excitarentur, cum hæc regi, illa Barchinonienſibus faveret: & ne Italia Pontificatus tui, atque Europæ caput, tot, ac tantis malis vacua eſſet, armis ſubito intonuiſſe viſa eſt, regulorum quorumdam, ac tyrannorum factionibus. Ii namque novarum rerum cupidi, regnum Apuliæ a rege Ferdinando juſte, ac legitime imperante, ad Renatum vi, & fraude transferre ſunt conati. At vero tu, cujus erat dare regnum illud, & ad quem pertinebat partim ex communi fœdere, partim ex æquo, & bono a ſociis, & vicinis propulſare injuriam, bellum, ut honeſtiſſimum, ita maxime neceſſarium ſuſcepiſti. Quare factum eſt, tum propter quorumdam defectionem, & perfidiam, qui partibus tuis, quod vectigales Eccleſiæ eſſent, favere debuerunt, tum impenſa tanti, ac

tam

tam propinqui incendii, ut expeditionem in Turcas, quam nunc majore conatu repetis, tam diu intermiſeris, quam diu rebelles Eccleſiæ vel deleres funditus, vel ad ſanitatem reduceres.

Non poſſum reticere hoc in loco, Beatiſſime pater, hominum quorundam noſtrorum præſertim ſtultitiam, ac ſtoliditatem, qui maluiſſent regnum Apuliæ dari Gallo Italici nominis natura hoſti inimiciſſimo, quam in eo detineri Regem moribus, & inſtitutis Italum, natura autem, & magnitudine animi Romanum: cum Aragonenſis provincia, unde ille originem ducit, tota quondam Romanis coloniis referta, & moribus, & lingua uſque ad ætatem noſtram romanam gravitatem adhuc imitetur. O ſtupidos homines, o dementes, & inſanos, o rerum humanarum imperitos, ac rudes! Non videbant iſti parum prudentes, pulſo Ferdinando, totam Italiam incendio belli conflagraturam, cum victor armatus multa ſibi, plurima eorum libidini, quorum opera vicit, concedi putat oportere. Hinc novæ oriuntur factiones, nova fœdera, novæ pacis, bellique gerendi artes. Excluduntur qui pulſis ex fœdere faverant: recipiuntur qui vel dolo, vel vi, vel fraude, victorum partes juverant. Quod profecto hoc tempore eo facilius accidiſſet, quod is, qui bellum intulerat, non petebat regnum ut civis, ſed ut peregrinus, non ut auctor pacis, ſed ut diſturbator ocii, & quietis.

Majores noſtri quondam diis gratias agebant, quod latera Italiæ hinc Adriatico mari, hinc Tyrreno ab incurſionibus hoſtium muniviſſent, quodque frontem illam, qua ad ſeptentrionem vergit, a Germanis, & Gallis, gentibus quidem barbaris, & Italici nominis inimiciſſimis, alpibus ferme inſuperabilibus clauſiſſent. Ii vero hujus amœniſſimi, ac fructuoſiſſimi ſoli inquilini (nolo eos cives appellare) qui & re, & verbis oſtendunt ſe eſſe natos ex illa barbarorum illuvie, quæ olim inſatiabili odio trecentos ferme annos hanc miſeram provinciam, orbis terrarum pulcherrimum floſculum, ferro, ac flamma defatigaverint: ii inquam ſemibarbari, & rudes de rebus futuris parum ſolliciti, Gallos amant, Gallos amplectuntur, Gallos regnare in Italia volunt. Sed Deo tandem habendæ ſunt gratiæ, quod & divinitus hoc noſtro periculoſiſſimo tempore, non ſolum Pontificem, verum ducem, & imperatorem deſignavit, cujus ductu, atque auſpiciis, hoc commune Italiæ incendium extingueretur. De re noſtra certe, de ſalute Italiæ, de libertate principum, ac populorum omnium actum eſſet, ſi alium, quam te, ſortiti fuiſſemus Pontificem. Tu magnam Italiæ partem tum ratione, tum metu in officio continuiſti: tu rebelles Eccleſiæ conſilio, & armis domuiſti: tu Ferdinandum regem optimum, & humaniſſimum in regno retinuiſti: tu denique totam Italiam obrutam ferme fœderibus tyrannorum conſilio, auctoritate, & prudentia tua ſingulari, ac pene divina pacatam reddidiſti. Quare quod ſpiramus, quod vivimus, quod hanc ſuaviſſimam Italiæ lucem cernimus, totum Sanctitati Tuæ referre debemus acceptum.

Cum igitur viderem te tanto, ac tam periculoſiſſimo bello implicitum,

tum , in quo certe omnis noſtra ſalus , ac pernicies pendebat , a muſis paulum declinaſſe , tentare volui , poſſet ne mihi id uſu accidere , quod Chironi Centauro in bello Trojano contigiſſe ſcribunt poetæ . Ut ille Achillem citharizandi arte ad bellum acriter impulit , mutatiſque numeris ad pacis munera , quietiſve non inſuaviter revocavit : ſic ego quoque efficere conarer hoc noſtro dicendi genere , quod tamen intelligo quam rude ſit , quamque inſuave , ut cauſa doctrinarum tibi veniret in mentem , quarum cognitionem , & gloriam ſemper adamaris . Peto itaque abs te B. Pater , & mirum in modum peto , cum hæc commendatio de rebus divinis , non de humanis ſit , ut eas artes , quæ Deum nobis , quæ aſtra , quæ numeros , quæ harmoniam , quæ orbis terræ menſuram , quæ rationes bene , ac beate vivendi oſtendunt , ſic in tuam fidem , ac tutelam recipias , ut pietate tua , & miſericordia adjutæ potius , quam aliquorum ignorantia , & acerbitate violatæ eſſe videantur . Maxime vero te rogo , atque obſecro , ut eam diſciplinam in luctu , ac lacrymis eſſe non ſinas , quæ Pontifices , quæ oratores , quæ reges , quæ duces , quæ populos rerum geſtarum gloria ſemper ornavit ; quæque etiam , ſi vivo , & ſi abs te hac , qua nunc premor , inopia fuero levatus , rebus a te , & antea , & nuper ſapientiſſime , ac fortiſſime geſtis , æternum nomen ſit datura .

PROHŒMIUM PLATINÆ
AD SIXTUM IIII. PONT. MAX.
IN LIBELLUM PLUTARCHI DE IRA.



UM legerem Plutarchi Moralia, Beatissime Pater, veniſſemque ad Dialogum illum, quem de *Ira ſedanda* perſcripſit, pulchritudine rei ſtatim incenſus eſt animus meus, libellum ipſum tuis auſpiciis latinum facere, ut qui græce neſciunt, illius doctrinam literis latinis perlegere poſſint. Neque aſpernandus eſt libellus iſte, quod parvus ſit. Non enim volumen librum bonum facit, ſed quæ in eo, licet parvo, acute, graviter, & eleganter ſunt ſcripta. Legimus equidem Paradoxa Ciceronis, ejuſque Lælium de Amicitia, Catonem de Senectute, libellos quidem parvos, tanta profecto cum aviditate, ut gemmas perlucidas intueri videamur, quæ ex verborum ornatu, ſententiarum gravitate, ceu quædam ſidera reſplendent. Nam qui pretioſos lapides empturi ſunt, non continuo magnitudinem rei, ſed vim, & dilucriditatem inſpiciunt. Quare Beatissime Pater, ſi quid a veteribus perſcriptum eſt, quod gemmis comparari poſſit, id erit potiſſimum Plutarchi liber de *Ira compeſcenda*. Neque huic certe minorem laudem tribuendam puto, quam his, qui de ſanandis corporibus humanis conſcripſere. Antidota illi proponunt, quibus corpora ſanentur: hic autem animos ipſis corporibus præſtantiores omni ægritudine liberare nititur, maxime vero ira, quæ hominis mentem ita plerumque a ratione dimovet, ut inter illum, & ſævum animal nihil propemodum interſit. Verum quia & volumen ipſum breve eſt, & comparatio legentium, ac judicantium animos acutiores reddere conſuevit, adjunxi ea, quæ a Seneca viro doctiſſimo ad Novatum hac de re ſapienter quidem ſunt ſcripta. Ex utroque enim auctore ſumma medela ſumi poterit, quæ excandeſcentium concitatos animos ſanet. Neque certe hoc ideo ad Beatitudinem tuam ſcripſi, Maxime Pontifex, quod hac medicina te indigere arbitrer: quippe quem & doctrina ſingularis, & optima vivendi conſuetudo, & tua ipſa mitiſſima natura prope Deum in terris fecit; ſed ut Sanctiſſimi nominis tui auctoritate interpoſita, hoc genus ſcriptionis ab aliis libentius legeretur. Quod & ipſum Plutarchum feciſſe conſtat, qui ad Trajanum manſuetiſſimum Principem de ira conſcripſit, licet Fundanum, & Syllam in Dialogo ſuo de Ira loquentes faciat.

PLU-

PLUTARCHI DIALOGUS
DE IRA SEDANDA
INTERPRETE PLATINA
AD SIXTUM IIII. PONTIFICEM MAX.

Capitulum primum. Quo Sylla Fundanum miratur, quod repente ex iracundo factus ſit manſuetus.

Sylla. *PRudenter mihi facere videntur o* Fundane *pictores, qui imagines a ſe cœptas, diu multumque conſiderant, antequam eis extremam manum imponant. Abſtinentes enim a frequenti judicio, cum eo redeunt, minimas etiam differentias comprehendunt, quas frequens uſus, conſuetudoque videndi faciliter occultaſſet. Verum quia non licet alicui a ſe ipſo ad tempus diſcedere, rurſumque ad ſe redire, & ob eam rem ſui peſſimus eſt judex, oportet alio quodam modo amicorum cuidam ſe videndum exhibere, ut non ſolum ex corpore conſideret, ſi properata ſenectus in ſe aliquid mutaverit, aut valetudo; ſed an tempus ipſum honeſtum aliquid, vel turpe moribus attulerit. Nam cum elapſis jam duobus annis Romam veniſſem, tecumque cum fuiſſem toto ſemeſtri, nunc demum non tam miror ex continua felicitate, bonitateque naturæ tui ipſius incrementa, quam tanta ratione mitigatum eſſe fervorem, vehementemque iracundiam, quam eſſe in te noram: ita ut mihi tantam manſuetudinem, & dexteritatem in te videnti, contra iram id dicere occurrat, quod græci apud Homerum contra mortuum Hectora in eos, dum viveret, ferocem:*

Mollior oh ſuperi nunc eſt, & mitior Hector,
Quam cum gravigenum ratibus permiſcuit ignes.

Verum ille tuus furor non deſidia, aut negligentia ſedatus eſt, ſed veluti culta terra a ſuperficie ad imum acutis agitata vomeribus ad bonam frugem redigitur; ita in te ſi quid erat reprehendendum, non ætate, aut aliquo caſu immutatum eſt, ſed ratione quadam, & gravibus, approbatiſque ſententiis. De te autem hæc vera prædicari a ſe, Heros communis amicus, me nullo pacto credere arbitratur. Veretur enim, ne exiſtimem ſe ad gratiam loqui, & ea laudare quæ libenter audiam, licet, ut noſti, vir ille obſequio veritatem antepoſuerit ſemper.

Verum poſteaquam ille hujuſcemodi laudis crimine liberatus eſt, & tu, peracta jam ſemita, quieſcis, nobis, quæſo, explica, qua medicina uſus, iram rationi obtemperantem feceris. Fundanus. *Cave quoque tu Sylla, ne benevolentia, & amicitia ductus noſtra ita ſtudioſe inſpicias,*

cias, & admirere. Fateor tamen, me ſæpius odio malitiæ modeſte certe in delinquentes invectum eſſe; ita ut ab his & mitior factus videri poſſem. Quemadmodum in muſicis inſtrumentis ſuperioris chordæ ad inferiorem comparatio, & concentus, locum obtinet hypatarum: hoc eſt graviter ſonantium.

Capitulum II. Quo Fundanus oſtendit medicinam neceſſariam ad compeſcendam iram, & ante tempus eamdem parari oportere.

Sylla. *Neutrum iſtorum eſt, o* Fundane. *Sed ut dixi morem nobis hac in re gere.* Fundanus. *Eorum certe bonorum, quæ meminimus de Muſonio didiciſſe, illud eſt præcipua cognitione dignum, ſcilicet oportere viventes, ut ſani ſint, ſibi continuo mederi. Verum non ut helleborus cum ægritudine ejicitur, ſic ratio cum perturbationibus emitti debet, ſed potius in animo retineri, ut nos in officio contineat. Hæc enim medela, quæ ex ratione oritur, corporeis medicinis nequaquam ſimilis eſt, ſed cibis ſuaviſſimis: unde ex aſſuetudine integra valitudo oritur. Præcepta enim atque remedia, quæ contra intumeſcentes perturbationes parantur, vix, ac tarde quidem proficiunt. Habent ſiquidem cum odoratis ſimilitudinem quandam: etſi enim comitiali morbo laborantes, ac proſtratos vi ſua excitant, non tamen eos a tanta ægritudine liberant. Sunt & ægritudines quædam, ac perturbationes, quæ non modo non creſcunt, verum etiam cedunt, & pervenire ad animum ſaluberrimas rationes permittunt. Furor autem non adeo, ſed, ut Melantius inquit, graviter imminens, vires humanæ mentis non perturbat ſolum, verum & diſſipat: veluti ignis domum exurens. Omnes enim, quæ intus ſunt, ita fumo, & crepitu perturbat, ut quæ ſalubria ſint videre, & audire non poſſint.*

Quamobrem navis in pelago, & fluctibus derelicta gubernatorem aliunde commodius aſſumet, quam homo, cujus mentem a ſede rationis ira diſtraxerit, bene monentis præcepta audire poſſit, & intelligere, niſi ad id prius præparatum habuerit animum. Quare veluti qui obſidionem expectant, ea congregant, & reponunt, quæ uſui neceſſaria ſunt, nullam ſpem in rebus extra mœnia poſitis reponentes; ita maxime oportet ex philoſophiæ præceptis adminicula animi contra furorem colligere, veluti quæ non ſint, cum neceſſitas venerit, faciliter intratura. Neque enim in tumultu, & perturbationibus, quæ foris ſunt, mens audit, niſi rationem tamquam præceptorem intus habuerit, quæ celeriter mandata intelligat, & capiat. Aliter enim ſi fuerit inſtituta, bene monentis dicta, licet modeſte, & perbenigne id fiat, contemnet, & acrior contra ſaluberrimos ſermones orietur. Eſt enim furor ſuperbus, & elatus; nec facile flectitur, acutiſſimæ tyrannidi perſimilis.

Hanc ob rem inſitam, innatamque eſſe homini vim oportet, quæ poſſit ipſum, cum inſurrexerit, rejicere. Iræ enim continuatio, & frequens

motus, habitum deteſtabilem facit, quam iracundiam vocant, in excandeſcentiam quamdam, & amaram bilem deſcendentem. Incipiens enim in parvis, frequenter repit, & ex his, quæ occurrunt veluti gladius tenuis ſeſe reacuit.

CAPITULUM III. Quod ira concitata levi de cauſa cito ſanatur, ſi remedia adhibentur.

QUamobrem & judicio primi motus reprimi poſſunt, & quæ ſunt agenda intelligi, & animus ita deinceps confirmari, ut non moveri ſine difficulate ad iram valeat. Mihi certe contigit, cum bis, terve motibus animi reſtitiſſem, quod ajunt eveniſſe Thæbanis. A Lacedæmoniis enim perſæpe victi, eos quaſi invincibiles putabant. Verum poſtquam, variante fortuna, eos ſemel repulerunt, nunquam poſtea vel minimam quidem victoriam reportarunt. Hac itaque ratione cogitavi a me furoris impetum reprimi poſſe. Videbam enim non ſolum aſperſa quadam frigiditate, ut ait Ariſtoteles, ſed & extingui metu, & infuſo per Jovem, ſecundum Homerum, multo gaudio, Mentibus excuſſum multis ceſſiſſe furorem: *ita ut mihi conſtaret, hanc perturbationem animi penitus auxilio non carere, ſi vellemus. Neque enim gravia principia habet, & valida, ſed levia & plana. Iracundus enim ſi viderit aliquem ridentem, innuentemque, ſubito ad iram movetur. Ut Helena cum neptem ſuam Electram ſalutaſſet, impulit eam cum indignatione dicere:* Sero ſapis domum prius turpiter relinquens: *Alexandrum quoque ad iram compulit Calliſthenes. Ingentem enim pateram, quæ circumferebatur, renuens, nolo, inquit, o Alexander, bibens, medici opera indigere: Talis eſt igitur ira, ut flamma, quæ pilos leporum, aut arborum flagella leniter attigit; facile enim extinguitur. At vero ſi ad ſolidum pervenerit, & profundiora corripuerit, retineri non poteſt, quin velociter creſcens, tectorum cacumina comprehendat, ut ait Æſchylus poeta. Cohiberi igitur haud magno negotio creſcens ira a principio poteſt: cui quidem perſæpe taciturnitas, vel contemptus remedio fuit. Ignem ſiquidem extinguit, qui ei fomenta non addit. Hoc idem de ira dici poteſt, quæ facile cedit, niſi ab initio fomentis nutrita fuerit, & quaſi follibus excitata.*

CAPITULUM IV. Quod ira non furtim irrepit, ſed poteſt inhiberi.

NEque enim probo quæ Hieronymus affirmat, licet in aliis bene ſentiat. Ait enim iram, dum fit, haud ſatis comprehendi: ſed jam factam dignoſci. Ex his enim perturbationibus, quæ commoventur, & colliguntur, nulla tam habet manifeſtum in generatione incrementum, quam ira. Sane Homerus hæc eadem ſentiens, Achillem facit quodam ſermone ira percitum his verbis. Sic ait: Hunc autem iræ nigra operuit nubes. *Tarde autem iraſcentem inducit Agamemnonem: ſed tandem poſt mul-*

multa verba excandeſcentem. Has autem perturbationes ſi ab initio compeſcuiſsent, nunquam habuiſſet diſſenſio illa ducum tantum incrementi. Quare bene Socrates in hoc ſe habebat, ut in cæteris. Iratus enim alicui amicorum cedebat affectui, ut qui in littoris extremitate declinat venientis maris undas, atque ita pacatum vultum amicis exhibebat, iram, ac perturbationes animi ſui vincens. Eſt enim, o amice, veluti tyranni depoſitio, non obtemperare ſævienti iræ, aut imperanti. Quam licet clamoſam, & minacem fregeris, ſi quieveris, nec auxeris, ut æger morbum jactatione membrorum.

Capitulum V. Quod ira in omnes concitatur, & quoſdam ridiculos faciat.

AMantium autem actus, utpote cantare, & fores amicæ ſertis redimire, habent quodammodo remiſſionem quamdam doloris non ingratam. Objurganti item reſpondit amans, non clamavi, ſed amicam promptius amavi: hoc ſi injuriam exiſtimas, certe a te injuriam pati me prædicabo. *Lamentationes quoque lugentium ſimul cum lacrymis plurimum doloris auferunt. Furor autem magis ac magis incenditur ob ea, quæ iracundi dicunt, ac faciunt. Optimum igitur eſt efferveſcente jam ira quieſcere, & ictus illos vitare, & ad ſe tanquam in quietum portum redire. Ita enim huic rei cavere debemus, ut qui morbo comitiali laborant. Primo enim ne cadant, omni ſtudio curant: aliter vero ſi fieri non poteſt, in amicos ſeſe rejiciunt. Nihil eſt autem quod furor non attingat, & attrectet; nam & inimicis pariter, & amicis iraſcimur; nec parentibus aut filiis parcimus. Sic furens Thamyris* frangens cornu ligatum auro, disjecit harmoniam extentæ lyræ. *Pandarus quoque, quia Menelaum ſagitta ſua percuſſum interficere non potuit, ſibi ipſi maledicit;* ni arcum ruperit, & cremaverit igni. *Xerſes & mare ipſum plagis, & vinculis affecit, & ad montem Athon minabundus hujus fere exempli literas miſit, quaſi ad hominem. Atho fortunate, cæleſti quadam altitudine, cave obiicias meis conatibus ſaxa permagna, & quæ non facile infringi poſſint: aliter ſi feceris, te reſciſſum magno ſubmergam ponto. Multa ſunt quidem furoris opera terrore plena: multa & qua riſum perfacile moveant; unde contemnitur homo, & odio habetur. Utrumque autem vitaſſe jucundiſſimum erit.*

Capitulum VI. Quod utile ſit videre aliorum exemplo iræ turpitudinem, quæ habitum mentis oſtendit.

EGo autem cum hujus medicinæ principium conſiderarem, qualis eſſet in aliis ira; ita perdiſcebam, quemadmodum Lacones filiis ſuis turpitudinem ebrietatis in ſervis oſtendebant. Et primo quidem, ſicuti Hyppocrates graviſſimam illam cenſet ægritudinem eſſe, in qua ægrotan-

 tis

tis vultus diſſimillimus ſit ; ſic ego quoque graves illas eſſe perturbationes animi puto , quæ ita a ſe dimovent hominem , ut vultum , colorem, inceſſum , vocem denique ipſam mutet . Qua ex ſimilitudine moleſte ferebam , ſi talis aliquando amicis , uxori , liberis viſus fuiſſem , quales amicos quoſdam noſtros interdum obvios habui , qui ob iram non mores , non vultum , non in ſermone gratiam , non ſuavitatem , & humanitatem in oratione ſervabant .

Cajo quidem Gracċho oratori eximio , ſed concitatius quam oportebat dicenti , fiſtula appoſita dicitur , qua , qui muſicis operam dant , per vocum differentias concentum quærunt . Hac autem ſervus poſt orantem Dominum manens , miti , ac dulci ſono edito , aſperam ejus vocem , & clamorem quodammodo furentis compeſcebat : ut bubulci ſolent , quando arundine cera compacta greges ad quietem hortantur . Mihi vero ſi quis modeſtus , & urbanus detur aſſecla , non utique moleſte ferrem , ſi ſpeculum mihi iraſcenti offerret , quemadmodum offerunt quidam prodeuntibus ex balneis nulla cum utilitate . Videre enim ſe , quo pacto ob iram naturam immutent , non eſt parvi momenti ad hanc perturbationem coercendam . Etenim qui fabulas ſcribunt , non inepte referunt Satyrum quemdam reprehendiſſe Minervam , quæ , dum tibia caneret , genas indecenter inflaret : Depone , *inquit* , tibiam , & arma ſume . *Hanc autem ajunt , ubi turpitudinem iſtam in perlucido fluvio , non ſine moleſtia animi , & verecundia vidiſſet , abjeciſſe tibias . Nam licet ars ipſa , ob concentum , quoddam habeat turpitudinis ſolamen ; Marſyas tamen vultus ſui tumorem ob concitatos in ſonando ſpiritus cernens , & larva faciem tegebat , & loris aureis profluentem comam ligabat . Ira enim faciem turpiter inflans , & extendens , vocem quoque inſuavem reddit ; licet animi chordæ fixæ maneant , & immobiles . Mare enim purgari tum dicimus , quando algam procella ad littus rejicit : verba autem , quæ inconſiderato motu effert iracundus , ea quidem amara , & inhoneſta , iraſcentis animum ita inficiunt , ut eum omnino ignobilem reddant . Quare neceſſe eſt hujuſcemodi perturbationibus ſubjectos ira continuo opprimi . Oportet enim , ut inquit Plato , eos luere pœnas , & quidem graves , qui hac turpitudine pleni , graves ſemper , & moroſi ſunt . Mihi autem diu hæc mecum conſideranti in mentem venit , longe ſatius eſſe ira , quam febre laboranti habere linguam terſam , & bene diſpoſitam . Nam febricitantium lingua ſi male ſe habet , ſignum eſt illa quidem , non autem cauſa alicujus gravis morbi . Excandeſcentis autem lingua , ſi aſpera , & ſordida fuerit , ſique ad maledicendum prona , & graves inimicitias ſerit , & occulta odia retegit , ac promit . Neque enim ebrietas hominis occulta vitia , & quod cælandum erat , facilius aperit , quam furor ipſe . Hoc ideo certe facilior temulentia eſt , quod ebrietati conjunctus eſt riſus , hilariſque jucunditas . Furori vero permixtus eſt fellis impetus , & amaritudo quædam . Vinolenti præterea ſi tacent , amicis quodammodo moleſti videntur , & graves . At vero iracundis nil ho-*

nes-

neſtius , & melius ſilentio eſt , eaque in pectore retinere , quæ efferri poſſent ; ac denique linguam compeſcere , ne indecens aliquid loquatur .

CAPITULUM VII. Quod ira non ſit fortitudinis , ſed timiditatis indicium.

NEque ſolum conſiderare nos oportet , quam indecens ſit ira ; verum & quæ ſit ejus natura , quamque in ea nil generoſum ſit , & magno viro dignum . Multi enim falſo arbitrantur , ejus perturbationem , & concitationem , promptitudinem ad agendas res eſſe : minas intrepidæ mentis argumenta præ ſe ferre : pertinaciam , fortitudinem , crudelitatem , rerum agendarum efficaciam eſſe . Opera enim , & iræ motus parvi animi ſigna præſeferunt : non in eo ſolum , quod puerulos laniant , mulierculas inſectantur , canes cædunt , equos verberant , & mulos , ut Kteſiphon agitator in mulos recalcitrans ; verum etiam in ſævis cædibus , quas Tyranni jubent . Ita enim irarum impatientes torquentur , ut ſerpentes , quando eorum membra dolore , & incendio aliquo cruciantur .

Nam ut tumor magni vulneris in molliori carne gravior eſt ; ita molliſſimis animis doloris admiſſio majorem affert concitationem ab imbecillitate prodeuntem . Quare mulieres viris , ægrotantes bene ſe habentibus , decrepiti adoleſcentibus , infelices felicibus iracundiores habentur . Avarus quoque in diſpenſatorem concitatiſſimus fertur , guloſus in coquum , zelotypus in uxorem . Gloriæ quoque cupidi iraſcuntur , ubi de ſe male audiunt : difficiles enim , & ſeditioſi in civitatibus ſunt , qui ambitione feruntur ; & , ut ait Pindarus , manifeſto dolore cruciantur . Qui autem hujuſcemodi perturbationibus cruciantur , quanto magis imbecilliores ſunt , eo majore iracundia , & furore concitantur , quaſi extenſionibus , & ſpaſmis agitati .

CAPITULUM VIII. Quod non ratio ſolum , verum & Regum , & Principum exempla legentes movent , & docent .

EXempla quidem , licet vilia primo videntur , nec gratiam habere ; neceſſaria tamen ſunt . Ego autem ubi animadverti iratos ad ſe redeuntes quieto , ac ſedato animo loqui illa , quæ viſu , & auditu optima eſſent , eos contemnere cæpi , qui dicunt , qui aliis injuriam , furore percitus , intuliſti , eos ne patiare ſurgere ; ac inſuper eorum collum pede contere , & ad terram preme . *Hæc , & alia hujuſcemodi multa ſunt homines ad iram concitantia , quæ non recte quidam a mulieribus ad viros transferunt . Nam cum fortitudo in aliis Juſtitiæ cedat , ſolam manſuetudinem , quaſi magis ad ſe pertinentem , ſibi merito vendicare videtur . Hominum ſiquidem proprium eſt vincere , & ſuperioris inferiorem ſuperare . Eſt igitur & in anima contra iram triumphi meritum . Cui repugnare , ut Eraclitus ait , difficile eſt : Nam cum anima*

ſeip-

ſeipſam juvat, magni ſiquidem roboris eſt, ut in concentibus nervi, & chordæ ad movendos audientium animos. Optimum itaque eſt contra iram præcepta undique colligere, neque Philoſophorum ſolum, quos aſſerunt fel non habere, verum etiam Regum, ac Tyrannorum exempla. Quale illud Antigoni ad milites ſuos male de ſe loquentes. Cum ſceptro enim egreſſus; quouſque tandem, inquit, non ad ulteriora verſi nobis maledicetis?

Arcadionem autem quemdam Achivum Philippum continuo lacerantem conviciis, monentemque, ut tamdiu fugeret, donec aliquos inveniret, qui eum minime noſcerent; perſequentem item Philippum in Macedoniam uſque, cenſuere amici puniendum eſſe, nec tantam licentiam impune dimittendam. Philippum autem hominem blandis verbis ad ſe alliciens, multis, ac magnis a ſe cum muneribus dimittens, rogari poſtea juſſit, quibus deinceps verbis apud Græcos uteretur, cum de ſe verbum faceret: Referentibus autem illis Arcadionem ita immutatum eſſe, ut rerum a Philippo geſtarum maximus laudator eſſet: Videtis ne, inquit, nos meliore medicina uſos, quam qua vos utendum arbitrabamini? In ludis quoque Olympicis cum Græci eum conviciis lacerarent, execrarenturque, ſuis indignantibus, quod in bene de ſe meritum male ſentirent; Quid ergo cenſetis eos dicturos, ſi a nobis male tractarentur? Optima ſunt & exempla Piſiſtrati erga Thraſybulum, Porſennæ erga Mucium, Magæ erga Philemonem. Hic enim Magam in Theatro palam lacerabat, quod a Rege literas accepiſſet, & infortunate literas neſciret. Ad hunc autem unum ex ſatellitibus ſuis miſit Magas, qui ejus jugulum nudo gladio tantummodo tangeret, quieteque inde diſcederet. Non enim pluris illius verba fecit, quam trochum ſolemus, & ſphæram extimare a puero miſſam. Ptolomæus autem grammatici cujuſdam ruditatem notans, hominem interrogavit, quiſnam Pelei fuiſſet pater? Reſpondebo, inquit ille, ſi mihi prius dixeris, quis Lagi pater fuerit. Hac enim argutia regem ignobilitatis arguebat. Ferentibus autem, qui aderant, moleſte tam mordax reſponſum; Quamvis, inquit Rex, derideri regale non ſit, non eſt tamen gravitatis regiæ deridere. Alexander vero iſto fuit concitatior ad iram, ut de Calliſthene, & Clito legimus. Qua ex re Porus Alexandri captivus, eum rogabat, ut ſe regaliter tractaret. Interroganti Alexandro, numquid plus vellet, reſpondit, in eo quod regale dixerit, omnia contineri. Quare non incongrue Athenienſes Jovem Deorum Regem ſuavem merito, non acerbum appellare ſolent. At vero eum, qui mortuorum manibus puniendis præeſt tartareum, & dæmona vocant, non divinum, & olympium.

Capitulum IX. Quod ira omnia confundit, nec ad vindictam ſumendam ſit utilis.

Ut igitur in Philippum a quodam dictum eſt, poſtquam Olynthum urbem evertit; Non enim talem urbem, quam diripuit, ædificare poſſet: ſic nobis licet contra furorem, & iram fari. Evertere certe potes, corrumpere, disjicere; reſtituere vero, ſalvare, parcere, attollere non eſt tuum, ſed manſuetudinis eſt & patientiæ, qualem in Camillo, Metello, Ariſtide, Socrate fuiſſe legimus. Cruciare autem ſeipſum, & mordere viliſſimum eſt, & muribus, ac formicis conveniens. Conſiderans præterea, quo nam modo iracundi ad vindictam faciendam impellantur, utpote morſum labrorum, ſtridorem dentium, vanos impetus, fatuas comminationes, crudeles execrationes, imbecillitatemque puerorum in eis cernens, nondum ob ætatem veſtigia bene firmare valentium, perſuaſi mihi ac judicavi, iram ad vindictam, & ad alias res agendas, nullius momenti eſſe. Quare non contemnendus eſt Rhodius ille, qui ad miniſtrum Ducis Romanæ militiæ clamantem, & inhumane tumultuantem, inquit, quod tu clames, mihi nequaquam curæ eſt, ſed quod ille, Principem oſtendens, ſileat. Sophocles quoque, ubi Neoptolemum armavit, & Eurypilum, utroſque admonuit, ut ſine convicio hoſtem ferirent. Nam barbarorum quidam ferrum veneno tingunt. Vera enim fortitudo felle intingi non debet, cum a ratione proficiſcatur. Furor ſiquidem, & ira frangi poteſt facillime. Itaque Lacedæmonii tibiis concitatorum militum iras leniunt, ac muſis ante prælium ſacrificant, ut ratio maneat. Hoſtes enim in fugam verſos non perſequuntur; verum ſuorum iram mitigant: Cum victi & ſumptis armis, recreatoque animo pugnam reſtituere denuo poſſint. Ira ſiquidem, nec cædibus abſtinere, ante editam hoſtium ſtragem multos interemit, ut de Cyro, & Pelopida Thebano legimus.

Agathocles autem cum ab obſeſſis maledictis inceſſeretur, æquo animo tuliſſe omnia dicitur: dicente vero quodam; figule unde mercenariis tuis ſtipendia ſolves? Subridens reſpondit, ſi hanc cœpero, civitatem, quam obſidebat, oſtendens. Antigonum quidem ob faciei turpitudinem quidam obſeſſi deridebant, quibus ipſe reſpondit; putabam me certe faciem non indecoram habere. Capta vero urbe, maledicos illos ſub haſta vendidit, teſtatus Deos, ſe apud eorum dominos lamentaturum, ſi porro maledictis ſecum certarent.

Video autem & venatores, & rhetores ob iram valde interdum deceptos fuiſſe. Nam & Ariſtoteles refert, amicos Satyro cauſam in judicio dicturo, aures cera obturaſſe, ea ſcilicet ratione, ne conviciis laceſſitus, jura confunderet. Nos ipſi quoque nonne perſæpe puniendi peccantes ſervos facultatem amiſimus, dum minis noſtris perterriti, verba declinarent? Quod enim nutrices pueris, quibus lac præbent, dicere ſolent, ne fleas, & quod voles accipies; illud idem non inutiliter dici

& ira-

& irato poteſt, ne feſtina, ne clames, ut quod deſideras, melius, & commodius fiat. Etenim pater filium videns, non ſine diſcrimine, ferro aliquid ſcindere, vel incidere molientem, ferrum ipſum arripit, & ſine diſcrimine perficit, quod ille cum periculo tentabat. Eadem itaque ratione, qua ad puniendum accedit, iram cohibens, ſecure, innocenter, utiliter errantem puniet.

Capitulum X. Quod juſte aliquem punire volenti temporis mora ſit interponenda.

Omnium autem perturbationum, quæ ut ſedentur, & reprimantur exercitatione indigent, nulla magis illa neceſſaria eſt, qua uti ad mitigandam erga ſervos iram noſtram debemus. Non enim invidia, non metu, non ambitione in eos ferimur; verum ira continua, quaſi id nobis liceat propter ſervitutem: Qua quidem ex re multos errores, & infinita prope peccata committimus. Præcipitamur enim, ac prolabimur veluti nullo prohibente. Non enim licet in hac perturbatione innocentiam ſervare, & mediocritatem, niſi vim ipſius iræ multa compeſcuerimus manſuetudine, & patientia. Accedunt & voces uxoris, amicorumque increpantium remiſſionem animi, ſocordiamque, quibus maxime ego quoque in ſervos concitabar; quaſi deteriores fierent, niſi punirentur.

Deinceps vero perſpexi, quod ſatius erat ſervos manſuetudine deteriores reddere, quam ira, & amaritudine animi me ipſum torquere, dum alios corrigebam. Deinde autem cum viderem ſervos ipſos impunitatis beneficio meliores interdum fieri, ac verecundiores, pluriſque facere veniam, quam pœnam, & ob eam rem eos ſilentio, & verecundia diligentius, & accuratius ſervire, quam ii, qui caſtigatione, & verberibus ad id coguntur, perſuaſi mihi, rationem ira, & furore efficaciorem eſſe.

Non enim verum eſt quod poeta dicit: ubi timor, ibi & reverentia. Contra autem modeſtus ob caſtigationem fit timidus. Continua enim, nec remiſſa caſtigatio, non pœnitentiam, ſed occultandi maleficii occaſionem quærit. Tertio vero reminiſcens, mecumque conſiderans, quod qui ſagittandi magiſter nobis fuit, non prohibuit ferire, ſed docuit a ſigno, quod erat propoſitum, non declinare; perſpicienſque ſimiliter, quod punitio non tollatur, ſi quis eam opportune, decenter, juſte, utiliter peccanti admoverit, nitor ego quidem iram cohibere: Nec prohibeo, quin is, quem peccaſſe exiſtimavero, ſe excuſet; immo eum audio, ut ejus errata melius dijudicem, Tempus enim, atque dilatio perturbationem lenit, & motus animi coercet. Idem quoque judicium, decentemque modum invenit, quo juſte puniri nocentes poſſint. Quin & excuſatio remanet punienti, ſi non per iram, ſed cauſa cognita delinquentem puniet. Turpiſſimum ſiquidem eſt, cum ſervi excuſatio, domino puniente, juſtior habetur. Facio igitur hac in re quod Phocion quidam poſt Alexandri mortem. Is enim vetuit Athenienſes, ob celeritatem cre-

credendi, res novas moliri. Nam ſi hodie inquit, Athenienſes, mortuus eſt Alexander, profectò & cras, & perendie mortuus erit. Pari quidem rationi quicunque ad puniendum properat, ſibi hoc perſuadere debet: non deletur peccatum tempore; nec ſi hodie quidem peccavit, cras certe, & perendie minus peccaſſe dici poterit.

Nam cui grave eſt ſontem tardius punire, eidem multo gravius erit, præcipitante vindicta, non ſemper dicere poſſe, illum peccaſſe: quod quidem perſæpe iracundis contigit. Quis enim noſtrum adeo moroſus, & difficilis eſt, qui plus æquo puniat ſervum, qui quinque, aut decem diebus antea excuſſit cibum, vel menſam turbavit, vel tardius imperanti obedivit? Hæc enim illa ſunt, quibus commiſſis, ac recentibus, vehementer, & amarè perturbamur. Ut enim corpora in nube majora videntur, nec ſunt: ita & crimina, iræ nebula circumvoluti, majora dijudicamus, quam ſint. Quare non in perturbatione ipſa, ſed ad tempus commiſſa examinanda ſunt, omni penitus perturbationis ſuſpicione ſemota. Tunc vero ſi ex ratione conſtabit, turpe aliquid commiſſum fuiſſe, non erit prætermittenda condigna peccati pœna, refrigerato jam animo puniendi cupiditate.

Et ut ſcias medium quoddam tenendum eſſe; non eſt tanta reprehenſione dignus, qui ira fervente caſtigat, & punit, quam qui ſedatis motibus animi, & perturbationibus, omnino non punit. Segnibus enim nautis ii perſimiles ſunt, qui, pacato mari, ſe in portum recipiunt; procella vero ſæviente navigant. Puniendi namque rationem, quaſi remiſſionem quamdam animi, & molliciem reprehendentes, ulciſci feſtinamus, dum ira ferimur, veluti vento quodam incitati. Naturale autem eſt, ut fameſcentes cibo utantur; non ſinit tamen ratio, ut qui vindictam appetunt, eo feſtinent tamquam ad cibum propter inediam. Verum tum proficiſci ad puniendum oportet, ubi rationi appetitus obtemperaverit.

Neque certe quod refert Ariſtoteles admodum placet. Dicit enim dominos in Tyrennia ſervos ad tibiæ cantum verberibus afficere, ut cum voluptate de miſeris pœnas ſumant: & aliquando eos ſic egiſſe pœniteat. Eſt illud quidem ferarum proprium: hoc vero muliebre. Sine delectatione igitur vel perturbatione animi, adhibita ratione, quod tempore ſit, puniendi nocentes ſunt, ne propter iram ea committamus, quæ poſtea mutari ſine noſtro dedecore non poſſunt. Hæc autem fortaſſe non ſolum iræ medicina videbitur, verum & a magnis erratis depulſio quædam, & cuſtodia. Splenis enim tumor, cum febris cauſa fuerit, ſi remittatur, febrem minuit, ut Hieronymo placet.

Capitulum XI. Qui iraſcuntur, contemni ſe putant: quæ opinio tollenda eſt.

Conſiderans autem ipſius iræ originem, videbam certe aliquos variis pro cauſis ad iram commoveri: omnibus autem fere unam indignationem innaſci, quod opinentur deſpici ſe, & ultra quam deceat, contemni. Quare oportet omnes eos, qui volunt hanc evitare inſaniam, hoc imprimis antidotum capere, ne ſcilicet putent motus, unde ad iram commoventur, arrogantia cujuſpiam, vel contemptu procedere; verum potius ignorationi cuidam, vel fato, vel infelicitati has perturbationes aſcribere. Neque enim, ut Sophocles ait, Ingenita mens, aut ratio, quæ prius erat, manet in miſeris; ſed una cum fortuna ſtatum mutat ſuum. *Agamemnon quoque Kryſeidos raptum calamitatem Græcorum reputans, pretioſis muneribus vatem placare conatus eſt. Etenim rogare, non contemnentis ſignum eſt. Nec qui injuriam alicui fecit, manſuetudinem præſeferens, contemnentis opinionem tollit. Neque certe hæc iraſcentem expectare oportet, ſed cum Diogene reſpondere dicentibus, ii te derident Diogenes: quibus ille; at ego certe non derideor. Non igitur putandum eſt bonos contemni, ſed illos potius, qui inſania, animi imbecillitate, ſtultitia, ſocordia, ruſticitate, juventa, vel ſenecta peccant. Servis autem, & amicis hæc omnia remittenda ſunt. Non enim dominos ſervi contemnunt ob impotentiam, & ſegnitiem, ſed quia perbenigni ſunt, & humani: & ob hanc rem cum ipſis confidentius agunt, & audacius. Nunc autem non ſolum contra uxorem, ſervos, & amicos, quaſi ab his contemnamur, moroſi ſumus: verum etiam contra advenas, muliones, & nautas, eos & cædentes, quod nos parvipendi ab his putamus, cum minus accurate aliquid fecerint. Pari quoque ratione, quod inſanum eſt, canibus latrantibus, & aſinis nos impellentibus iraſcimur, & moleſti ſumus: ut Athenienſis quidam, qui ab aſino loco pulſus, Agaſonem, ut negligenter aſinum ducentem, verberare parabat. Cui ille inclamavit: Ne me tangas; Athenienſis civis ſum. Ab Agaſone itaque abſtinens, metu legum, in aſinum converſus, dabis tu pœnas, inquit, quandoquidem Athenienſis non es: atque ita aſinum multis verberibus affecit.*

Capitulum XII. Quod deliciis abſtinendum ſit, ne ſæpius iraſcamur.

Deliciæ autem, & voluptates immodicos in nobis, & continuos iræ impetus generant. Paulatim namque colligitur tamquam veſparum examen. Unde nullum majus adminiculum ad manſuetudinem ſervandam erga ſervos, uxorem, & amicos habere poſſumus, quam facilitate victus, & parſimonia uti, nec ad ſuperflua, quaſi neceſſaria, deferri. Qui autem cibis gaudet, & aſſis, & elixis non mediocriter, ſed laute conditis, qui ſine nive æſtate non bibit, qua vinum gelidius fiat, qui pane communi non utitur, ſed peculiari, qui vaſa fictilia rejicit, & contemnit,

temnit, qui niſi in pluma, & ſtragulis purpureis non dormit; is certe tamquam mare ab imo fundo commotum, curſu, clamore, verberibus ſervos exagitat, in ſudorem ob iram reſolutus, ut ægrotantes ſolent, quibus dieta indicta eſt ad purgandam ægritudinem. Unumquemque enim accuſant, maxime vero fortunam, qua ita vexari ſe putant. Aſſuefaciendum eſt igitur corpus mediocribus, ac facilibus rebus: neque enim temere fit, ut paucis egentes in multis delirent.

Neque certe inutile erit, cum cibum capimus, ſilentio uti, ne cum plura exhiberi volumus, ira, & moroſitate noſtra epulas inſuaves convivis faciamus. Cœna enim illa nil inſuavius eſt, ob quam vel uxor, vel ſervi cæduntur, quod fumum conceperint epulæ, quod minus ſalitæ fuerint. Arceſilaus autem cum amicos quoſdam ad cœnam invitaſſet, omniaque parata eſſent, præter panem, quem pueri ob incuriam emere neglexiſſent, qua ex re alius fortaſſe parietes clamore repleviſſet, ſubridens inquit, quam pulchrum eſt habere convivam ſapientem, Socrates quoque, cum ex paleſtra rediens Euthydemum ad cœnam invitaſſet, diſcumberentque, ſupervenit Xantippes Uxor, quæ multis jactatis probris, menſam adeo disjecit, ut Euthydemus turbatus diſceſſum inde pararet: ad quem Socrates; nonne, inquit, ſuperiore die, cum apud te cœnarem, avis prætervolans hoc idem fecit? & tamen æquo animo tulimus. Suſcipere igitur hoſpites comi fronte, & hilari debemus, non contracto ſupercilio timorem miniſtris, metumve incutere.

Aſſueſcendum eſt præterea vaſis eiſdem ſine diſcrimine uti: nec hoc magis illo nobis familiarius deligamus; ut de Mario legimus, qui non niſi magno, & ſuo bibebat. Et quemadmodum de poculis diximus, idem de cæteris vaſis dici poteſt. Unum enim peculiare eligunt, quo ſoli utantur. Cum autem contigerit illud amitti, aut comminui, tum iraſcuntur impenſius, & in ſervos ſæviunt. Eum igitur oportet, qui ad iram pronus eſt, communibus uti, non ſuperfluis, & fragilibus, ut poculis, ſigillis, pretioſis lapidibus. Magis enim commovent, & efferunt animos noſtros, quam illa communia, quæ viliori etiam comparantur pretio. Qua de re Neroni tabernaculum angulare ſumptuoſum, & miræ pulchritudinis, quod fieri ſumma diligentia mandaverat, avidius intuenti; Feciſti te, inquit Seneca, pauperem: nam ſi hoc amiſeris, qui tale aliquid faciat, invenies neminem. Inhæſit menti Principis monentis Senecæ verbum, & cum vas illud naufragio amiſiſſet, jacturam illam æquo animo tulit. Frugalitas enim in rebus utenſilibus faciles etiam nos, & manſuetos reddit non ſolum erga ſervos, ſed longe magis erga amicos, & imperio noſtro ſubjectos.

Capitulum XIII. Quod ira omnia confundit. Manſuetudo vero turbata conciliat.

Videmus autem ſervos emptos, cum novi domini mores requirunt, minime ſciſcitari, numquid in Deos religioſus ſit, aut erga homines invidus; ſed, quod ad eos maxime pertinet, ſi ad iram, ad furorem,

rem, ad inſaniam crebro commoventur. Ira quidem hujuſcemodi eſt, ut ob eam nec viri colant uxorum pudicitiam, nec uxores virorum charitatem ampleſtantur. Nec enim mutua inter eos benevolentia poteſt intercedere; cum nec amicitiæ vinculum, nec ſuavitas nuptiarum inter ira excandeſcentes locum poſſit habere. Nam quod facile eſt, id ſtatim, ira interveniente, fit difficillimum. Corrigi quidem ebrietas, quæ homines interdum inſanientibus ſimiles reddit, corrigi, & inſania helleboro poteſt. Iræ autem mixta tragedias facit, & fabulas excitat. Dum ludimus autem nequaquam dandus eſt iræ locus. Urbanitatem namque tollit, & importunitatem verbis adjicens inter litigandum ſermonis facilitatem intercipit. Non igitur, ut diximus, dandus eſt iræ locus, iis præſertim, qui judicant. Turbantur enim, nec recta ſapiunt. Nec ii quidem, qui docent, huic perturbationi ſubjecti ſint; ne & odium pariant, & doctrinam confundant. Neque hoc certe facere debent felices ob invidiam, & odium, quod inde oritur, neque infelices: demunt enim ſibi miſericordiæ locum, cum ſe conſolantibus difficiles præbent: veluti Priamus, Abjicite, *inquit,* hos corruptores argutos: neque enim nobis luctus extat. Cur me igitur vehementer cruciatis? *Facilitas autem, & humanitas hæc omnia adjuvat, & mitiora efficit. Vincitur equidem manſuetudine furor, & omnis difficultas emollitur. Euclides enim, cum ei infenſus ex contentione frater eſſet, diceretque, peream niſi de te ſupplicium ſumpſero, cum manſuetudine reſpondit:* Immo, *inquit,* peream ego, niſi te placavero. *Commotus itaque frater, ſuum cognoſcens errorem, ad manſuetudinem converſus eſt.*

Cum autem quidam gemmarum amator, & qui pretioſis ſigillis delectaretur, Polemoni ſigillum aliquod accuratius intuenti malediceret; cumque Polemon re ipſa mire delectatus, nil maledicenti reſponderet, hominem hac patientia ita vicit, ut ſub divo videnda illa eſſe diceret: tum enim, inquit, Polemon tibi melius apparebunt. Ariſtippus quoque cum vehementer excanduiſſet in Aeſchinem, diceretque ei quidam, o Ariſtippe quid agis, & ubi nam eſt amicitia veſtra? Reſpondit: dormit certe, ſed ego eam excitabo: moxque veniens ad Aeſchinem; an me, inquit, tam miſeri, tamque pertinacis animi reputaſti, ut inſanabile in me fore ingenium crederes, nec me bene monentem audire æquo animo poſſe exiſtimares? Tum Aeſchines: non, inquit, admirabile eſt, ſi cum me rebus in omnibus natura ſuperas, hac quoque in re quid decoris, quodque honeſtum eſt, longe prius conſideraveris, ac conſecutus es. Nam cervicis horrentis aprum non ſolum fæmina, ſed quiſque & tenerrimus puer digitis ſcalpendo, omni luctatore facilius proſterneret. Nos autem ſylveſtria domamus animalia, & manſuetiora reddimus, luporum, ac leonum catulos ulnis circumferentes: filios autem, & amicos quibuſcum vivere ſolemus, excandeſcentes ejicimus; ſervis, & civibus efferato animo iraſcimur, non bene diminuentes iram earum rerum, de quibus contentio orta eſt; ac ſi nulla iſtarum perturbationum liberari poſſimus

ad-

adminiculo earum virtutum, quas vel providentiam, vel liberalitatem, vel pietatem appellare ſolemus.

Capitulum XIIII. Quod ira eſt ſemen omnium perturbationum.

Sed ita eſt certe, ut Zeno dicere ſolebat. Nam ut virtutum ſemina quædam animæ commixta ſunt propriis educta penatibus; ita & perturbationum univerſalis quædam ſatio eſt furor. Nam a dolore animi, a voluptate, a timore hæc perturbatio oritur, & invidia; quæ ut bono alterius dolet, ita malo lætatur. Eſt & deterior, cum mortem alterius quærat. Certat enim tunc iratus, non ut nihil mali patiatur, ſed cum ſuo & damno, & detrimento, alteri noceat. Appetitus autem, quo ad nocendum alteri ferimur, deſiderium ſine delectatione eſt. Quare prodigorum domos adeuntes, cantum ſtatim audimus, & ut quidam ait, lutum vino conſperſum, coronarumque fracturam. Iracundorum autem, & moroſorum domos adeuntes, ipſorum ornamenta in ſervorum faciem videbimus: ſtigmata ſcilicet, & compedes miſerorum. Semper enim furioſorum penatibus adeſt, & incubat unicus, ſoluſque poeta, gemitus ingrata carmina reſonans, cum vapulent intus januarum cuſtodes, & crucientur ancillæ, & adeo quidem, ut ipſos tortores, & qui cruciatibus delectantur, ad miſericordiam commovere poſſint. Etenim quibus accidit perſæpe odio malitiæ ad iram commoveri ob eam confidentiam, quam erga domeſticos habent, nimium interdum excandeſcere ſolent. Hoc eſt, quod iracundiam maxime excitat, cum eos malos reperimus, quos bonos falſo putaverimus, cumque illum inimicum cognoſcimus, quem amicum antea putabamus. Noſti autem (ut arbitror) quibus motibus ad benevolentiam, & fidem hominum ferar, & ob id veluti per viam latiſſimam ambulans, ubicumque meam benevolentiam firmavero, magis ac magis meipſum extendo. Deceptus vero dici non poteſt, quanto dolore movear, & ſuccendar: Non tamen adeo, deceptus, deponere promptitudinem meam poſſum ad amicitias comparandas, conciliandaſque.

Utar autem poſthac fræno, de Platone exemplum capiens. Etenim Helicona mathematicum ita laudare ſolebat, ut animal natura commutabile. Dicebat enim ſe vereri, ne & bene nutriti in civitatibus præſeferrent ſemina aliqua imbecillitatis humanæ naturæ: Et, ut Sophocles ait, qui hominum diligens explorator eſſe volet, in eis multa, quæ improbari poſſint, inveniet. Nimius certe in nos eſt poeta ipſe, & nos magis quam oportet reprehendit. Verumtamen hoc judicium ita difficile, & contentioſum oſtendit nos ad iram proniores eſſe. Oportet igitur, ut Panætius inquit, Anaxagoræ dicti nos reminiſci; ut quemadmodum ille nunciata filii morte reſpondit, ſciebam me filium genuiſſe mortalem; ſic & nobis in erroribus eorum, quos amamus, ac caros habemus, dicendum eſt; ſciebam me ſervum non emiſſe ſapientem: noveram hunc, quem ami-

amicum putabam, non eundem futurum perpetuo: non ignorabam mihi pro conjuge mulierculam contigiſſe.

Capitulum XV. Quo monemur, ut quiſque ſeipſum intueatur, quo minus aliis iraſcatur.

Qui autem Platonicum præceptum, cujus mentionem ſuperius fecimus, magnifacit, ſeipſum quoque intueatur; conſideranſque ſua omnia intus, & foris, exiſtimet, ac adjudicet, ſit ne aliquid in ſe ipſo reprehenſione dignum. Hoc ſi fecerit, erit profecto erga alios æquior judex, atque benignior; cum viderit, quam crebro ipſe quoque venia dignus ſit.

Nunc autem quilibet noſtrum iratus, alioſque caſtigaturus, Ariſtidis voces, & Catonis efferat; Non furtum facies, non decipies, cur hæc negligis? Nam, quod omnium turpiſſimum eſt, iratos irati ulciſcimur, & per iram commiſſa, majore iracundia increpamus, & punimus: non ut medici ſolent, amarum fel amaris antidotis purgantes, ſed augentes potius, ac perturbantes magis. In hanc autem cogitationem ubi incidero, tentabo partem hujus perturbationis auferre. Si quis enim accurate, ac diligenter inquiſierit omnia, & actionem mancipii, negotia amici, curam filii, uxoris jurgia, iras quotidianas, hæc mala certe, quæ graviora in dies ex conſuetudine fiunt, intolerabilia certe putabit. Deus enim, ut Euripides ait, magna regit: quæ autem parva ſunt, in fortunæ manibus relinquit. Quamquam ego quidem fortunæ nil committendum arbitror. Neque enim decet eum, qui mentem habet, quicquam contemnere. In quibuſdam autem credere uxori, & ejus opera uti, in aliis fidem præſtare & amicis, humanum eſt, nec ratione caret: veluti principes, qui diſpenſatoribus quibuſdam, & ſupputatoribus parva committunt; magnarum rerum, & ad principatum pertinentium, curam ſibi reſervantes, & auctoritatem. Ut enim parvæ literæ, ſubtileſque admodum viſum conturbant; ita parva negotia, quibus intenti ſumus, pungunt magis, & conturbant iracundos, eorumque animos ad pejores habitus capiendos impellunt. Ante omnia præceptum illud Empedoclis ſemper mihi placuit, magnumque, & admirabile viſum eſt, quo admonemur quaſi jejunantes, a vitiis abſtinere. Laudabam etiam illas non ingratas, nec omnino a Philoſophia aberrantes ſententias, quæ in ore ſunt omnium, vino, ac venere abſtinendum eſſe.

Præterea vero aſſuetos mendaciis, ſi veridici fieri cuperent, videbam oportere eos paulatim experiri, quomodo veriores ſerio, ac joco fierent. Hæc autem in animum demiſſa meum confirmabam, quod non minus Deo gratum ſit, ſacros dies ſine iracundia tranſigere, quam ſine ebrietate, & vino. Hac igitur ratione paucos dies, deinde menſem quaſi mulſo ſacrificans tranſigebam; ſicque mei ipſius pedetentim faciens periculum, proficiebam in dies magis magiſque ad omnia æquo animo feren-

renda , comiter , & ſine ulla iracundia : primo quidem ã mordacibus verbis , actionibuſque minime convenientibus abſtinens , voluptatem quamdam ingratæ perturbationis deponebam , quæ rixas ingentes , & turpiſſimam pœnitentiam parere conſuevit . Quare Deo adjuvante factum arbitror , experientia interveniente , ut manſuetudinem , & placabilitatem mihi longe convenientiorem eſſe putarim , & jucundiorem , quam ira , & furor ille , quo cum prius conſuetudinem habebam .

FINIS.

CREMONENSIUM MONUMENTA ROMÆ EXTANTIA

COLLEGIT ATQUE ILLUSTRAVIT

F. THOM. AUGUSTINUS VAIRANI
ORDINIS PRÆDICATORUM

PARS II.


EXCUDEBAT ROMÆ
GENEROSUS SALOMONIUS


PUBLICA AUCTORITATE
MDCCLXXVIII.

AUCTOR LIBRUM TRIBUIT IN DUAS PARTES UT UNO VOLUMINE SEPARATIM CONTINERENTUR A SE EDITA PLATINÆ OPUSCULA QUIBUS ABSOLUTIS VELUTI ALIO DIVERTERIT PAULLO LONGIUS REDIT JAM IN VIAM.

MONITUM ETIAM LECTOREM VULT QUOSDAM AB EO CONTENDERE UT LATINAS FACIAT EPISTOLAS QUAS ITALICE ET GALLICE ANTEA SCRIPSIT. SED IPSUM NOLLE MUTARE FACTUM VULGATUMQUE QUOD NEMO JURE REPREHENDET.


DONEC MINCIADEM JACTABIT MANTUA VATEM
JACTABIT VIDAM CLARA CREMONA SUUM
Grudius
MARCO HIERONYMO VIDÆ CREMONENSI
ALBÆ POMPEIÆ EPISCOPO
QVOD CHRISTIADEM HEIC ABSOLVERIT
NE HVIVS REI MEMORIA EXCIDAT
CARMELITÆ DISCALCEATI
QVIBVS AN. MDCV. ADSIGNATÆ DATÆ ÆDES
MON. P.
Dom. Pronti sculp.


M. HIERONYMVS VIDA
QVOS AMA
IVVNT DII


HIERONIMVS VIDA ALBAE EPISCOPVS
NON STEMMA SED VIRTVS

HIERONYMO MANARA

Abbati Canonicorum Regularium Lateranenſium S. Petri Cremonæ

FR. THOMAS AUGUSTINUS VAIRANI ORD. PRÆD. F.

IN ſummo monte prope Tuſculum ad orientem ſolem XIV. ab Urbe lapide eſt oppidum, quod veteres Montem Compatrum (vulgo *Compatri*) dixerunt: cujus maxime edita pars, cornu figuram exhibens, olim mons Corneus, nunc S. Sylveſtri appellatur, propterea quod in illius honorem Deo dicatum eo in loco jam inde a quarto Eccleſiæ ſeculo templum fuit. Vetus enim apud Compatrenſes opinio eſt, permultos chriſtianos in eum montem ſe ſe recipere conſueviſſe, ſæviente præſertim Diocletiani Imp. perſecutione, quos S. Sylveſter antea quam Pontifex crearetur ſæpe inviſeret, iiſque verbum Dei, & ſacra miniſtraret. Eundem in locum S. Sylveſtrum, quum eſſet Pontifex, quandoque petiviſſe Vida innuit in hymno, quem cecinit *Divo Sylveſtro*; quo factum eſt, ut templum illud ſanctiſſimi Pontificis nomine ædificaretur. Idem Templum, cui totus fere mons Corneus addictus erat, ſeculo XV. a nobiliſſima Annibaldenſium familia poſſidebatur jure, ut vocant, patronatus. Contigit vero anno 1448. ut, "quum nobiles Romani, inquit Penottus lib. 3. c. 25. *Hiſtoriæ tripartitæ generalis totius Ordinis Clericorum Canonicorum*, La-

teranenſem Baſilicam per noſtros optime reformatam, & divinum cultum in illa reſtitutum aſpexiſſent .... Dominus Annibaldus de Annibaldis de Molaria accedens ad Ven. Eccleſiam prædictam, ſponte obtulerit D. Aurelio Priori, & Capitulo, & ſocietati Canonicorum, & toti Congregationi Lateranenſi Eccleſiam S. Sylveſtri prope Caſtrum Montis Compatrum cum omnibus illius bonis, juribus, & pertinentiis in perpetuum ", Nicolao V. diplomate donationem confirmante. Seculo fere integro montem illum, amplificatis ædibus, Canonici Lateranenſes incoluerunt. Anno 1541. Paulus III., ut idem Penottus ſcribit, *dictum Monaſterium a Congregatione ſeparavit, accedente conſenſu Rectoris Generalis*, cui ob ſummam Pontificis æquitatem, non minus acceſſit bonorum in agro Cremonenſi, quam Romæ reliquerat. Illud vero ipſum Monaſterium, ut *Abbatiæ* titulo impoſterum gauderet, idem Pont. ſtatuit. Sed iterum ejus loci mutata conditio anno 1605. tali modo. Erat eo tempore Abbas S. Sylveſtri ampliſſimus Præſul Thomas genere d' Avalos benevolentia, & liberalitate in Carmelitas diſcalceatos inſigni. Hic initio ejus anni Abbatiam ipſam ad Clementem VIII. detulit, optans, ut Carmelitis ſuis Pontificia auctoritate perpetuo poſſidenda traderetur: cui res pro voto ceſſit, ab ejuſque anni die 17. Apr. locum illum Carmelitæ obtinuerunt, ac novum deinde eodem nomine Templum, & Monaſterium pene a fundamentis excitarunt. Hoc loco a Carmelitis Vidæ, Canonico olim Lateranenſi, monumentum, quod in lucem emitto, poſitum fuit. In qua enarranda hiſtoria pluſculum temporis inſumere malui, quam pati quidquam reſtare curioſis diligentius inveſtigandum.

Gaudeo autem magnopere hujus præclari monumenti occaſione mihi de tali viro, quod diu optaveram, ſcribendi facultatem dari; de Cive, inquam, cujus nomen Cremonenſibus decus attulit nulla unquam oblivione delendum. Cui vero lucubrationem hanc meam potius inſcriberem, diu hæſitandum non fuit. Tu enim ſtatim occurriſti, Hieronyme Manara Abbas præſtantiſſime, qui Cremonenſi Canonicorum Regularium Lateranenſium Monaſterio apud S. Petrum maxima ſapientia praees. Res enim illius, qui in tuo cœtu diu ſanctiſſime vixit, & omni doctrinæ genere excelluit, ad te potiſſimum pertinere conſtat, qui non tam genere, & in rebus geren-

rendis laude, quam dignitate inter eos Canonicos eminens, patriam & ipſe quam maxime ornas. Ego autem libentius provinciam hanc ingredior, quod licet innumeri ſcriptores Vidam laudaverint, nemo tamen ejus res geſtas ita eſt perſecutus, ut non multum addi poſſit; quod dictum volo etiam de Oxonienſi ejus operum editore Thoma Triſtramo, qui brevem Vidæ contexuit vitam, in editione Cominiana a cll. Vulpiis in fine to. I. recuſam, quod meliorem non haberent. Non ego tamen præclarum de hac eadem re commentarium tibi ſpondeo: ſed aliquam iis, quæ vulgata ſunt, lucem afferre dabo operam; tum nonnulla addere a me reperta: omnia tandem ordine quodam contexendo id efficere, ut noſter hic labor ſin minus ulla commendatione dignus, futurus quidem eruditis viris, ac noſtris in primis Civibus non injucundus videatur.

Marcus Hieronymus Vida conſulari familia Cremonæ natus eſt in vicinia S. Leonardi anno 1470. honeſtiſſimis parentibus Gelelmo Vida, & Leona Oſcaſala, qui avitis quidem auctis virtutibus illuſtres, valde tamen imminutis opibus fortuna dejecti fuerunt. Filium nihilo minus, in quo magnum apparebat ingenium, omni ſtudio educarunt, eoque, quem ferre poterant, ſumptu, unam hanc rem curantes, præceptoribus illum tradiderunt informandum, non ſolum iis, quibus civitas noſtra erat feliciſſima tum græce, tum latine eruditiſſimis, ſed etiam qui in aliis non valde diſſitis Academiis florebant, Mantuæ, Patavii, & Bononiæ, ad quos adoleſcens profectus eſt, ut ſcribit Boiſſardus in Iconibus virorum illuſtrium. Hæc narrat Vida ipſe lib. Carminum carm. v., cui titulus *Gelelmi Vidæ, & Leonæ Oſcaſalæ parentum manibus*.

. . . . . vos claras me ſcilicet artes,
Re licet anguſta, potius voluiſtis adire,
Quam genere indignis ſtudiis incumbere noſtro.
Atque ideo doctas docilem miſiſtis ad urbes,
Quamvis in noſtris luſiſſet lubrica rebus
Jampridem fortuna, & opes vertiſſet avitas,
Et res fluxa alias potius revocaret ad artes.

His adjumentis Vida in ipſa puerili ætate, natura fautrice, ita eruditus fuit, ut ſpem, quam in eo maximam parentes habebant, & confirmaverit, & auxerit. E ludo, pueritiæque diſciplina ad Re-

thores ſe contulit, quorum præceptis celeriter arreptis, exercitationem adjunxit, apparuitque omnibus, illum in quolibet genere ſcribendi facile excellere poſſe. Muſarum incenſus cupiditate, latinam poeſim omni contentione ſecutus eſt, ut tamen genus non reliquerit oratorium, in quo conſtat ſummam laudem Vidam fuiſſe aſſecutum. Nihil ei non tribuit natura ipſa, nihilque arte, & ſtudio non egit, ut aureæ ætatis principes viros æmularetur, & Poetarum, ac diſertiſſimorum Oratorum gloriam attingeret.

Pietatem Vida coluit pari modo, parique ſe virtute præbuit ſive in literariam palæſtram prodiret, ſive morum, & Religionis officiis daret operam. In id immo totus fuit, ut vitæ integritate ſe Deo traderet, cujus nutu incepta ſibi proſpere cuncta evenire intelligebat. Atque hinc illud eſt, quod de rebus imprimis divinis canere inſtituerit; quare habitus Chriſtianorum Poetarum facile Princeps. Neque vero id ſatis habuit. Erat eo tempore Mantuæ conſtituta, ac florens Congregatio, ut vocant, Canonicorum Regularium titulo S. Marci, qui legibus parebant, quas olim Auguſtinus Clericis in unam coeuntibus ſocietatem præſcripſit. Vida diu mente agitans, quæ tandem ſibi eſſet vitæ ineunda ratio, atque in id contendens, ut non tam literarum, quam divinæ Sapientiæ opibus animum expleret ſuum, ſtatuit prædictæ Congregationi nomen dare. Quo anno id contigerit, exploratum non eſt; conjici tamen poteſt ex inſcriptione hymni, quem cecinit S. Auguſtino, quæ extat in prioribus Carminum Vidæ editionibus, eſtque hujuſmodi: DIVO AUGUSTINO *Canonicorum Regularium inſtitutori, apud quos ipſe Vida ſanctiſſime educatus eſt*. Ex quo apparet illum ineunte juventute in eorum Canonicorum ſocietatem receptum fuiſſe circa annum 1493. Omnem, quam apud illos conſumpſit, ætatem, literis, & pietati Vida tribuit; quodque in iis profecit (plurimum autem profeciſſe compertum eſt) id in eodem hymno patrocinio S. Auguſtini acceptum retulit. Sublimioribus etiam diſciplinis operam dedit, ac potiſſimum Theologiæ, ut ab ipſo accepimus, cujus ope altiſſima cecinit, quæ conſtat non niſi a viro theologo ſcribi potuiſſe.

Dum hæc Vida agebat, Romam adductus eſt. Viri enim literis, & virtute excellentis fama longe lateque perlata, Canonicos Regulares Lateranenſes impulit, ut illum in cœtum ſuum cooptarent,

rent, & hoc aurei ſeculi decus quoddam Urbi afferrent. Leone X. Pont. renunciato id contigiſſe laudatus Penottus ſcribit, quo tempore tot ad ſtudia, gloria, atque ſapientiſſimi Pontificis liberalitate, accenſa ingenia fuerunt. Sed ante annum 1511. Romam illum veniſſe conſtat. Nam menſe Januario ejus anni ex ædibus Pacis vulgavit Epicedion in funere Oliverii Card. Carafæ, cui ſe in clientelam tradidiſſe antequam ſacris initiatus eſſet, ac deinde Canonicis Lateranenſibus adſcriptus, illum veluti patrem, & dominum habuiſſe ſcribit in epiſtola, quacum Epicedion miſit ad Card. Vincentium Carafam. Magno tamen Leoni Vida ſtatim innotuit, qui intelligens tandem ſibi oblatum virum, qui omni literarum præſtantia excelleret, illum ad ſe accerſiri juſſit, eique Chriſtiados Poema adornandum mandavit. Vida hæc ipſa narrat lib.1. de Republica.,, Quum jam adoleviſſem, inquit, relictis ſtudiis illarum artium, quas qui tenent eruditi vocantur, me totum Philoſophis, tum Theologis tradideram erudiendum, graviſſimiſque illis ſtudiis, Romam adductus, operam ſtrenue navabam. Neſcio quomodo a LEONE X. Pontifice Max. interpellatus fui, ut relicta, rejectaque omni alia cura, ac ſtudio, periclitarer quid efficere, quantumque progredi valerem in exprimendis, & verſu explicandis rebus divinis, quæ pertinent ad Chriſti inſtituta, totamque tam auguſtæ Religionis, ac ſanctitatis rationem optimorum poetarum figuris, atque virtutibus latine, quoad poſſem, ornarem. Autumo quia fortaſſe legiſſet quoſdam meæ adoleſcentiæ luſus, verſus inquam illos, quos olim adoleſcens de re ludrica, ſed non parum difficili, atque involuta (Scacchia vulgo vocant) (*quod poema a Laſcare legato regio Leonem accepiſſe ſcribit Marcus Paulus Tarteſſius in præfatione ad libros Poeticorum Vidæ*) conſcripſeram, nec non libros quoque duos de Bombyce .... Non potui ſane tanti Pontificis, tamque de communi hominum ſocietate bemeriti, piæ voluntati non obtemperare, ſcripſique poetarum more de ipſius Chriſti rebus, & inſtitutis,, ...

Ingenii præſtantia vitæque integritate clarus Vida Romæ magna in celebritate verſabatur virorum cumprimis eruditorum, quorum multos aurea illa ætate Romæ floruiſſe omnibus compertum eſt, ita ut in quovis doctrinæ genere apicem aſſequi contenderent, eſſetque inter illos laudis, & gloriæ æmulatio. Effecit autem morum

po-

potiſſimum ſimilitudo, ut Vida in intimam perveniret amicitiam Jo. Matthæi Giberti, qui per id tempus a ſecretis erat Julii Card. Medicei. Is talis, ac tantus vir gratia multum valebat cum apud Cardinalem ſuum, tum apud Leonem Pont. eaque etiam ad Vidæ commodum, & ornamentum feliciter uſus eſt. Cujus rei, ſimulque grati animi, & amoris monumenta Vida carminibus ſuis immortalitati mandavit. Eundem vero ita coluit propter illius doctrinam, atque virtutem, ut ambo creati Epiſcopi quum eſſent, Vida ætate longe provectior a Giberto Veronæ ſedente præclaram Eccleſiæ regendæ rationem acceperit. Quod ipſe prodidit in hymno quem cecinit *Jo. Matthæo Giberto non in* ἀποθέωσιν *relato.*

Interea Vida omni cura ac diligentia poema condebat ſuum, & maxime nitebatur, ut perveniret quo ſtudebat. Verum receſſu atque otio Romæ perfrui non poterat; quæ duo neceſſaria omnino ad eam rem eſſe, ipſe monuit lib. 1. Poeticorum v. 486.

Quod ſupereſt etiam moneo, creberque monebo,
Ne quiſquam, niſi curarum, liberque laborum,
Inchoet egregium quicquam: verum procul urbis
Attonitæ fugiat ſtrepitus, & amœna ſilentis
Accedat loca ruris . . . .
. . . .
Hic læti haud magnis opibus, non divite cultu
Vitam agitant vates; procul eſt ſceleratus habendi
Hinc amor, inſanæ ſpes longe, atque impia vota,
Et nunquam diræ ſubeunt ea limina curæ.

Hæc ipſe præcepta diligenter curans, " petiit a Rectore generali, inquit Penottus, obtinuitque locum (S. Sylveſtri Montis Compatrum) ſibi concedi, donec Chriſtiadem abſolveret. Quo obtento ſtatim a Leone X. dictum Monaſterium in titulum impetravit" opera potiſſimum Giberti ſui. Eo receſſu nihil carius unquam habuit. Lib. Carminum Ode 1. ad eundem Gibertum ſic canit

Me me rura juvant mea,
  Optatoque diu perfruor otio,
Per te quod peperi mihi
  Giberte o animi ſola quies mei,
Pro quo mille adeam neces.
  Nunc æſtus vacuum glandifera juvat

Evi-

Evitare ſub ilice,
Nunc audire noti murmura garruli
Denſas per nemorum comas
Haud longe ſcatebris fontis algidi.

Quum otio illo, ac ſibi tantopere grata quiete Vida perfrueretur, nuncium accepit, ambos paucorum dierum ſpatio parentes ſuos obiiſſe ſupremum diem. Pulcherrimo carmine illos celebravit, quod initio laudavi. Hoc in carmine, quum Leonis X. in ſe beneficentiam commemoret, hæc omnino recitanda videntur:

. . . . Leo jam carmina noſtra
Ipſe libens relegebat; ego illi carus, & auctus
Muneribuſque, opibuſque, & honoribus inſignitus.
Omnia erant mihi læta . . . . .
. . . .
Ecce repente autem ſtridens inſibilat Eurus,
Æquora turbantur, portuque avellor ab ipſo.
Ecce repente ruens mihi acerbus vulnerat aures
Nuntius, atque ambos docet amiſiſſe parentes.

Haud multo poſt, quum in ſtudium ſuum ſe tradidiſſet quietum, atque inter ruris ſilentia Camenis indulgens, gloriæ ſtimulis altiſſima quæque felici auſu pervaderet; ecce in luctum denuo verſa omnia acerbo Leonis X. funere, qui immortalitate dignus, dum ad ſummum gloriæ apicem properaret, deceſſit Kal. Decemb. an. 1521. In Epiſtola ad Gibertum Mediceis addictiſſimum, & Pontificium Legatum ad Europæ Reges profectum Vida hæc de Leone pulcherrime fatur:

Nempe canam ſemper Medycum facta ampla tuorum
Præclaræ decora alta domus, qua ſoſpite nunquam
Italiam amiſſam, libertatemque fatebor,
Fata licet ſemper cœptis ingentibus obſtent,
Atque ideo LEO mortales modo liquerit auras
Ereptus mediis (ſic dii voluere) triumphis.
Invidit libertatem ſors læva ruenti
Italiæ, invidit partum decus: omnis in illo
Spes pene extincta, & moriens ſecum omnia vertit.

Inter beneficia, quæ LEO multa ſane, & præclara Vidæ contulit,

Præ-

Præfecturam quamdam S.Stephani in litore Liguſtico cll. Vulpii recenſent in indice to.1. Carminum ejuſdem verbo *Stephanus* , his permoti verſibus initio hymni eidem S. Prothomartyri :

> Te Stephane ipſe canam . Tu dum mihi vita manebit
> Muneribus, ſemperque meo celebrabere honore.
> Non tua nequicquam LEO mi delubra tuenda
> Crediderit pater , atque tuæ præfecerit arx .
> . . . .
> Hanc patrio antiqui Ligures in litore molem
> Ingentem poſuere, tibique hæc templa ſacrarunt.

Quibus in errorem ductos Vulpios non miror , qui alios ejuſdem hymni verſus non animadverterunt

> Me nunc, qui novus ingredior tua Templa Sacerdos,
> Et tibi ſacra fero puero puer, aſpice præſens.

Hæc Vida de ſe ipſo canere non potuit, annos fere quinque, & quadraginta nato. In prioribus editionibus Carminum illius hæc hymni inſcriptio habetur , DIVO STEPHANO *Martyri pro Joanne Matthæo Giberto* . Itaque Præfectura illa Giberto tunc juveni delata eſt, cujus nomine Vida hymnum cecinit.

Poſt Hadrianum VI. Leonis ſucceſſorem, qui obiit an.1523. Julius Cardinalis Mediceus Pontifex ſummus renunciatus eſt anno eodem XIII. kal. Decemb. qui Clemens nominari voluit ordine VII. Hunc Vida alterum Pontificem Mæcenatem habuit ampliſſimum, qui eadem , qua Leo , in illum voluntate erat , & novum perlegendi Chriſtiados poema cupidiſſimus. Interea hoc opus nonum Vida premebat in annum , ut perfectum , quoad poſſet , in manus hominum perveniret. Sed carmina illius edita erant quamplura . *Poeticorum* libri excuſi Cremonæ anno 1520. Additi Romæ an.1527. *Bombycum* libri tres , *Scacchia ludus &c.* de qua editione Hieronymus Niger ſcripſit ad M. Antonium Michaelium (to.1. Epiſtolarum Principum ad Principes) atque hæc de Chriſtiade. „ La Criſtiade, che ſaranno ſei libri, premetur in duodecimum annum. Vuol prima che ci faziamo di queſta (*de Partu Virginis*) del Sanazzaro „ . Id ſcilicet maximo ſtudio curabat , ut quam concitaverat expectationem omnium ſuſtineret , qui Chriſtiani Virgilii nomine ferebatur . Marcus Paulus Tarteſſius Cremonæ jam interpretabatur Poeticorum illius libros

bros de quibus multa diſſerit in Prælectione, quam ea de re habuit ad Cremonenſes, gratulaturque ad ſummum faſtigium perductam a Vida patriæ gloriam, cujus fundamenta jecerant duo illi præclariſſimi cives Marius Furius Bibaculus, & Quintilius Varus, *Virgilio maxime neceſſarius, poetarum Cenſor, ſi Horatio credimus*. Itaque faſtigium tenere videbatur, qui eo pervenerat, inquit Lilius Gregorius Gyraldus dial. 1. de poetis ſuorum temporum, quo ſine græcis, duce cumprimis Virgilio, pervenire poeta poteſt. Ferdinandus Ughellus hæc ex Sixto Senenſi luculentius ſcripſit. " Vida adeo propioris imitationis gradu Virgilianam gravitatem ſecutus, atque aſſecutus eſt, ut nullus antea reperiatur, ac deinceps fortaſſe nullus futurus ſit, qui ad tam illuſtrem poeticam lauream æmulando aſpirare conetur". Ludovicus Arioſtus, qui ſuum antea edidit poema, quam Chriſtiadem ab ſe Vida dimitteret, ejus nomen cantu poſtremo hac ornat eximia laude:

. . . . il Vida Cremoneſe
D'alta facondia ineſſiccabil vena.

Alios omitto ſcriptores, qui ſimillima prædicant, omnemque, quam Vida aſſecutus eſt gloriam, præclaro Alexandri Pope (*Eſſai ſur la critique chap.* 4. *v.* 207.) teſtimonio comprehendam, quo, ut aurea Leonis X. tempora efferret, Raphaelem Sanctium, & Vidam apparuiſſe memorat, illum qui penicillo, hunc vero qui calamo, Græcorum, & Auguſti ævum renovarint. Qua in re utar gallica verſione D. de Reſnel, quæ ſententiam ipſam attingit, licet nativam illius non referat majeſtatem, ut eſt omnium ſententiarum indoles, quarum ſemper eſt in patrio idiomate major vis, & elegantia.

Raphael peint: Vida fait entendre ſa voix.

Chriſtias tandem perfecta non ſuſtinuit modo, quæ de illo erat, opinionem ingenii, atque doctrinæ, ſed etiam cumulavit, & auxit. Illam CLEMENTI primum omnium, honoris, dignitatiſque gratia, facta fuit legendi facultas, cujus nomini inſcripta fuit; quod accepi a Hieronymo Faballo Laudenſi in *Oratione de Vida ad Cremonenſes* habita anno 1561. Qua autem voluptate poema elegantiſſimum Clemens perlegerit, quaque humanitate, & liberalitate amplexatus fuerit hominem, quem ipſe cum Leone X. ad hoc præclariſſimum opus ſuſcipiendum, perficiendumque hortatus fuerat, honoribus, ac

præmiis illi collatis, luculenter teſtatus eſt. Etenim in illo non ſolum poetam excellentem Pontificia liberalitate augere volens, ſed etiam virum religione, & theologicis ſtudiis præſtantem in partem vocare curarum gregis Chriſti, anno 1532. die 6. Februarii Albæ Pompejæ Epiſcopum Vidam inſtituit.

In eo faſtigio collocatus ita ſe geſſit, ut non minus Chriſtiani excellentiſſimi Vatis, quam præſtantiſſimi Epiſcopi fama celebraretur. Illud initio ſtatuit, reditus Eccleſiæ ſuæ diſtribuere omnes in partes tres, " quarum unam, inquit laud. Faballus, in Templorum inſtaurationem, in aliaſque res, quæ ad Dei O. M. cultum ſpectant, large, digneque effunderet; alteram in pauperes plene divideret: tertiam in uſus vitæ Pontificiæ neceſſarios transferret". Quæ vero Faballus prædicabat partim monumenta ipſa teſtabantur, partim erant Cremonenſibus notiſſima, apud quos Vida, bello in Liguria flagrante, diu egit: quare nemini venire in ſuſpicionem aſſentationis poteſt. " Domus illius, inquit, omnibus bonis ſemper patet, domus optima, notiſſima quidem certe, maximeque perhoſpitalis, non ſitu, non pariis lapidibus, non pulcherrimis ſignis ornata, ſed referta iis diſciplinis, iis moribus, iis inſtitutis, ut Patrum Sanctorum umbraculis, ſi adhuc vigerent, par judicari poſſet: quam omnis civitas, omnis vicinitas comprobat, cujus apud omnes, propter Dominum, maximum eſt nomen, atque graviſſimum...... ubi viget jus, æquitas, pudor, pudicitia, ubi ſemper pauperibus paratum præſidium, ubi optimarum artium domicilium, ubi cuncta ſplendeſcunt, ubi ſumma ſunt omnia, unde omnium rerum egregiarum exempla ſumi poſſunt". Hæc de cultu domeſtico Vidæ Epiſcopi.

Frugalitatem ipſe ſuam his carminibus declaravit in cœnaculo Villæ ſuæ Roncianæ poſitis.

Hoſpes ſi olus, dapeſque inemtas non piget
Cœnare mecum, accumbe, perſonam exue.
Natura diſces quantuli indigeat cibi,
Ne tranſmarinis opus ſit apparatibus.

" Quis vero hoc homine pietate inſignior? Quem non minus delectat apud ſe videre egenam turbam, quam nobiliſſimum cœtum.... Porro ſi quos ſciat mendicare ingenuo pudore prohiberi, miſertus eorum egeſtatis, ad eos comportari jubet, quæ ad victum, veſtitum-

tumque pertinent.... Jam vero ita facilis eſt in audiendis, reddendiſque ſermonibus, ut difficile dictu ſit, quantum ejus affabilitas, comitaſque ſermonis omnium, qui eum adeunt, animos alliciat.... Jam quanta ſit liberalitate nemo ignorat..... Quum eum natura finxerit, ut de omnibus ad bene merendum ſit propenſus; in eos præſertim qui iis artibus, in quibus ipſe excellit, ſe dedunt, ſuum ſtudium libentiſſime conferre non ceſſat.... illiſque eximia liberalitate ſubvenit". Quæ tamen præclare geſſit, ne memoriæ poſterorum traderentur, ipſe in primis obſtitit. Quum enim Bartholomæus Botta Canonicus Papienſis ad illum retuliſſet, Chriſtiadem legi in ſcholis, & explicari, ſeque parare commentaria (edita Papiæ anno 1569.), quæ propter rerum difficultatem deſiderabantur, Vida gratiſſimum id ſibi eſſe reſpondit: " te tamen, inquit, Botta rogo, ne a nobis vitæ noſtræ, aut rerum noſtrarum, ſi quæ ſunt, commentarios expectes ullos, quibus edoctus poſſis in operis initio auctoris vitam de more contexere". Sed multa latere non potuerunt.

Paſtoralis ſollicitudinis, & conſtantiæ hæc commemorabimus exempla. Omnia Diœceſis ſuæ loca luſtravit, iiſque captis conſiliis, quæ ſingulis ſalutaria eſſent, Synodum Albæ indixit. Sed quum propter belli diuturnitatem, quo regio illa undique premebatur, celebrari non poſſet, conſtitutiones typis Cremonenſibus edidit, atque ad Eccleſiam ſuam miſit, data epiſtola, quæ ejus carminibus adjecta eſt in editione Cominiana a cll. Vulpiis perfecta Patavii anno 1731., quæ nobis non levis adjumenti eſt in hoc texendo commentario.

Pernicioſo in Liguſticis oris potius renovato, quam coorto bello, fama pervulgata erat, Ferrantem Gonzagam cum delecta militum manu Albam verſus ab hoſtibus occupatam iter arripuiſſe, ut eam urbem recuperaret, atque ad internecionem gentem, ac nomen Albenſium redigeret. Vida Cremonæ data ea de re ad Ferrantem Epiſtola, mira eloquentia cum magna animi conſtantia conjuncta, illum a tanto facinore perpetrando deterruit. Quæ Epiſtola cum Ferrantis reſponſione Epiſcopi virtutem commendantis, ſimulque falſum rumorem irridentis, extat in laud. editione, deſumptaque eſt ex lib.3. Epiſtolarum Principum ad Principes.

Alterum longe eſt memorabilius, quod narratur a Paulo Jovio Hiſtoriarum ſui temporis lib.41., Albenſes ſcilicet Gallorum manum,

B 2 quæ

quæ, violatis induciis, nocte quadam repente ad tentandam eam urbem, quæ Municipium erat Cæſarianorum, contenderat, ſtrenue depuliſſe, " adhortante præſertim pro ſalute patriæ decertantes eorum Antiſtite Hieronymo Vida poeta celeberrimo ". Hieronymus Faballus hoc factum eleganter narrat, iiſdemque verbis, quibus illud deſcripſit Vida (ſuppreſſo nomine) actione 2. Cremonenſium adverſus Papienſes in cauſa Principatus. " Jam Gallicanæ cohortes, Duce Jo. Antonio Benevellano, ſuperata foſſa, admotiſque ſcalis muros aſcenderant; aliqui & ingreſſi erant urbem, Cæſarianis militibus, qui in præſidio collocati fuerant, cedentibus, arcemque, & tutiora loca urbis propere petentibus: niſi obſtitiſſet inſignis fides, & memoranda animi fortitudo Vidæ Cremonenſis in ea civitate Sacerdotum Principis, & Sacrorum Antiſtitis, qui audito tumultu, cognitoque periculo, abjecta Pontificia perſona, ſumptoque ſago, populum ſibi incredibili benevolentia devinctum armavit, factoque agmine ad ſemicaptæ urbis locum properavit: hoſtes, qui ingreſſi fuerant, cepit, qui muros aſcenderant, eos dejecit, deturbavitque in foſſam præcipites: cæteri vero omnes fugæ conſilium, projectis omnibus, ceperunt, relictiſque ſcalis, ſudibus, ferreis harpagonibus, cæteriſque bellicis inſtrumentis, in fugam turpiter converſi ſunt ".

Concilio Tridentino Vida interfuit; quod conſtat ex hymno, quem cecinit SPIRITUI SANCTO; ſic enim ad finem properans illum alloquitur:

Nos primum pete, qui in ſedem convenimus unam
Saxa ubi depreſſum condunt prærupta Tridentum,
Hinc atque hinc variis acciti e ſedibus Orbis,
Ut ſtudiis juncti, atque animis concordibus una
Tendamus duce te freti ſuccurrere lapſis
Legibus, & verſos revocare in priſtina mores.
Teque ideo cœtu celebramus, & ore ciemus:
Sancte veni, penitus te mentibus inſere noſtris
Aura potens, amor omnipotens, cœli aurea flamma.

Ex autographo autem Concilii, quod ſervatur in arce S. Angeli, compertum eſt, Hier. Vidam Albæ Epiſcopum interfuiſſe Seſſioni V. die 17. Maii anni 1546., & ſeſſionibus dierum 3. & 11. Martii an. 1547. Tempus vero ipſum, quo poſtremum Tridentum profectus

ctus eſt, indicat Vida lib. 1. de Republica, anno ſcilicet 1551., quum Bononia translatum eam in urbem Concilium fuit; ſeque ibi commoratum ait eſſe (menſibus fere integris Maii, Junii, Julii, & Augusti, quo tempore nulla celebrata ſeſſio fuit) dum expectatio erat Germanorum, qui ab Eccleſia deſciverant, & quorum incolumitati fide publica conſultum erat. Quod palam faciam non multo poſt de iis libris agens.

Ædibus ſacris vel reficiendis, vel excitandis, vel demum ornandis, tertiam redituum ſuorum partem Vidam decreviſſe diximus. Quod religioſe illum ſervaſſe ſatis cognitum, exploratumque eſt, cum ex monumentis quæ adhuc extant, tum ex iis, de quibus mentionem in hymnis facit. S. Margaritæ Templum pene dirutum Cremonæ ædificavit, neque antea manum amovit, quam illud a celeberrimo Julio Campi depictum fuit. Quod præſtantiſſimum opus ita celebratum eſt uſque ad hanc diem, ut nemo artium ſtudioſus Cremonam profectus, illud inter cætera ejus generis, quibus mirifice eadem urbs abundat, monumenta, non inviſat, ac miretur. In interiore parte ipſius ſacræ ædis duo extant a Vida poſiti lapides, in quibus hæc incidi juſſit.

I.

NE QUIS HEIC NE DUM SACR. SACROVE COMMENDATUM CLEPSERIT RAPSERITVE SED NEQUE PRÆTER OLLA QUÆ POSITA SUNT SIMULACR. ALIUD APPINGITO AFFIGINTOVE NEU ALTARE EXTRAORDINARIUM QUOD ÆDEM DEFORMET INCONCINNAMQ. REDDAT EXÆDIFICATO NEU QUID OMNINO STRUCTURÆ PICTURÆVE ADDITO NEU DEMITO NEU MUTATO. SARTA TECTA AD QUEM SPECTARIT BONA FIDE PRÆSTATO COLLAPSA SQUALIDAQ. ET OBSOLETA RECONCINNATO ATQ. IN PRISTINAM FORMAM NITOREMQ. RESTITUITO. QUI SECUS FAXIT DETESTABILIS ESTO CIVITASQ. IPSA VINDEX SIET.

II.

PROPTER ÆDEM IN SEPULCRETO SANCTITATIS ERGO CADAVERA HUMANTO CONDUNTOVE UT LUBET. QUI INTUS REJECTIS ANTIQUATISQ. PONTIFICIS EXECRATIONIBUS NON SANCTUM HUMAVERIT CONDIDERITVE PIACULUM ESTO.

In ſupercilio autem forium ejuſdem ædis, quo auctore, quove tempore perfecta fuerit, notatum eſt hoc modo

M. HIER. VIDA ALBÆ EPISC. FECIT
ANNO A PARTU VIRGINIS MDXLVII.

Tem-

Templum S. Andreæ Apoſt. in Oppido Ticengi agri Cremonenſis a majoribus ſuis ædificatum Vida pariter reſtituit, ornavitque. De quo ſic cecinit initio hymni XVI. *Divo Andreæ Apoſtolo.*

Quam veteres nulla arte tuo de nomine dictam
Cælicolum Regi quondam poſuere parentes
Labantem, victamque ſitu renovavimus ædem
Andrea tibi, conſpicuoque polivimus ære,
Marmoreque e niveo candentem ereximus Aram.
Huc quidquid nobis bellum exitiale reliquit,
Contulimus tibi, nec pro tempore rebus egenis
Defuimus. Si fortunæ foret illa prioris
Copia nunc, nec opes noſtras fera bella tuliſſent,
Forſitan hic lento templi quoque plurimus auro
Fulgeret tholus, & rigui plebs læta Ticengi
Dives te dignos aris inferret honores.

Albæ in Templo S. Laurentii organum ea ætate celeberrimum perficiendum curavit; quod in hymno eidem Martyri adeo eleganter, ſciteque deſcripſit, ut qui legit, ſibi illud non ſolum videre, verum etiam ſonos audire videatur. Sed de his ſatis.

Ex quibus intelligitur quemadmodum in hoc uno viro hæc omnia fuerint, ingenium, doctrina, charitas, pietas, religioque in Deum. " Senex præter id temporis, quod valetudini dabat, quod ſane puſillum erat, horam nullam literis vacuam eſſe permittebat ". Pervenit autem ad eam ætatem, quam perraro homines attingunt, illamque egit ſibi ſemper conſtans, ſemper aliquid volvens literarum. Placida juſtorum morte an. 1566. die 27. Septembr. migravit ad Deum annos natus XCVI. (1), ut illum manifeſte intueretur, de quo altiſſima, pro hominis conditione, miro conatu cecinerat in terris. Magna pompa funus Vidæ a Cremonenſibus communi ſumptu decretum, ductumque fuit; ut eum virum publico honore proſequerentur, quem patriæ decus immortale peperiſſe intelligebant. Magnifici pegmatis latera inſcriptione ornabantur hujuſmodi:

D.O.M.

D. O. M.

M. HIER. VIDÆ ALBÆ EPISCOPO
QVEM PROBE OMNES NORVNT
CIVITAS CREMONA DECRETO SEPVLCRO
SVMPTV PVB. CIVIT.
QVI DE VNIVERSA CIVIT. B. M. EST
PARENTAVIT V. A. N.

QVI CVM QVIDQVID IN EGREGIVM HOMINEM
LAVDIS DICI POTEST
IN EVM BENEFICIO NATVRÆ FVERIT COLLATVM
IMMORTALITATE ERAT DIGNVS
NISI NATVRÆ COMMVNIS CONDITIO OBSTITISSET
VIVIT TAMEN ADHVC APVD NOS
VIVETQVE ÆTERNVM AD POSTEROS
BENEF. IVCVNDISS. AC PERPETVA RECORDATIONE

QVI OMNIBVS ERGA GREGEM SIBI COMMISSVM
OFFICIIS FVNCTVS
PIET. CARIT. FIDE CONST. PRÆCLARVS
OMNIBVS CARVS NEMINI NOXIVS
A NOBIS DISCESSIT
SVO MAGIS QVAM ALIORVM TEMPORE

QVI NON SOLVM PIE ET SANCTE DEVM COLVIT
SED ITA ETIAM CECINIT
VT IN CŒLO LOCVM
VBI BEATVS ÆVO SEMPITERNO FRVATVR
ET IN TERRIS ÆTERNAM SIBI GLORIAM
MAXIMO OMNIVM MORTALIVM FRVCTV
COMPARAVERIT
OBIIT ANNO MDLXVI XXVII SEPT.

Sed nunc tempus eſt, ut de iis, quæ M. Hieronymus Vida ſcripſit, diſſeramus. Cui rei ſic operam dabimus, ut judicium aliquod ſemper ſubnectamus eruditorum hominum. Ordinem vero perſequemur, quem Vulpii ſtatuerunt in laud. editione, quæ nitore, diligentia, elegantia, eruditione, & rerum copia ita præſtat, ut nihil ſupra; atque etiam multa ab iiſdem notata in noſtrum Commentarium transferemus in gratiam eorum, qui ejuſmodi editione carent. Initio Jo. Antonius Vulpius de carminum Vidæ præſtantia hæc ad lectorem habet. " Sive delectum verborum, ſive ſplendorem figurarum, ſive pondera ſententiarum, ſive ſimilitudinum copiam, ſive denique totius operis ornatum, & diſpoſitionem ſpectare ve-

velis, nihil exhibet Vida non e Virgilii, Lucretii, Catulli, Horatii, & reliquorum poetarum, qui aurea illa ætate floruerunt, myrothecis depromptum; nihil quod non incorruptam romani ſermonis dignitatem præſeferat: omnia ſunt in ejus carminibus miro artificio elaborata, rotunda, perſpicua, candida, ad unguem caſtigata, ut non ſolum imitari veteres, verum etiam cum iis certare voluiſſe videatur. Si vero ad argumenta ipſa mentem animi convertas, neminem profecto ex poetis Vidæ anteponendum cenſebis. Alienus enim eſt ab omnibus corruptelarum illecebris, nullas faces libidini, atque intemperantiæ miniſtrat; ſed potius juventutem in voluptates effuſam, adhibitis quibuſdam quaſi frenis orationis, revocat, & a turpibus ad honeſta traducit."

Chriſtiados libros omnino ſex, & hymnos Deo, cælitibuſque conſecratos primus Cominianæ editionis tomus comprehendit. Propoſitis a duobus ſummis Pontificibus Leone X. & Clemente VII., eique collatis præmiis, opus (Chriſtiad.) adeo periculoſum ſuſcepit, & abſolvit. Sixtus Senenſis lib.4. Bibliothecæ ſanctæ hæc de eo ſcripſit." Hieronymus Vida... Virgiliani carminis incomparabilis imitator, primus fere omnium latinorum poetarum vitam, reſurrectionem, aliaque Servatoris noſtri geſta ex quatuor Evangeliis collecta ſublimitate carminis Virgilianæ majeſtati proxima feliciſſime cecinit". Aubertus Miræus idem poema vocat inſigne, & nunquam ſatis laudatum, in quo Vida Maronem heroico ſpiritu æmulatus eſt. Et Jo. Matth. Toſcanus in Peplo Italiæ Chriſtiadem divinam appellat. Graviſſimum vero eſt Jo. Vincentii Gravinæ judicium in opere inſcripto *della ragion poetica*, quod eſt hujuſmodi." Quel ſoggetto, di cui il Sanazzaro abbracciò ſolo una parte, tutto intero nella ſua Criſtiade abbracciò Girolamo Vida, il quale tolſe quanto era di auguſto in terra, qual è la latina, e la conſolar favella, e la poetica grandiloquenza, ed all'eſpreſſion l'eſaltò di quanto è più auguſto nel Cielo, qual è la ſtoria di Criſto, e ſua dottrina, alla cui verità il Vida con ingegnoſo intreccio di narrazione accompagnò il diletto, e curioſità, che naſcer ſuole dalla imitazion d'Omero, il di cui ὕςερον πρότερον egli ſeppe ingegnoſamente traſferire nella vita di Criſto... In queſto poema il Vida, più che in ogni altro ſuo componimento, traſportò delle locuzioni, e numeri lucreziani, come quel-

quelli, che per la priſca maeſtà loro più che il Vergiliano ſplendore alla grandezza del ſuggetto convenivano ".

In hymnis Vida totam fere Chriſtianorum doctrinam expoſuit. Qui Deum, divinaque celebrant myſteria, adeo ſublime feruntur, ut videatur non ſine divino quodam ingenio id fieri potuiſſe. Apparet vero in omnibus poeticus color, vivax gratia, ſuavitas, dignitas, ac verborum fulgor quidam, quo res, veluti obducta nube deliteſcentes, colluſtrantur. Quare laud. Vulpius merito in Julium Cæſarem Scaligerum invehitur, qui Poetices lib.4. quem inſcripſit *Hypercriticum* cap.4. Vidæ hymnos *plebejos* appellavit, obtrectandi, & maledicendi libidine. " Quis enim, niſi mente captus, inquit, Lucretium (ut hoc potiſſimum exemplo utamur) de rerum natura pulcherrimis verſibus diſputantem plebejum ſcriptorem appellet? quem Quinctilianus difficilem, ſublimem Ovidius vocavit. At Vida neque carminis elegantia quicquam Lucretio concedit: argumenti autem dignitate ipſum longiſſime exſuperat ". Plura Vulpius addit, ne invidia laudem obterat virtutis. Sed quod putat Scaligerum non amplius quam quatuor Vidæ hymnos in prioribus Carminum illius editionibus legiſſe, a nobis ſic accipitur, ut id ita eſſe potuerit. Verum opus eſt notare, Vidæ hymnos editos omnes fuiſſe typis Cremonenſibus an. 1550., antea quam Scaliger *Hypercriticum* ſuum vulgaret.

Poeticorum libros tres primum excipit tomus 2., atque initio extat tum Epiſtola, quam de iiſdem Vida ad cives ſuos dedit anno 1520. tum prælectio M. Pauli Terteſſii Cremonenſis eloquentiæ profeſſoris diſertiſſimi, quum eoſdem libros publice interpretari inſtituiſſet. Ipſius Scaligeri ſententia " eſt præclarum poema.... Præterea tanto majore laude, quam Horatius, dignus eſt (Vida), quanto artificioſius de arte agit hic, quam ille ". Sequitur Bombycum poema, de quo idem Scaliger, " is liber rex eſt librorum Vidæ ": præterea Scacchia ludus, ac demum Bucolica, & Carmina diverſi generis, quibus finem habent, quæ Vida agnovit, explorataque habuit, ac de ſcrinio ſuo deprompta adhuc vivens congeſſit, ut ipſe monuit in calce editionis Cremonenſis. De quibus Vincentius Gravina laud. loco ait: " Negli altri poemi per la maggior libertà, che gli porgeva la materia, ſparſe egli maggior copia di lumi poetici,

tici, come (per non parlare delle Odi , Inni , ed Egloghe) nel Bombice, negli Scacchi, e in quello, dove l'autore, benchè utiliſſimi precetti raccolga della Poetica , pur è molto più lodevole per la ſua poeſia" . Plura tum illuſtrium poetarum carmina ad Hier. Vidam, & de eodem, Vulpii carminibus illius ſubnectunt, tum doctorum virorum de illo, ejuſque ſcriptis teſtimonia recenſent. Nos aliqua ex his delibavimus, ne aut deeſſe videremur ſtudioſis literarum, aut longius, quam opus eſt, illos fatigaremus.

Cætera, quæ Vida condidit, carmina vel ipſe ſuppreſſit, ut poema, quod inſcripſerat *Juliaden*, vel abdicavit, ut quæ in Collectaneis Achillini, & in Corycianis extant, aliaque plura, quæ neque incudi reddidit, neque lima expolivit. Itaque in editione ſuorum operum, quam ipſe Cremonæ anno 1550. perfecit, adulterinum declaravit, quidquid ullo unquam tempore additum fuerit. Nos tamen ex iiſdem aliqua edere ſtatuimus, quæ rariſſima ſunt, neque ob id in crimen ab ullo vocari patiemur.

Nunc quam rem alii vitio dent, animadvertendum eſt. Vidam nonnulli vituperant in eo ipſo, in quo a cæteris laudatur, quia ſcilicet Virgilianus eſt; atque in eo diſputant, non fas eſſe alienis laboribus uti. Neque tamen defenſione alicujus Vida opus habet, qui primum faſſus eſt, boni ſi qui habet, id totum ſe Virgilio debere, aliiſque poetis excellentioribus lib.3. Poeticorum v.554.

Virgilii ante omnes læti hic ſuper aſtra feremus
Carminibus patriis laudes, decus unde latinum,
Unde mihi vires, animus mihi ducitur unde.

De furtis vero ſuis v.210. elegantiſſima hæc fuderat carmina, quibus obtrectatores edocuit furandum eſſe, ſed ea ratione furandum, quam illi, quia ignorant, reprehendunt.

Atque ideo ex priſcis ſemper quo more loquamur
Diſcendum, quorum depaſcimur aurea dicta,
Præcipuumque avidi rerum populamus honorem.
Aſpice ut exuvias, veterumque inſignia nobis
Aptemus. Rerum accipimus nunc clara reperta
Nunc ſeriem, atque animum verborum, verba quoque ipſa:
Nec pudet interdum alieno nos ore loquutos.

. . . .

ergo

Ergo agite o mecum ſecuri accingite furtis
Una omnes pueri, paſſimque avertite prædam.
Infelix autem (quidam nam ſæpe reperti)
Viribus ipſe ſuis temere qui fiſus, & arti,
Externæ quaſi opis nihil indigus, abnegat audax
Fida ſequi veterum veſtigia, dum ſibi præda
Temperat, heu nimium, atque alienis parcere crevit.

. . . . .

Sæpe mihi placet antiquis alludere dictis,
Atque aliud longe verbis proferre ſub iiſdem.
Nec mea tam ſapiens per ſe ſe prodita quiſquam
Furta redarguerit, quæ mox manifeſta probabunt
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.
Tantum abſit pœnæ metuens infamis, ut ipſe
Furta velim tegere, atque meas celare rapinas.

Rem ipſam aperte locutus eſt. Illum autem talis ingenii virum & recte feciſſe puto, & verum dicere. Sermonis enim, qui ſola perdiſcitur veterum lectione, ut eſt ille Latii, neque indolem, aut ſaporem omnem, neque ſtyli ſonum, neque vim verborum, aut particularum munus, aut rationem collocationis earum ſatis unquam percipies, in quibus lepor omnis, ſuavitas, elegantia, robur conſiſtit: quæ veluti arcana quædam in ipſo vulgari ſermone magis ſentimus, quam exprimere valeamus. Quum igitur nulla ſit veteres æquandi ſpes, id nobis relinquitur, ut imitatione, & æmulatione eandem ſcribendi rationem non diſſimili rerum exprimendarum formæ applicemus, atque in orationis noſtræ ſuccum convertamus: quo fit, ut ad veteres illos ſpiritu quodam locutionis propius accedamus. Sed quo ingenio in hac re, qua divite vena, quibus laboribus opus ſit, nemo non intelligit. De hoc ipſo Vidæ inſtituto agit Tarteſſius in laud. præfatione." Ego, inquit, ita perſuaſum habeo, ſimilitudine quadam ingenii, quæ plerumque ab artifice ſumitur, poetæ omnium excellentiſſimi (Virgilii) mirificam eloquentiæ indolem, cuncta fere præclare dicta, tanquam quædam orationis lumina Vidam non adumbraſſe modo, ſed penicillo etiam imitatum eſſe, atque egregie expreſſiſſe. Et ut, quod ſentio, ſemel eloquar, illum ipſum, quem

æmulabatur , effectum fuiſſe , ut qui Vidam legerit , Virgilium legere , & ſe perinde , ac ſi Virgilium legerit, affici ſentiat ".

De aliis obtrectatoribus , quos Vida nactus eſt , Jo. Antonius Vulpius , cujus verbis libenter utor , hæc habet in laud. Epiſtola ad lectorem. " Plures habuit poeta noſter adverſarios , & vivens , & e rebus humanis ſublatus , qui ſcriptis ejus omni ratione vellicandis , atque carpendis, illum de gloriæ poſſeſſione deturbare conarentur. Hos tamen quaſi allatrantes caniculas , & magno animo ipſe deſpexit, & nominis ſui nimio ſplendore , ut ita loquar , obcecavit. Quapropter non eſt, ut hanc litem noſtram faciamus, & in criminibus refutandis operam fruſtra conſumamus : id enim eſſet firmo, ac pulchre ſtanti parieti columnam apponere ". Nollem autem inter Vidæ adverſarios Card. Bellarminum eſſe recenſendum . Is in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis Catalogum poetarum contexens , qui de rebus Chriſtianis ſcripſerunt , Vidam eorum principem omiſit, quum tamen Sanazzarium eadem ætate florentem, Jo. Picum, Baptiſtam Mantuanum , alioſque enumeraverit . Quod in homine docto, & erudito ſatis mirari non poſſum.

Hæc de carminibus Vidæ attigimus , quorum tanta fuit celebritas, ut ipſo vivente Bononiæ, Papiæ, Cremonæ, aliiſque in Academiis ab adoleſcentibus memoriæ mandarentur . Senenſes accepi vetere id ſervare inſtituto . Vulgata illa compluribus editionibus fuerunt (2) , quas Vulpii recenſent poſtremo loco, adjectis adnotationibus ſcitu dignis . In his apparent verſiones librorum Vidæ , quæ editæ fuerunt, vel quæ adhuc latent, ut eſt illa librorum Chriſtiados , quos extremo ſæculo XVI. Bernardus Camillus Cremonenſis italice reddidit , cujus autographum chartaceum extat Ravennæ in Claſſenſi Monachorum Camaldulenſium Bibliotheca ; & altera Bombycum, & Scacchiorum , quam Camillus de Sitonis ſenior Mediolanenſis lucubravit an. 1590., extatque apud ejus hæredes, ut ſcribit Ariſius. Nuper Jo Franciſcus Maſdeu Barchinonenſis inter Romanos Arcades Sibarus Teſſalicenſis *Scacchiam ludum* vertit, eo uſus carminum genere, quod *ottava rima* appellatur . De hac verſione Venetiis anno 1774. vulgata ſcriptor Ephemeridum Romanarum die 25. Febr. an. 1775. fol. VIII. pag. 62. cenſorium judicium ferens hæc de Vida,

da, neſcio qua de cauſa (non enim erat heic locus) intruſit. "Fra i varj poemi del Vida (il quale era piuttoſto un felice verſeggiatore alla Virgiliana, che un brioſo, e vero poeta) il preſente ſugli Scacchi è forſe il più lavorato &c." O lepidum caput! In eo certe turpiter hallucinatur homo iſte, quod ſibi talem fingit poetam eſſe oportere, ut Lucretius, & ipſe, ſi Diis placet, Horatius loco deturbandi ſint. Nolim igitur cum eo, qui tam longe lateque aberrat, decertare. Sed Patavio nuper accepi, eruditum Ab. Marcheſellium, qui otio fortaſſe abundat, actiones tres in Romanum obtrectatorem edere, quibus propediem Vidæ amatores perfruentur.

"Soluta quoque oratione Vida pollens, ait Miræus, reliquit duos de optimo Reipublicæ ſtatu Dialogos..... ut utro dicendi charactere magis excelluerit, ambiguum ſit". Hier. Faballus in oratione de Vida, quam ſæpe laudavi, multa de illius in ſcribendo præſtantia eloquitur: de his vero libris ait: "In iis eſt verborum & delectus, & apta, & quaſi rotunda conſtructio, tum concinnæ, acutæque ſententiæ, tantum denique argutiarum, & urbanitatis, ut attico ſtylo ſcripti videantur libri illi.... Quum Cicero in ſingulis ætatibus vix ſingulos in dicendo præſtantes oratores, paucoſque alicujus nominis poetas inveniri poſſe autumaret, hic unus Vida hac noſtra ætate inventus eſt, qui & perfectus orator, & bonus poeta dici poſſit". Hos de Republica libros copioſiſſimos, atque graviſſimos Vulpii ediderunt to.2., quod ſemel tantum vulgati typis Cremonenſibus an.1556. fruſtra ab eruditis quærerentur. Illos ſe Tridenti ſcripſiſſe Vida tradit lib.1., dum coacto Concilio ſuſpenſa tenerentur omnia propter illorum cunctationem, qui ſubterfugiebant publicum Patrum congreſſum, & *quorum adventum*, quum eorum incolumitati ſatis cautum eſſet, *ſancta ipſa Synodus magno deſiderio multos menſes expectavit*, a kal. ſcilicet Maii ad kal. Septembris an.1551., quo die habita fuit ſeſſio XII., in qua iterum differre ſeſſionem ad diem 11. Octobris Patres decreverunt. In tam diuturna ceſſatione, quum omnes diſfluerent otio, ad ſe in hortos ſuburbanos veniſſe narrat Aloyſium Priullum, & M. Antonium Flaminium, tum Reginaldum Polum, Jo. Marium Montium, & Marcellum Cervinum præſtantiſſimos S. R. E. Cardinales, inter quos de Republica diſputatum eſt. Ejuſmodi libros qui legit, eadem voluptate, qua Tullium legeret, afficitur.

Cre-

Cremonenſium orationes tres adverſus Papienſes in controverſia Principatus Cremonæ an. MDL. menſe Quintil., & Pariſiis an. 1562. editas, M. Hieronymi Vidæ opus eſſe nemo dubitabit, qui eas diligenter legerit. Multis tamen de cauſis ne, ut ſuas agnoſceret, neve ſua opera ederentur, ille cavit. Quare eruditi fere omnes ab iis Vidæ aſſerendis abſtinuerunt. Sed illius nomine prodierunt Venetiis anno 1764. typis Novellianis, ne eruditi amplius deſiderarent, quod Vulpii in Cominiana editione prætermiſerunt. Nonnulla editor Venetus initio profert monumenta (3) ex quibus Actionum auctor Vida dignoſci poſſit.

Iis, quæ Vida ſoluta oratione ſcripſit, addenda eſt laudatio, quam habuit in funere Franciſci I. Galliarum Regis. Miror a nullo ſcriptore, quem ego legerim, de ea laudatione fieri mentionem. Patavii edita fuit anno 1583. & in indice recenſetur Bibliothecæ Colbertinæ part. 2. pag. 793. (4)

Epiſtolæ, quas Vida ſane multas conſcripſit, adhuc latent. Nonnullas Vulpii ediderunt to. 2. Unam reperiit in mss. M. Antonii Foppæ Bergomatis eruditus, & in rebus, quæ ad literatos ſuperiorum ætatum viros pertinent, inveſtigandis, atque e latebris eruendis oculatiſſimus Petrus Antonius Seraſſius Bergomas, non modo Romæ, ubi honeſtiſſime vitam traducit negotiis Religionis propagandæ in primis addictus, ſed aliis etiam extra Italiam Academiis notiſſimus: quam Vida epiſtolam ſcripſit ad Petrum Bembum, quum eſſet in S. Cardinalium Collegium a Paulo III. cooptatus. Eamdem, quam mihi Seraſſius dono dedit, in lucem emittam, ut illius in optimas artes ſtudio ceteri perfruantur, ac Bembi reſponſionem adiiciam ex lib. Epiſtolarum ejuſdem quinto. Quo loco ſummorum Pontificum Pauli III. Pii IV. & Card. Alexandrini nomine Pii V. literas ad eundem datas afferam ex Archivo Vaticano.

Paraphraſim in omnes Evangelii Scriptores Vidam dediſſe *ad Delphinum Franciæ Regis filium* cl. Ariſius narrat. De hoc opere locutum puto Vidam in monitu ad lectorem abſoluta carminum ſuorum editione an. 1550. " Quæ ſoluta oratione, ait, ad Chriſti rem ſpectantia idem auctor (Vida) conſcripſit, propediem ſe itidem ſuperſtitem, ſoſpitemque in lucem editurum ſperat Deo Opt. Max. approbante, atque juvante, cui uni ſe ſuaque omnia addixit, & con.

ſe-

ſecravit". Verum nullo unquam tempore publicam hoc opus lucem vidiſſe certum eſt. Ariſius alterum a Vida conſcriptum refert librum *de arte Oratoria*, cui Celſus de Roſinis addidit librum *de Magiſtratu*.

Commentarium ſane longulum ſcripſi Hieronyme Abbas præſtantiſſime. Scribi tamen a me multo plura de Vida potuiſſent, quæ locum tumultuarie petentia abjeci, ſtylumque repreſſi, ne moleſtiam legenti parerem. Sentio enim mea in hoc genere facultas quam ſit exigua, nulloque me lepore, ac veluti ſale conſpergere orationem, quæ eruditis placere poſſit. Sed futurum tibi jucundum ſpero monumentum, quod ad te mitto, propter Vidam ipſum, qui non ſolum patriæ noſtræ, & ampliſſimæ Congregationis Lateranenſis, verum etiam ſacri Epiſcoporum Ordinis, reique literatorum publicæ decus eſt, & ornamentum. Quare iis Carmelitis S. Sylveſtri Montis Compatrum maxima habenda eſt gratia, qui Vidæ nomen, quo omnia, dum eo loci carmina fundebat, ac nemora reſonabant ipſa, poſito lapide, memoriæ poſterorum ſempiternæ demandarunt.

Numiſmata eidem monumento adjeci duo, quorum primum æneum Vulpii dono acceperunt ab Ariſio noſtro, eoque in æs inciſo editionem Cominianam ornarunt: utrumque vero extat in Muſæo Mazzuchelliano to.1. Numiſmatum tab.75. num.6. & tab.76. num.1. Eadem in utroque effigies habitu philoſophorum. Primum in averſa parte inſculptum habet Pegaſeum equum, qui calcis ictu rupem percutit cum hac inſcriptione QUOS AMARUNT DII. Alterum Vidam ſedentem, ac ſcribentem exhibet, cui adſtat Muſarum una, inquit Mazzuchellius, fortaſſe Urania lauream geſtans, cujus eſt inſcriptio NON STEMMA SED VIRTUS.

Quæ de M. Hier. Vida ſcripſi omni puto carere ſuſpicione adulationis. Nihil enim ferme eſt in hoc commentario, quod non graviſſimorum virorum teſtimonio comprobatum ſit, ut videatur non meis, ſed aliorum Scriptorum ſententiis contextus. Id vero etiam auget voluptatem, qua rebus iſtis affici ſolemus Hieronyme Abbas cl., quod nempe talem civis noſtri laudationem exteri Scriptores perfecerint, qualem vel diſertus, & patriæ percitus amore, ac ingenio contendens vix perficere civis alter poſſet." Optandum vero eſt (Faballi etiam adhortatione utar), ut quam viam ſtudio, labore, induſtria ipſe confecit, eandem recta ingrediantur adoleſcentes noſtri, & pa-

triæ

triæ exiſtimationem, quam ipſe literarum clariſſimis monumentis auxit, & illuſtravit, tota mente, omnique animi impetu, & diligentia ſuſtentent". Vale.

Dabam Romæ VIII. id. Januar. 1776.

(1) Sunt qui negant, Vidam ad annum uſque XCVI. extremam ſenectutem produxiſſe: ajuntque erratum initio eſſe, ut non anno 1470. ſed longe veriſimilius anno natus ſit circiter 1490. Multa, ut id probent, argumenta proferunt; ſed hæc ſunt fere præcipua. Nam in Collectaneis a Philotheo Achillino Bononienſi editis anno 1504. carmina Vidæ recenſentur Marci Antonii nomine, quo ille appellabatur priuſquam inſtitutum Canonicorum Regularium amplecteretur: quod contigiſſe volunt eodem anno (ætatis ſuæ XIV.), ac tum M. Hieronymum appellatum fuiſſe. Præterea Vida, quæ in Corycianis habentur carmina, ab ipſo deinde abdicata, cecinit admodum juvenis. Porro Pontificatum univerſæ Eccleſiæ tum gerebat Leo X.: quo tempore Vida annorum fuiſſet quinque, & quadraginta, ſi anno 1470. natus eſſet.

Verum quid eſt, ſi non hæc opinandi licentia eſt? Ad quam refellendam duo ſatis erunt, quæ ex ipſo Vida comperta habemus.

I. Carmina ipſius ſupra recitavimus, quibus narrat, ſe ad claras urbes a parentibus miſſum fuiſſe, ut literis erudiretur. Quas urbes fuiſſe novimus Mantuam, Patavium, Bononiam. Porro ſi ad ſingulas profectus literis operam dedit, ecquis eundem apud Canonicos puerum ſeſe recepiſſe exiſtimabit? Carmina Vidæ utique extant in laudatis Collectaneis. Sed tempus, quo hæc edita fuerunt, certum quidem eſt: quo vero a Vida condita carmina, non item.

II. Ex epiſtola, quam Vida præmiſit carminibus in funere Oliverii Cardinalis Caraſæ anno 1511. menſe Januario, conſtat, illum inter Canonicos Lateranenſes Romæ ante eundem annum cooptatum fuiſſe; & ante initiatum ſacris, quam de illa cooptatione ageretur. Præterea Vida diu Mantuæ egit in domo Canonicorum Regularium, *apud quos ſanctiſſime educatus eſt*. Jam vero anno eodem 1511. hæroicum, quod ſuppreſſit, Juliadis poema ſub lima habebat, & anno 1513. Chriſtiadem meditabatur juſſu Leonis X., qui legerat Scacchiorum, & Bombycum, *verſus*, *quos OLIM adoleſcens* (modeſte loquendi modus) Vida *conſcripſerat*, ut ſupra retulimus ex ipſius libro I. de Republica. His ſane cogitur quiſque, ut ſtatuat, Vidam natum longe ante annum 1490., ſi tempora velit ſejungere ab eo ante percurſa, quam Romam veniret, ubi Cardinalem Oliverium Carafam veluti patrem, ac dominum diu incolumem ſuſpexit, ut conjici ex laudata Epiſtola faciliſime poteſt.

Fatemur tamen ejus natalem diem exploratum non eſſe, & commode omnem ejus vitæ rationem exponi poſſe, ſi natum anno circiter 1475. Vidam demus. Sed quum nullum prolatum monumentum hucuſque ſit, quo omnis tollatur dubitatio, malumus, quæ de hac re a Scriptoribus tradita ſunt, probare, quam nulla compulſi ratione, rem ipſam incertiſſimam facere.

(2) Cl. Cajetanus Vulpius in fine to. II. laudatæ Cominianæ editionis deſcripſit Catalogum chronologicum editionum operum poeticorum Marci Hieronymi Vidæ variis obſervationibus illuſtratum. Apparet in hoc Catalogo quanta fuerit eruditiſſimi viri diligentia in eiſdem perquirendis, atque in adnotandis, quæ ad rem pertinebant, quin ſatietatem, tediumque lectoribus pariat. Sæpe hanc editionem commendavimus, quæ nitore, elegantia, eruditione, delectu, omnibus denique numeris abſolutiſſima eſt.

Eundem catalogum chronologicum huc conferre, atque id commodi capere ex alieno labore nobis plane licuiſſet. Prohibuit tamen ordo, quem primo in recenſendis operibus Platinæ, eorumque editionibus ſecuti ſumus. Ut enim eundem ſervemus, lectores merito poſtulare poſſe a nobis videntur. Porro ea ratione catalogum ſimul operum Vidæ contexemus. Via etiam utemur breviore, & verſiones poematum Vidæ (aliquibus additis) loco eodem indicabimus. Præterea carmina recenſenda nobis ſunt a Vulpiis omiſſa, quamvis nonnulla ediderint eorum, quæ Vida in editione Cremonenſi

non

non agnovit. Illa autem vel videre non potuerunt, veluti Ecloga Aphatarques, quam ſola habet editio Pariſienſis anni 1581.; vel non noverunt, veluti Epicedion in funere Oliverii Cardinalis Caraſæ, vel Vidæ non eſſe ſuſpicati ſunt, veluti Carmen paſtorale, in quo deploratur mors Julii II. quod in Lugdunenſi Seb. Gryphii editione anni 1555. primum prodiit. Demum Catalogum augere opus eſt editionibus, cum carminum quæ Vulpios fugerunt, tum operum quæ Vida ſoluta oratione ſcripſit.

CARMINA VIDÆ SEPARATIM EDITA.

I. De arte poetica lib.III. Cremonæ anno 1520. publica expenſa ex decreto generalis Conſilii Cremonen.: & Oxonii an.1701., ut habet bibliotheca Meadiana num.2403.

Hos poeticorum Vidæ libros italice reddidit Nicolaus Mutonus hoc titulo: *Poetica del diviniſſimo Marco Hieronymo Vida d' heroici latini in verſi toſchi ſciolti traſportata da M. Nicolò Mutoni*. Cajetanus Vulpius putat typis Jo. Gryphii hanc lucubrationem iratis Muſis, & Apolline lævo prodiiſſe, quæ nec locum, nec tempus impreſſionis refert.

II. Schacchia ludus. Romæ anno 1544. cum itala verſione laud. Mutoni: & Florentiæ an.1604. appoſita verſione Coſimi Grazzini *in ottava rima* typis Coſimi Juntæ, ſumptibus Dominici Baldinocii.

Extat etiam in Iſagoge Lucæ Wielli de Scacchiæ ludo Argentorati apud Paulum Lederoy an.1605.: & in Amphiteatro Dornavii Hannoviæ an.1619. typis Wechellianis to.I.: & lib.30. to.III. Encyclopediæ Alſtedii Lugduni an.1649.: & to.XI. carminum illuſtrium Poetarum italorum Florentiæ 1726. & in aliis collectionibus.

Aliæ, præter laudatas, italicæ ejuſdem poematis verſiones prodierunt his titulis: *Battaglia de' Scacchi di Monſignor Vida ridotta in ottava rima da Girolamo Zanucchi da Conigliano*. In Trevigi preſſo Angelo Mazzolini 1589. *La Schaccheide di Girolamo Vida tradotta in ottava rima dall' Accademico Innominato Imperfetto*. In Faenza 1616. Hujus elegantioris verſionis auctor habetur Sebaſtianus Martini I. C. Faventinus.

Præterea Schacchiadem italice vertit ſolutis verſibus Thomas Perrone Neapoli typis Januarii Mutii anno 1733. Demum Jo. Franciſcus Maſdeu, cujus mentionem fecimus in epiſtola, librum eundem *in ottava rima* edidit Venetiis an.1774.

Scacchia ludus gallice etiam redditus fuit primum ab Aloyſio Maſurio, editusque Lugduni an.1557.: tum a Vaſquino Philieul Carpentoractenſi. Pariſiis an.1559.

III. Chriſtiados lib.VI. Hoc poema Vida ipſe edidit Cremonæ an.1535. *in ædibus Divæ Margaritæ Ludovico Britannico impreſſore*, cujus editionis finem fecit his verbis.

SI QUID HIC FACTUM DICTUMVE
CONTRA SANCTORUM PATRUM SCITA
INFECTUM INDICTUMVE ESTO.

QUISQUIS ES
AUTOR TE ADMONITUM VULT SE NON LAUDIS ERGO OPUS ADEO PERICULOSUM CUPIDE AGGRESSUM VERUM EI HONESTIS PROPOSITIS PRÆMIIS A DUOBUS SUMMIS PONTT. DEMANDATUM SCITO LEONE X. PRIUS MOX CLEMENTE VII. AMBOB. EX ETRUSCORUM MEDICUM CLARISS. FAMILIA CUJUS LIBERALITATI ATQUE INDUSTRIÆ HÆC ÆTAS LITERAS AC BONAS ARTIS QUÆ PLANE EXTINCTÆ ERANT EXCITATAS ATQUE REVIVISCENTES DEBET.
ID VOLEBAM NESCIUS NE ESSES.

Idem opus prodiit Lugduni anno ſequente; Venetiis an.1537. per Melchiorem Seſſam; & Antuerpiæ an.1549. & 1553. Præterea recuſum fuit Baſileæ a Jo. Oporino inter pios, graves, & elegantes poetas, quæ editio extat in Miſcellan. in 8. Bibliothecæ Caſanatenſis num.133. perfecta fortaſſe anno 1550., quod hoc anno alterum in eadem charta, eodemque charactere adjunctum opuſculum ab Oporino editum ibidem legatur. Tandem ſola Chriſtias prodiit typis Ticinenſibus Hieronymi Bartoli cum ampliſſimis Commentariis Bartholomæi Bottæ: & Oxonii e Typographeo Clarendoniano an.1725. opera Eduardi Owen.

Alexander Lamo italice Chriſtiadem vertit ſolutis verſibus hendecaſyllabis, editque Cremonæ anno 1584. typis Chriſtophori Draconii. Solutis quoque verſibus expreſſa prodiit Neapoli hoc titulo. *La Criſtiade tradotta in verſi ſciolti da Tommaſo Perrone Sacerdote ſecolare da Lecce con argomento ad ogni libro, e annotazioni: aggiunta la traduzione di due altri poemi del medeſimo de Bacchi, e del giuoco degli Scacchi*. Napoli 1733. per Gennaro Muzio.

IV. Bombycum lib. II. Seorſum ab aliis Vidæ operibus leguntur in Amphitheatro Dornavii to. I. Hannoviæ 1619. Eorumdem italam verſionem a Perronio editam mox retulimus.

V. Eclogæ III. inter XXXVIII. Buccolicorum auctores editos a Jo. Oporino Baſileæ an. 1546.

VI. *Epicedion in funere Rmi Dñi D. Oliverii Caraphæ Cardinalis Epiſcopi Hoſtien. Romæ an.* 1511.

VII. *Carmen paſtorale, in quo deploratur mors Julii II. P. M.* Abſque nota loci, & temporis, ſed Romæ ſine dubio impreſſum an. 1513.

VIII. Carmina de peſſimo Juda. Edita Francofurti una cum Martino Kempis de Oſculis an. 1680.

IX. Hymni. Extant nonnulli to. IX. carm. illuſtrium poetarum Italor. Florentiæ an. 1726.

Hymnos ſuos omnes, & carmina diverſi generis edidit primum Vida ipſe Cremonæ an. 1550. Quum autem in hymnis præcipua Theologiæ dogmata expoſuiſſet, lectores cenſuit admonendos, ne facile illum de rebus divinis canentem ante reprehendant, quam probe cognoſcant, quid res ſit. His vero uſus eſt elegantiſſimis verſibus.

Omnes rogatos Vida vult quammaxime
Qui legerint verſus ſuos: ſi offenderint
Quippiam, quod alienum a ſacris myſteriis
Videatur, ante ne improbent, quam intelligant.
Nam recta ſentit cum optimis, & aſſerit,
Quæ firma Patrum comprobat conſenſio:
Omniaque, quæ ſcripſit, bona ſcripſit fide.
Nec faſtidioſum ferre genus hominum poteſt,
Qui, ut eſſe videantur aliquid, vetera elevant,
Novaſque ſemper efferunt ineptias,
De induſtria recta deerrantes via.
Si quid per imprudentiam dixit tamen,
Quod parte ab ulla claudicare cenſeant.
Vult eſſe non dictum, abolitumque funditus.
Et ipſe jam nunc abrogat dicto fidem.

POETICA VIDÆ OPERA SIMUL EDITA.

M. Hieronymi Vidæ Cremonenſis de Arte poetica lib. III. *de Bombice lib.* II. *de ludo Scacchiorum lib.* I. *Hymni* (IIII), *& Bucolica. Romæ apud Ludovicum Vicentinum anno a Chriſti natali* 1527. *menſe Majo.* Hujus nitidiſſimæ editionis exemplum in pergamena ſervari Venetiis in bibliotheca Smithiana ſcribunt Vulpii. Eadem opera, eodemque anno Pariſiis typis Roberti Stephani edita fuerunt; & Baſileæ an 1534.

Auctior a Sebaſtiano Gryphio Lugduni perfecta editio anno 1537., additis nempe Chriſtiados lib. VI. Hymnis, Epiſtola ad Jo. Matthæum Gibertum, aliiſque carminibus. Recuſa hæc fuit eodem anno Baſileæ a Roberto Winter; deinde Venetiis an. 1538. per Melchiorem Seſſam: Lugduni iterum typis laudati Gryphii an. 1541. iterumque an. 1547., ut vidi in Catalogo bibliothecæ Bigotianæ num. 5400., & an. 1548., ut habet bibliotheca Smithiana pag. 496.: & demum Venetiis per Petrum Boſellum an. 1550.

Quum vero tot circumferrentur ſuorum operum editiones, Vida ipſe, ut eadem, & quorum auctor haberi voluit, in manus hominum pervenirent emendatiſſima, Cremonenſem aggreſſus eſt, perfecitque an. 1550. Titulus vero hic ipſe eſt.

MARCI HIERONYMI VIDÆ
CREMONENSIS
ALBÆ EPISCOPI
POEMATA OMNIA TUM QUÆ AD
CHRISTI VERITATEM PERTINENT
QUAM EA QUÆ HAUD PLANE
DISJUNXIT A FABULA
UTRAQUE SEORSUM AB ALTERIS

PRIMO LOCO CONTINENTUR
HYMNI DE REBUS DIVINIS
NUNC PRIMUM EDITI
CHRISTIADOS LIB. VI.

SECUNDO AUTEM VOLUMINE
DE ARTE POETICA LIB. III.
DE BOMBYCE LIB. II.
SCACCHIA LIB. I.
BUCOLICA ECLOGÆ III.
CARMINA DIVERSI GENERIS
PLERAQUE NON ANTEHAC EDITA

CUM INTERDICTIS
JULII III. PONT. MAX.
CAROLI V. ROMANOR. IMP.
SENATUS VENETI
AD BIENNIUM

CREMONÆ
IN ÆDIBUS DIVÆ MARGARITÆ
ANNO A PARTU VIRGINIS
M. D. L.
MENSE NOVEMBRI
JO. MUTIUS ET BERNARDINUS
LOCHETA IMPR.

Ele-

Elegantiſſimæ vero ad finem perductæ editioni hæc verba appoſuit.

Quæ Vida agnovit, explorataque habuit, ſua huc omnia ipſe de ſcrinio ſuo depromta adhuc vivens congeſſit. Si quid forte præterea ullo unquam tempore adjectum fuerit, adulterinum cenſeto, ab aliquo aut maligno, aut in re aliena nimis officioſo, ac diligente adinventum: quod de poeticis tantum dictum volo. Nam quæ ſoluta oratione ad Chriſti rem ſpectantia idem auctor conſcripſit, propediem ſe itidem ſuperſtitem, ſoſpitemque in lucem editurum ſperat, Deo optimo maximo approbante, atque juvante; cui uni ſe, ſuaque omnia addixit, ac conſecravit.

Hanc editionem deinceps ſecuti ſunt, qui Vidæ opera recuderunt. Præſto fuere Lugduni Sebaſtianus, & Antonius Gryphii. Ille enim anno 1554.; hic vero 1556. eandem perfecerunt, quæ deinde prodiit Antuerpiæ per Philippum Nutium an.1566., & iterum an.1567. ex officina Criſtophori Plantini. Omnia item Vidæ carmina recuſa Venetiis an.1577. typis Chriſtophori Zanetti: iterum Antuerpiæ typis ejuſdem Plantini architypographi regii an. 1578.; ac Lugduni ejuſdem Antonii Gryphii typis an. 1581., eodemque anno Pariſiis apud Maturinum Prevoſt curis Claudii Verterii, & Cremonæ *in civitatis palatio apud Chriſtophorum Draconium, & Thomam Vachellum ſocios*. Vincentius deinde Sabbius illa excudit Brixiæ anno 1586., & Antonius Gryphius Lugduni anno eodem, ut refertur in bibliotheca Menarſiana pag.522.

Quum autem tot editionibus vulgata ubique eſſent poetica Vidæ opera, nemo ad illa recudenda manum, quod quidem ſciam, admovit uſque ad annum 1702., quo novam eorumdem editionem adornavit Oxonii Thomas Triſtram IV. volum. in 8. ut accepimus ex bibliotheca Meadiana num. 2404. Alteram vero editionem aggreſſus eſt idem Triſtram præmiſſa epitome vitæ auctoris, adjectiſque adnotationibus, & in poeticam argumento: cujus editionis primam partem vulgavit *e typographeo Clarendoniano* MDCCXXII. *typis academicis*, alteram anno, qui ſecutus eſt.

Demum cl. Vulpii præſtantiorem cæteris editionem, quam ſæpe laudavimus, duobus voluminibus in 4. perfecerunt Patavii typis Cominianis an.1732.

MARCI HIER. VIDÆ OPERA SOLUTA ORATIOME EDITA.

X. *Cremonenſium orationes tres adverſus Papienſes in controverſia principatus. Cremonæ* MDL. *menſe Quintil.* Pariſiis anno 1562. Venetiis typis Novellianis an.1764.

XI. M. HIER. VIDÆ
De dignitate reipubl. ſeu civilis ſocietatis

Cremonæ in civitatis palatio
apud Vincentium Contem MDLVI.

Cautum eſt interdicto regio, ne quis intra quinquennium hoſce dialogos, Contis injuſſu, in terris ditionis Mediolanenſis impune denuo imprimat, neu alibi impreſſos vendat, neu venales habeat.

XII. Epiſtolæ. Harum nonnullæ habentur in laud. Cominiana editione, & inter epiſtolas Principum ad Principes.

XIII. *Conſtitutiones Synodales civitati Albæ, & diœceſi præſcriptæ.* Cremonæ 1562.

(3) Monumenta eadem heic omnino ſunt exſcribenda, quibus latius vulgatis, omnis tandem de hac re tollatur dubitatio.

I. DEPUTATIO CIVITATIS CREMONÆ. Ex libro Proviſionum anni 1549. fol.65. qui in archivo Cremonenſi aſſervatur.

In Congregatione diei Martis 21. Maii 1549. habita per nobiles DD. Deputatos regimini civitatis Cremonæ, inter alia, ſic fuit ordinatum.

Demum expoſuit Dominus Bartholomæus Oxius, qualiter in lite, ſeu controverſia occaſione præcedentiæ vertente inter Cremonenſes, & Papienſes; per quamplures literatos hujus civitatis factæ fuerunt diverſæ ſcripturæ, & allegata jura in honorem, & gloriam hujus civitatis contra dictos Papienſes, quæ collectæ fuerunt, ut tranſmittantur ad Reverendiſſ. Epiſcopum Albenſem, cum quo de hoc factum fuit verbum nomine iſtius Magnif. Communitatis, ut ea reducat in orationem elegantem in defenſionem patriæ. Qui obtulit libentiſſime laborare pro patria, in nulloque deficere juxta vires ingenii ſui: quæ oratio poſtquam facta fuerit, impreſſioni danda, ut cunctis innoteſcat; & ſuper hoc dandas eſſe literas præfato Reverendiſſ. Epiſcopo cum ipſis ſcripturis.

D 2 Ideo

Ideo præfati magnifici DD. Deputati ordinaverunt, & ordinant, dictas omnes ſcripturas transſmittendas eſſe præfato Rmo Ep. Albenſi cum literis Magnificæ Communitatis, ejus Reverendiſſ. dominationem rogando, ut dignetur, & velit facere, & componere, ſeu illas reducere in aliquam orationem elegantem, addendo, & diminuendo, mutando, & corrigendo, prout ſibi melius videbitur, & placuerit pro gloria, & honore hujus civitatis: & poſtquam illam orationem compoſuerit, ordinaverunt, ut ſupra, quod imprimi debeat ad æternam rei memoriam, & ut omnibus clarius jura, honos, & gloria Civium Cremonenſium elucefcant, & cognoſcantur: partito poſito, & obtento per omnes &c.

II. EPISTOLA CIVITATIS CREMONÆ *ad Epiſcopum Albenſem Marcum Hieron. Vidam.*

REVERENDISSIMO MONSIGNORE.

Per la controverſia tra la città noſtra, e Pavia della precedentia, ſapendo quanto la S. V. Rma ha a petto l' onore della comune patria, mandiamo con queſta noſtra, per meſſo a poſta, diverſe ſcritture, e primamente le ragioni dedotte in nome noſtro nanti l' Eccellentiſs. Senato di Milano, poi le ragioni de' Paveſi, finalmente diverſe coſe raccolte per alcuni in favor noſtro: onde preghiamo V. S. Rma, che ſi voglia degnare di veder il tutto, e ridurlo, come gli parerà, in una elegante orazione in defenſione dell' onore della patria, la quale poi intendiamo far imprimere, ed eſibirne copia a ciaſcun di quel Senato, il quale pare, che voglia decidere queſta cauſa quanto più preſto: ne vorreſſimo mancare dal canto noſtro all' onor pubblico; e la maggior confidanza abbiamo in V. R. Signoria, che in ciò eſponerà tutte le forze, ed ingegno ſuo, ed oltre gli altri obblighi, la patria principalmente avrà queſto a V. R. S. alla quale baciamo con debita riverenza la mano.

Da Cremona alli 30. Maggio 1549.

Obbligatiſſimi Servitori
li Preſidenti
al governo di Cremona.

III. EPISTOLA MARCI HIERONYMI VIDÆ *ad Præſides civitatis Cremonæ.* Ex eod. Archivo Cremonen.

MAGNIFICI SIGNORI MIEI OSSERVANDISSIMI.

Io in queſta occorrenza vorrei eſſere il più elegante, che mai foſſe, sì per difendere la dignità della patria noſtra, la cui memoria ſempre in l' animo mio è viva, come anche per ſoddisfare alle SS. VV., alle quali per lor gentilezza è piacciuto deferire tanto alla perſona mia; e per Meſſo particolare mandato a poſta, inviarmi tanto onorevole impreſa. Sarei molto ingrato, e ſcorteſe, li quali vizi ſempre ho tenuto lontani da me, non laſſandomeli approſſimare, s' io non adoperaſſi tutto quel poco, e debole ingegno, qual Dio, e la natura mi hanno donato, e a tutta mia forza non iſcacciaſſi tanto opprobrio, ed ignominia dal nome Cremoneſe, quale all' orecchie mie è, e ſempre fu dolciſſimo. Non vorrei promettere alle SS. VV. gran coſe, che forſe poi non poteſſi tenere: ma l' animo mi dà ſperanza, purchè non ſia anguſtato da careſtia di tempo, di dir tali coſe de la città noſtra, che non ſolo ſervirà a queſto temporale biſogno, occorrendo al preſente pericolo, ma con queſt' occaſione ancora l' infinite ottime qualità, e condizioni de la patria noſtra ſaranno conſecrate all' eternità, ſe il mio ſcrivere potrà qualche coſa. Ho ſcritto certe particolarità al magnifico Meſſer Antonio Maria Auguſto circa queſto negozio, riſpondendo a certe di lui, reputandomi ſcrivere a codeſta Magnifica Communità, avendo quel dabbene gentiluomo donato, e conſecrato la vita ſua alla detta Univerſità, ſervendoli e dì, e notte tanto fedel ed amorevolmente, e con tanta ſufficienza. Da lui le SS. VV. potranno intendere in qualche particolare il parer mio, maſſimamente circa l' avvocazione della cauſa, ſe le ſuſpicioni, che ſi hanno de' Judici, hanno fondamento. Mi raccomando, ed offero quanto poſſo alle SS. VV.

In Alba alli IIII. *di Giugno* MDXLVIIII,
Come Fratello
Hieronimo Vida Veſcovo d'Alba.

Longum eſſet enarrare, quæ de hac Cremonenſium, & Papienſium controverſia jactitavit Juſtus Vicecomes (Jo. Paulus Mazzucchellus Cl. Regul. Congr. Somaſchæ) in quadam diſſertatione *pro Bernardino Corio Medio-*

diolanenſi hiſtorico Bergomi edita anno 1712., cui cecinit an. 1760. Carolus Antonius Tanzius. Si eos audias, tres quoque orationes lucubrarunt Papienſes, eoque perducta res fuit, ut a Senatu Mediolanenſi damnatæ Orationes Vidæ fuerint. Fidem facere dicto contendunt. Id unum certo conſtat, die nempe 7. Auguſti an. 1550. impoſitum fuiſſe ſolemni decreto utrique parti ſilentium. Qui harum rerum notitia delectatur, adeat præſertim librum Julii M. Grandi cler. regul. S. Pauli, cui titulus, *difeſa del P. D. Paolo Onofrio Branda, e di Monſignor Girolamo Vida. Milano* 1760.

(4) Hoc Vidæ opuſculum legere percupiens, moræ impatiens, curavi, ut tranſcriptum e regia bibliotheca exemplum ab amico Romam mitteretur. Ut ad manus meas pervenit, longe aliter rem ſe habere deprehendi ex ipſo titulo, qui eſt hujuſmodi: *Oratione funebre nella morte del Re Criſtianiſſimo di Francia Franceſco I. di Hieronimo Vida Juſtinopolitano* (Capo d' Iſtria). Nihil igitur ad nos pertinere cognovi, quod index ille plane promittere nobis videbatur. Studii tamen noſtri aliquem tulimus fructum. Eleganti enim, & erudita oratione potiti ſumus, cujus exemplaria rariſſima ſunt. Præterea hanc rem, propter ſimilitudinem nominis, diligentius inveſtigando, comperimus, Vidam illum Juſtinopolitanum noſtri pronepotem fuiſſe. Scribit enim Bartholomæus Botta in vita M. Hieronymi Vidæ, quam capitulatim expoſuit, præmiſitque ſuis commentariis in Chriſtiadem, illum *relicta domo, fratreque Georgio Venetum duce ſtrenuo, cariſque parentibus, Auguſtinianam domum Canonicorum Regularium devotum adiviſſe*. Georgium igitur unicum, ut Botta innuit, Marci Hier. Fratrem ad Venetos tranſiiſſe conſtat: ex quo tempore Cremonæ deſiit ejuſdem ſtirps. Juſtinopoli vero Georgium ipſum ſedem fixiſſe, liberoſque Venetis procreaſſe certiſſime novimus. Viget enim ibi uſque ad hanc diem familia Vidæ non minus antiquo genere clara, quam virtutis majorum imitatione. Accepimus etiam extare apud eandem accurate deſcriptum ſtemma, quo ordine enumerantur, qui a Georgii uſque temporibus ex illa ortum Juſtinopoli habuerunt. Hujus ſtemmatis viſendi jamdiu expectatione tenemur; cujus exemplum nobis promiſſum hoc loco edere ſtatuimus, quod munus gratum, acceptumque eruditis fore non dubitamus. Ut enim magnorum virorum imagines non ſine voluptate intuemur, & recordatione virtutis admiramur; ita ſi genus eorundem permaneat, jucundiſſimum nobis eſſe ſolet; in quo præſertim virtus ſucceſſione quadam elucescat. Hieronymus ſane, de quo agimus, ingenium ad literas attulit non vulgare. Patavii ſtudiis bonarum artium operam navabat, quum orationem in funere Franciſci I. ſcripſit, atque ætatis annum tum agebat XX. Afferam ejuſdem epiſtolam, quacum lucubrationem ſuam dedit ad amicum Ottonellum Belli. Alia ſcripſit ætate provectus, ediditque, de quibus vide Niceronium.

AL MOLTO MAGNIFICO SIG. OTTONELLO BELLI
AMICO MIO OSSERVANDISSIMO.

Queſta eſtate paſſata, Sig. Ottonello cariſſimo, quando dopo i noſtri ſtudj andavamo d' intorno la città di Capo d' Iſtria per prendere un poco d' aria, e di ricreazione, mi ricorda, che ſpeſſo in dolci, e non vani ragionamenti ſolevamo ſpeſſo nel mezzo addurre hor la clemenza, la liberalità, ed il gran valore di queſto grandiſſimo Re Franceſco I., hor la grandezza, l' ardire, e la buona fortuna di Carlo V.; ed hor comparando co i noſtri gli antichi eroi, facevamo bella raccolta di ſtratagemmi, e di gravi ſentenze. Hora che Padova ci tiene a più giovevoli ſtudj, ed ai più bei diporti in queſto tempo di Carnevale, e di vacanze, deliberai di non perdere queſto tempo indarno: ma quando altri ſogliono vigilare le notti nei balli, e nelle feſte, io più toſto in qualche bella azione dell' animo eſercitar mi doveſſi. Onde ritornandomi alla mente i noſtri ragionamenti, & la molta inclinatione ch'avea, & ho a queſto magnanimo Sire di Francia, per ſe ſteſſa movendomi, eleſſi di fare un illuſtre panegirico delle ſue lodi. Il qual Re, ſebbene non ho mai veduto, ne conoſciuto, nondimeno dalle ſue regie, & ſingolari virtù compreſo l'animo, ſon sforzato ad amare, & riverirlo così morto. Ho compoſto dunque per dimoſtrare la veneratione mia verſo di queſto Re un oratione funebre in ſua lode, proponendomi, & avviſandomi eſſere nell' illuſtriſſima città di Parigi, nella quale io doveſſi raccontare le generoſe impreſe, & virtù ſue. Et perche delle medeſime virtù vi ho conoſciuto ſingolar imitatore, & oſſervatore, mi è piacciuto dedicar a voi queſti pri-

primi frutti, per far anco chiaro argomento della ſtrettiſſima, & inviolabil amicitia noſtra, la quale da primi conoſcimenti ſino all' età d' ambidue noi, che è ne' venti anni, è ſtata ſempre acceſa, ed avinta di fraterno amore. Accogliete dunque con lieta fronte queſte mie primizie; che io più bel dono non vi poſſo dare, nè voi più bel fregio, per adornare il nome voſtro, potete ricevere. State ſano.

Di Padova a 22. Febbraro 1583.

Voſtro amico e ſervitore
Hieronimo Vida.

Stemma, quod dixi, ſi aliquando accipiemus, poſtremo edemus Voluminis.

M. HIER. VIDA ALBÆ EPISC. P. BEMBO SACERDOTI CARDINALI S. P. D.

AUdieram jamdudum te omnibus civium tuorum ſuffragiis delectum, ut honorifico tuæ Civitatis Senatus conſulto Paulo III. Pont. Max. ornandus traderere: qui quidem honos a tuæ patriæ civibus, noſtris temporibus, aut nullis, aut admodum paucis habitus eſt. Nuperrime vero mihi renuntiatum eſt, te ab optimo Pont. de totius Sacri Collegii ſententia, atque authoritate in numerum Sacerdotum Cardinalium cooptatum fuiſſe; Dii immortales quanta bonorum omnium voluptate, atque lætitia! Oculatos ſane, ac cordatos Cives tuos, qui te virum omnibus rebus ornatum inter ſuos ſummo honore eminere ſummopere optaverunt! Sapientiſſimum vero Pontificem, qui dignitatem tuam eo honore, qui apud nos ſummus habetur, præ omnibus civibus tuis amplificandam cenſuit! Id nimirum tua divina in remp. merita nobis dudum pollicebantur; id magnarum rerum, atque artium ſcientia, qua plurimum aliis præſtas, non merebatur modo, verum etiam per ſe ipſa poſtulare videbatur. Gratulor tibi Bembe pater ampliſſ. te ad hæc gloriæ inſignia evectum, ad quæ non ullis tu quidem artibus irrepſiſti, ſed optimi Pont. pro tuis ampliſſ. meritis gratiam aliquam referre volentis providentia, nihil minus cogitans, evocatus es; cum te plane ab hoc honore, & illuſtri gratia remotus eſſes, teque artium honeſtiſſimarum ſtudiis involutus e turba, & pontificum ſubſeliis in literarum otium penitus conjeciſſes. Age vero jam e philoſophorum umbraculis, ocioque eruditorum eductus, rebus agundis accingere. Tibi enim non modo in caſtra, & pulverem, ſed in aciem, & ipſum diſcrimen progrediendum eſt. Hactenus tibi vixiſti, ut tuo tamen divino ingenio, quo ſumma omnia es conſecutus, plurimis prodeſſes; Nunc tibi reip. vivendum eſt uni. Hactenus literis, & optimis artibus, ac diſciplinis reſtituendis, atque illuſtrandis operam navaſti; nunc tibi Paulo III. ſtudium, & opera danda eſt, ut eum videlicet in adminiſtranda rep. authoritate, & prudentia juves cum iis omnibus, quos ex tanto optimorum hominum delectu Sapientiſſimus Pont. ſibi aſcivit conſiliarios, & adminiſtros. Qua quidem re nihil unquam medius fidius neque noſtris, neque majorum noſtrorum temporibus viſum eſt illuſtrius, aut antiquius. Hinc profecto omnium animi mirum in modum erigun-

tur

tur in certam ſpem, ut aliquam tandem rempublicam habere poſſimus, quod herclè facile nos conſecuturos ſpero, cum ſciam nobis rem eſſe cum his viris, qui in optimis diſciplinis ab ineunte ætate ſemper verſati, ſanctiſſimis ſe moribus effinxere. Quamobrem ego equidem agendas gratias cenſeo Deo primum immortali, qui optimi Pontificis menti clariſſimum lumen prætulit, ut tam egregie reipublicæ conſulere poſſet: deinde ipſi Pontifici, quod in tantis tot annorum tenebris, ipſe primum lucem intueri potuerit, atque voluerit, præfeceritque reipublicæ eos viros, quorum conſilio, & prudentia nos minores quieti, ac plane ſecuri eſſe poſſemus. Uale, & Vidam tui obſervantiſſimum dilige. Albæ Kalend. Julii MDXXXIX.

Petrus Bembus Cardinalis
M. Hieronymo Vidæ Albæ Epiſcopo
S. P. D.

Amabiliſſimas tuas accepi literas Kalendis Julii datas, quibus mihi de mea dignitate gratularis. Quas quidem literas non libenter modo legi, ſed etiam cupidiſſime, avidiſſimeque perlegi, ipſo titulo pellectus; quod mihi a VIDA, hoc eſt ab homine omnium noſtri ſæculi clariſſimo, mittebantur. Gaudeo, recentem PAULLI P. M. cooptationem, qua me in Cardinalium Collegium aſcivit, tibi gratam, & jucundam accidiſſe. Nihil enim malo, quam a te, tuique ſimilibus, ſi qui ſunt, diligi. Sed omnino ſive ſunt, ſive non ſunt, a te certe omnium maxime & amari, & probari cupio. Quod autem eam dignitatem meæ vel doctrinæ, vel virtuti fuiſſe traditam exiſtimas, eaſque ornas miris laudibus, non dubito, quin plus in eo duci te a benevolentia, quam a judicio permiſeris. Verumtamen, utcumque ſe res habet, debeo tibi, ſi minus de altero, de amore quidem certe erga me tuo ſane plurimum. In eo profecto non falleris, quod me meo otio, meoque vitæ genere contentum, nihil de his honorum ſplendoribus putas cogitaviſſe, neque eos appetiiſſe. Nam, ut vere tecum loquar, ſæpius fit, ut peccaſſe me exiſtimem, qui priſtinam vivendi rationem projecerim, quam gaudeam propterea quod maxima, clariſſimaque dignitate auctum me, atque honeſtatum ſentiam. Quod vero me hortaris, ut a ſtudiis noſtris mitioribus ad Chriſtianam rem tractandam, & juvandam me convertam, velim ſic exiſtimes, me id unum dies noctesque meditari. Quid enim aliud agam his inſignibus, & nominibus ſuſceptis? Sed neque dum Romæ ſum, ut poſſim boni aliquid in medium afferre, & quanta nobis mala impendeant, vides. Ut verendum ſit, ne qui reipublicæ præſunt, ſedare univerſi tempeſtatem tantam non poſſint, nedum mea unius induſtria hoc tempore ſit magnopere profutura. Sed profecto reipublicæ fluctuanti non deero; & ei operam, quam potero, navabo. Reliquum eſt, ut me, ut facis, diligas. Quod ſi etiam literas ad me, quum otioſus eris, dederis, ut quid agas, quibus in ſtudiis te oblectes, quid omnino ſcribas, ſcire poſſim, erit mihi gratum. Vale. Nonis Auguſti MDXXXIX. *Patavio.*

Jacobo Sadoleto eadem de cauſa Vida gratulatus eſt. Hæc e latebris Epiſtola aliquando educetur. Extat Sadoleti reſponſio Epiſt. lib. 10., cujus priora verba hæc ſunt.

Jacobus Sadoletus Card. & Epiſc.
Carpentoracti
Hieronymo Vidæ Albæ Epiſcopo
S. P. D.

Gratiſſimæ mihi fuerunt literæ tuæ, quæ & veteris noſtræ amicitiæ memoriam mihi renovarunt, & declararunt in te non parum adhuc amoris erga me ipſum reſidere: quo mihi nihil optatius, neque jucundius accidere potuit. Nam quum te ſemper ingenii, & virtutis tuæ cauſſa plurimum dilexi, tum vero optavi viciſſim diligi a te; id recte exiſtimans, conjunctionem tecum meam mihi magno honori ſemper fore, quod tuum de quoque homine judicium in utramque partem magnam vim haberet: neque ſolum in præſentia honorificum exſiſteret, ſed illuceſceret in omnem etiam poſteritatem &c.

LI-

LITERÆ SUMMORUM PONTIFICUM

AD M. HIER. VIDAM ALBÆ EPISC.

Ex Archivo Vaticano

Venerabli Fratri Hier. Vidæ Ep. Alben.

PAULUS PP. III.

VEn. Fr. ſal. Licet generaliter te cum cæteris Prælatis monuerimus, ut ad univerſale Concilium Tridenti indictum te conferres; tamen id ipſum ſpecialiter ob probitatem, & doctrinam tuam tecum agendum exiſtimantes, hortamur, tibique præcipimus, ut ad dictum Concilium quamprimum te conferas. Datum Placentiæ 14. *Apr.* 1543. *an.*9.

Blos.

Eidem PIUS PP. IV.

VEn. Fr. ſal. & ap. ben. Epiſtolam tuam non eam ob cauſam ſolum libenter legimus, quod lætitiam tuam ex hoc humilitati noſtræ a Deo habito honore declarans, tuum erga nos ſtudium, amoremque ſignificat, verum etiam quod ita nos laudat, ut ea ratione nos potius admoneri intelligamus, quemadmodum nos in hoc ſummo ſacerdotio fungendo gerere debeamus, quo expectationi hominum ſatisfacere poſſimus, quo nullum poteſt eſſe veræ, & ſinceræ benevolentiæ majus indicium, nec quod nobis ſit gratius. Tantum enim onus ſuſtinentibus nobis, multo utilius eſt, quemadmodum id ferre poſſimus, admoneri, quam laudibus immodicis onerari. Itaque hoc tibi nomine in primis gratias agimus. Dei autem auxilio freti ita hoc munus ſuſtinere conabimur, ut recta, quam Deus ipſe nobis donavit, voluntas, ſtudiumque Eccleſiæ ipſius in commodiorem ſtatum redigendæ ab omnibus perſpici, & cognoſci poſſit. Quod ut præſtare poſſimus apud ſummum illum æternumque Paſtorem religioſis omnium precibus cupimus adjuvari. Pio autem deſiderio tuo pro charitate fraterna, & pro noſtra erga te propenſa voluntate, libenter annuentes, tibi, ſicut ſupplicaſti, plenam omnium peccatorum tuorum veniam, omnipotentis Dei miſericordia confiſi, & Beatorum ejus Apoſtolorum Petri, & Pauli auctoritate tribuimus, atque largimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 30. *Martii* 1560. *Pont. noſtri anno primo.*

Eidem Cardinalis Alexandrinus nomine Sanctiſſimi PII PP. V.

Literæ tuæ obſervantia, benevolentia, officio denique redundantes SSm̃o D.N. gratiſſimæ fuerunt, qui tametſi voluntate eſt egregia, idque unum ſibi propoſitum habet, ut Eccleſiam Dei valde jactatam, & majoribus, quam dici poteſt, incommodis adfectam, aliquando tamen pacatam, & florentem præſtet; ea tamen eſt malorum magnitudo, & miſerrimorum temporum ratio, ea ſuarum, ut ipſe quidem judicat, virium imbecillitas; ut impoſitam ſibi a Chriſtianis omnibus expectationem ſuſtinere ut poſſit, ſane plurimum vereatur. Itaque quod unum reliquum eſt, ad Dei ipſius opes, cujus voluntate, & conſilio ſumma ſibi dignitas contigit, eſſe confugiendum ſtatuit. Quæ vero duæ res maxime neceſſariæ ſunt, tantum ſibi pondus ſuſtinenti, eas a te, tuique ſimilibus in primis expetit, ut ſupplices adſiduis precibus opem ſibi divinitus imploretis: epiſcopali vero munere pie, ac diligenter obeundo, quod tu ſumma cum tua laude facis, ſe magnopere ſublevetis. Quæ autem proprie ſperas, atque optas Chriſtianæ Reip. evenire, eadem a Deo precibus, ac votis omnibus precari te SSm̃us D. N. exoptat. Quod unum enim ſibi poſſe tantum videtur, voluntatem ad tantum munus attulit; omnipotentis autem Dei facultas tota eſt perficiendi. Tu vero ob maximas virtutes tuas, præſtantemque doctrinam, SSm̃o D. N. ſemper cariſſimus es futurus, quæque ad augendum te, atque ornandum pertinebunt, omnia ab eodem ſperes licet. Dat. Romæ die 16. Febr. 1566.

MARCI HIERONYMI VIDÆ
CARMINA

QUÆ AD UBERIOREM EJUS OPERUM EDITIONEM DESIDERANTUR.

Vidæ amatores complures jamdiu optare novimus, ut collecta undique carmina, quæ ille aut juvenis, aut lima non uſus condidit, in lucem proferrentur. Negligi enim, & oblivioni tradi ægre ferunt, quæ auctor ſcripſit, quoquomodo ſcripſerit, cujus fama merito magna eſt, judicioque Popæ, quod ſupra retulimus, tam clara, ut Leonis X. Pont. Max. ætas uno Raphaele Sanctio pictore, unoque poeta M. Hieronymo Vida celebrari jure poſſit. Data de illo ſcribendi occaſione, nos morem illis gerere curavimus. Quod vero ea, quæ dixi, non ſint cum cæteris ejuſdem carminibus comparanda, neminem movere debet, qui animum adverterit, ut rem ipſam cognoſcat. Ut enim non in minimo pretio habentur, quæ excellentes pictores vel leviter, primiſque lineis adumbrarunt; atque in iis conquirendis, comparandiſque dare operam videmus, qui arte, rationeque picturæ delectantur: ita præſtantiſſimorum virorum, qui præſertim poeſi ſimillima picturæ maxime claruerunt, ſcripta æſtimanda ſunt, vel ipſa, quibus illi extremam manum non impoſuerunt. In quibus certe excellens quædam artis ratio eſt, idemque ſemper auctoris ingenium comparet.

Neque nos deterret, quod hoc indignum fore factum Vida declaraverit in editione ſuorum operum, quam ipſe Cremonæ perfecit anno 1550. *Si quid*, inquit, *ullo unquam tempore adjectum fuerit, adulterinum cenſeto, ab aliquo aut maligno, aut in re aliena nimis officioſo, ac diligente adinventum*. Quæ enim ipſe ſuo nomine edidit, prohibere ab iiſdem perpetuo circumferendis neminem ſane potuit. Præterea in ſerie aliorum carminum illa enumerari, nec nos patiemur. Demum a Vida licet abdicata, edenda tamen ſunt, ut quanti facienda ſint, quæ ipſe abdicavit, cognitum eſſe cuique, atque exploratum poſſit. Itaque recte monent cll. Vulpii, qui nonnulla ejuſdem carmina ad calcem editionis Cominianæ edere inſtituentes, inquiunt: *neque propterea nos aut malignos, aut in re aliena nimis officioſos, ac diligentes appellatos iri exiſtimamus*.

Jam

Jam carmina ipſa quæ ſint , atque unde ea acceperimus , dicendum eſt . Epicedion, quod menſe Januario an. 1511. in funere Oliverii Cardinalis Carafæ biduo Vida effudit , typis editum reperimus in Miſcellaneis bibliothecæ Barberinæ . In his quoque extat Carmen paſtorale a Vida perfectum , vulgatumque , in quo deploratur mors Julii II. Pont. Max. (*) . Eclogam *Aphatarques* adjecit carminibus Vidæ Maturinus Prevoſt in editione Pariſienſi ann. 1581. Cujus editionis nullum exemplum reperire potuimus . Eclogam vero ipſam Pariſiis deſcribi curavimus , quam propediem nos accepturos confidimus .

Lilius Gregorius Giraldus , Augurellius , Freherius , Borrichius , aliique de præſtantiſſimo poemate mentionem faciunt , cui titulus XIII. ITALORUM PUGILUM CUM TOTIDEM GALLIS CERTAMEN , quod a Vida, ſuppreſſo nomine , ad Balthaſſarem Caſtillionium miſſum ferunt . An typis vulgatum unquam fuerit hoc Vidæ poema , neque negare ratione poſſumus , neque affirmare . Id nobis curæ fuit , ut , quotquot Romæ extant , ampliſſimas bibliothecas diligentiſſime luſtraremus , illius reperiendi gratia : ſed defeſſi ambulando ſumus , operamque perdidimus .

(*) Ex epiſtola , quacum Epicedion miſit ad Cardinalem Vincentium Carafam , conſtat , tum Vidam heroicum opus ſub lima habuiſſe , quod ex verſu ipſius Epicedion quinto , & ex altera epiſtola Carmini paſtorali præmiſſa comperimus eſſe *Juliaden* . Quodnam vero fatum habuerit hoc poema , penitus ignoramus , niſi id eſt , quod ſuſpicamur : illud Vida ipſe ſuppreſſit .

R̄MO D. VINCENTIO CARAPHÆ

Archiepiſcopo Neapolitano

HIERONYMUS VIDA CREMONEN.

Canonicus Regularis Lateranenſis S. P. D.

QUantum nos omnes, hoc eſt Canonici Regulares, Vincenti Pater, & Domine, Oliverio patruo tuo nuper inter Divos publico orbis mærore relato, debeamus, non modo hæ noſtræ Paci æternæ dicatæ ædes, quos ipſe magnis ſumptibus nobis eleganter conſtruxit, verum etiam infinita prope beneficia in nos ubique terrarum collata, teſtimonium afferre poſſunt. Semper enim, dum vixit, rem noſtram conſilio juvit, profuſa liberalitate auxit, auctoritate munivit protector, & aſſertor. Quantum igitur ex ejus obitu mœroris contraxerimus, facile tibi perſpectum eſſe poteſt; ſi tamen illi dolendum ſit, qui ex tempeſtuoſo pelago in tranquillum portum eſt receptus. Neque enim eſt, quod quicquam mali illius Manibus timeamus, cujus ſemper vita innocens fuit, & religioni addicta, qui ſe ſe tanta in illa rerum affluentia, tantaque fortunæ indulgentia ita ſemper geſſit, ut ejus vitam potius divinam, quam humanam cenſeremus. Ego autem, priuſquam ſacris inauguratus eſſem, ſemper illum ſuſpexi, ſupra hominem virtute aſſurgere arbitrans. Canonicus mox regularis patrem recognovi, & Dominum, adeoque amavi, ut me felicem arbitrer eſſe in illo cætu, ac tribu, cujus ipſe protector eſſet, & pater. Itaque quem viventem ſemper colui, defunctum etiam verſibus perſecutus ſum, quos tibi, Reverendiſſime Domine, dicavi. Opus certe non multa lima expolitum, neque longis lucubrationibus elaboratum, ſed biduo tantummodo effuſum, ſtatimque, hortantibus concanonicis, editum, periculoſa certe temeritate. Sed dolori tuo, quem ex relicto patrui deſiderio concepiſti, ſubveniendum tempeſtive erat; maluique imitari in hac editione Protogenis pictoris inſtitutum, quam Callimachi ſtatuarii, qui Cacizotechnos appellatus eſt, quod ille ſciret manum de tabula tollere, iſte autem diligentiæ finem non haberet. Satis mihi erit, ſi tibi placuero. Nam apud cæteros hanc feſtinationem propediem excuſabimus, operis ſolidi, & heroici editione, quod diu preſſum ſub lima retinuimus. Vale.

EPICEDION

In funere Reverendiſſimi Dñi Dñi Oliverii Caraphæ Neapolitani Cardinalis Epiſcopi Hoſtien.

Hinc procul Aonides ſacras auferte coronas
Fronde mea, nudate comas, per tempora mæſta
Taxus eat. Nil dulce cano, non arma, tubaſque:
Euganeas pono ſtrages, cæptamque remitto
Juliada, inſanos bellantum æquare calores
Auſus. In Italiam Rhodaneja ducere caſtra
Deſino, & ingentes ultro intermitto paratus.
Adſis religio, ſanctum per ſæcula nomen.
Nam tuus iſte dies, tua triſti fata querela
Proſequor, & mæſti damnum irreparabile mundi.
Occidit ille tuus, qui te ſuper æthera alumnus
Extulit, & priſcos veluti revocavit ad annos
Ille Dicarcheæ decus immortale Carapha
Parthenopes, quem purpureo ſacra Roma galero
Ornarat gratum patribus majora merentem.
Non illi ingentes quæſivit prodiga honores
Largitio, non clara domus, diteſve parentes:
Nuda ſed evexit ſuprema ad munera virtus.
Quin etiam incitans ſolio fortuna ſuperbo,
Quo ſedet humano ſuperis æquatus honore
Terrarum rector ſæpe illi blanda trahentem
Porrexit dextram, primoſque oſtendit honores.
Ille autem nullo ne læſam crimine famam
Inficeret, ſanctumque decus, non paſſus, & ultro
Oblatum amiſit munus, ſemperque ſecundo
Maluit eſſe loco, quam non venalia vafro
Sponte ambire dolo. Sed qui geſſere potentes
Tergeminum diadema patres virtute coacti,
Ingenioque viri ſemper timuere minorem.
Ipſe etiam, qui Tarpejas nunc temperat arces;
Cui pater æternos ſuperum partitur honores:
Hunc ultro mitis (reverentia rara) colebat
Julius, atque pio ſponte aſſurgebat honore.
Hoc vitæ ſine nube tenor, ſine crimine mores
Præſtiterunt, patribuſque ipſis fecere verendum.
Namque licet longos grandævus geſſit honores,
Et largas poſſedit opes: tamen ipſe profuſo
Vicit opes animo, raroſque agnovit honores
Cælitibus largus, ſibi pauper, & indigus uni.
Pacis ſtructa domus noſtræ teſtatur, & almæ

Pal-

Palladios innumeris tectum ſublime columnis .
Hæc opera æternum ſervabit Roma , nec ipſa
Parthenope illius minus eſt obnoxia cultu ,
Surgit ubi aurato ſapientia pariete dives .
Quid referam aſſidue ſacræ data munera plebi,
Officiumque frequens ? Miſeris domus illa patebat
Semper , & oppreſſi complebant atria cives .
Omnibus ipſe aderat facilis , preſſamque proterva
Juſtitiam vi , invictus tutabatur , & ipſum
Terrarum Dominum placabat providus urbi .
Quid mirum ingenti ſi ſævit pallida luctu
Roma nigrum demerſa caput ſqualore perenni ?
Undique ſingultus reſonant , dant templa querelas
Uda , viæque fremunt gemitu , ſtat triſtis ubique
Luctus , & alterno reſponſant ſidera planctu .
Invidiam metuere Dei ; trux Atropos ultro
Ipſa ſuum ſero damnavit mæſta furorem .
Ædibus in mediis , dolor ah ; ſtat molle feretrum .
Concurrunt veluti contacti fulmine cives ,
Plenis turba viis , denſi ſuper oſcula fuſi
Frigida , dant lacrymas , hument ſtrata aurea luctu .
Quiſque ſui tamquam fleat immatura parentis
Fata gemunt , corpuſque ligant complexibus arctis .
Nec famulis arcere datur . Vidi ipſe parentes
Natorum flere ante rogos , natoſque parentum :
Et minor ille fuit luctus . Vix ipſe peperci ,
Quin furerem præſens queſtu bacchatus aperto ,
Cum miſeram juxta plebem , vulguſque viderem
Nobile in expleto laſſantes brachia planctu .
Non magis extinctos duo belli fulmina Roma
Flevit Scipiadas , Fabiumve parata morantem
Arma , & Eliſæas ſternentem mente phalanges .
Talis ubique ſonat queſtus . Quid numina proſunt
Culta Deum ? quid caſta fides ? quid candida virtus ?
Si nulli mortis manet exorabile limen ;
Atque implacata ſecat Atropos omnia dextra ?
Heu funeſta dies Romæ , mundoque relicto ,
Quæ te , magne pater , majoribus addidit aſtris
Indigitem factura Deum . Tu ne ordinis ille
Purpurei ſublimis honos ? Tu ne ille precatu
Qui rerum dominos urbi mulcere ſolebas ,
Occidis , & viduæ relinquis ſacra mænia Romæ ?
Quæ tantum mundo reparabunt ſæcula damnum ?
O ubi tranquillæ mitis reverentia frontis ?
O ubi blandus honos ? ubi gratia mixta verendo

Im-

Imperio, & vultus cum majeſtate modeſti?
O ubi caſta domus virtutis hoſpita ſemper,
Atria muſarum ſedes, vatumque receptus?
Unde aberat ſemper porro indetonſa juventus.
Non tibi Sangarii miſcebant pocula cœtus,
Iliacæve manus; ſed te longæva juvabat
Canicies docti imprimis, caſtique miniſtri.
Talibus ubi paſſim mugit viduata querelis,
Et cunctis ſævo anguntur præcordia morſu.
Jam celer æquoreas pervenit Tybris in undas
Nuncius, & triſti portavit Nerea fama.
Audiit ætheria veluti perculſa procella
Parthenope'. Actutum nigra conſurgit in urbe
Luctus, & ingenti reſonant cava littora planctu.
Exululant reſonis nymphæ Sebetides antris.
Dat gemitus turbata novos Acheloja Siren,
Inſerit humentes ſpumoſa ſub æquora vultus,
Merſa freto gemit, & vitreis immurmurat antris.
Atque iterum ſurgit tollens e gurgite ſummo
Roriferum caput, atque iterum lachrymata ſub undas
Cum gemitu ora refert, rurſumque emerſa profundo
Conqueritur: planctu longe conclamat utrumque
Littus; & Æthnææ reſponſant flebile rupes.
Talis Sicanio quærit Trachinia ponto
Alcyone Cæica gemens, cum blandus Apollo
Atterit aurato Nephelæja vellera curru.
Solantur Nereus fruſtra, grandævaque Doris:
Blandæ etiam attentant cantus, molleſque choreas
Nereides: ſurda illa fugit ſolatia mente.
Nec magis exaudit placantia verba ſororum,
Quam circumfuſo rupes pulſata profundo.
Luce gemit, repetitque novas ſub nocte querelas.
Suſtulit incultam ferali pulvere barbam,
Et veteri gemitus audivit ab uſque ſepulcro
Mantous vates, luctum miſeratus acerbum.
Parthenopes merſam incendunt clamoribus urbem.
Ungue caput matres fœdant, & pectora pugnis.
Mœnia laxa putes, atque hoſtes urbe receptos
Obſeſſa, & ſævos ardere penatibus ignes.
Audit Avernalis longe domus alta Sibyllæ
Atque Dicharchei portus, Veſuviaque rupes.
Sic civem, patriæque patrem pietate ſequuntur
Plebs rudis, & mixti nullo diſcrimine cives.
Flent pueri ſimplex ætas, cauſamque dolendi
Haud novere tamen; triſtes docuere parentes.

Purpura funereo ſubito mutatur amictu.
Indulgent lacrymis omnes: juvat æthera planctu
Irruere, & merita ſontem pulſare tonantem
Invidia, ſæviſque ferunt convicia fatis,
Ac nimis Elyſias credunt properaſſe ſorores.
Cum vero audierit caſus inſontis amici
Julius ad trepidum, qui nunc diffulminat armis
Eridanum, quantas lacrymans dabit ille querelas?
Illi eris æternus dolor, o pater optime, qui cum
Partiri tuto curas, ac magna ſolebat
Pondera, & ambiguis conſulta exquirere rebus.
Conſortes flebunt fratres, magnuſque Senatus:
Haud ſecus Argolici dum tentant pergama ferro
Jurati diuturna duces in fata ruentem
Longævum ingenti defleſſent Neſtora luctu.
Te ſacra abſentem quærent penetralia longum,
Et locus ille, patres ubi grandia munera tractant,
Ardeſcet deſiderio, æternumque dolebit,
Atque tuo emiſſas ſperabit pectore voces,
Voces, quas pariter pietas dictabat, & alma
Religio, ac juſti libertas conſcia veri.
Quis nunc ſacricolas tam miti pectore ſectas
Proteget, atque pio Superum defendet honores?
Sacrifici te pene omnes dominumque, patremque
Orabant cætus: quis nunc ad præſidis aures
Verba, humileſque inopum referet ſine fraude precatus?
Vos o linigeri ſocii, quos una coercet
Mecum religio, veris ululate querelis,
Votaque ferali date pectora quaſſa dolori.
Corruit ille orbis decus ingens, quem penes unum
Noſtrarum tuto ſtabat cuſtodia rerum.
Spem ſi quam illius dignis habuiſtis in auſis,
Ut nobis raptas Laterani redderet ædes,
Ponite. Dum ſuperis ſpiravit ſoſpes in oris,
Nil intentatum, nil prætermiſit inauſum.
Nunc autem extincto merſa eſt ſpes omnis in illo:
Ni forſan qui cuncta poteſt, poſt prælia Julus,
Pace ſuos parta ſuperis inſtauret honores:
Quod reor, & doctæ mihi prædixere ſorores.
Hunc ſaltem merito mæſti comitentur honore.
Fundite thuris opes, nubeſque inferte Sabæas:
Cinnama, odorataſque Arabum diſpergite ariſtas,
Infames myrrhas, Syrioſque effundite ſuccos,
Veraque manſurum teſtentur ſigna dolorem.
Interea mæſto ſolantia verba Nepoti

Con-

Conſero, & inſanum proſtrati mulceo luctum.
Oſſibus inſedit penitus dolor, & via plagæ
Alta nimis, furit, & merſa bacchatur in æde:
Sponte ingens aperit vulnus, dulcemque dolorem
Inſatiatus alit. Mea nil vocalia proſunt
Fila: odit Chelyn, & ſurda a me avertitur aure.
Intempeſta cano: juvat immoderata dolendi
Libertas, juvat & ſævo ſe immergere luctu.
Sed jam care fides, & verba medentia pono
Vincenti, tecumque fleo non vulneris expers:
Nec metam flendi ſtatuo, finesve dolori.
Tu Patruum defles: mundi ploro ipſe parentem;
Cujus ad extremæ penetravit ſacra receptus
Tethyos, & feſſi quo non adit orbita Phœbi.
Una ambo æterno ſatiemus pectora planctu.
Scindamus laceros crines, cineremque bibamus.
En ego funerea ſacra tempora damno cupreſſo:
Sic eat, & noſtro ſatientur numina luctu.
His ego, qui nuper ſolatia vana parabam
Irritus invicto laxaram fræna dolori:
Teque etiam victus gemitu majore trahentem
Sectabar. Qualis medio cum navita ponto
Nititur adverſa ſpirantia murmura pinu
Oppoſiti ſuperare Noti: ſed remige caſſo
Vincitur, & raptam quo poſcunt flabra carinam
Dirigit invitus, ſequiturque proterva ſonantis
Juſſa auræ, ingratoſque legit rate retro recurſus.
At victum, & ſævo laſſantem pectora planctu
Corripiens Patruus (ſic noctis viſus in umbra)
Admonuit, tenuique dedit has murmure voces.
Siccine dilectum, vates infauſte, Nepotem
Æternis ſqualere malis patiere ſepultum?
Nec ſolator adis, nec verba medentia profers?
Quin etiam inſano præbes tu terga dolori;
Atque ultro imprudens lacrymis fomenta miniſtras,
Flagrantemque juvas ſtipulis arentibus ignem?
Sume animum, & ficto prætendens gaudia vultu
Quære novas artes: neque enim ſolatia nota
Admittit: nihil ecce juvat mors omnibus æqua;
Aut cunctis ſubeundi via eſt, ac janua leti,
Inſtrepere, incautoque frequens iterare profatu.
I, ſaltem moriens ego quæ ſolatia liqui,
Et mea verba recens vanos cohibentia queſtus,
Quæ ſuprema tuli, creber repete auribus illi.
Dixit: & effugiens cum ſomno evanuit umbra.

Ergo ego juſſa libens obeo, & memor alta renarro
Ultima, quæ patruus moriens oracula fatus.
Extremam lecto inſtratus, fatiſque paratus
Ducebat feſſis animam vitalibus ægre.
Hærebas lateri tu mortis imagine plenus,
Et tibi non digno latrabant pectora morſu:
Spem ſimulas, tacitumque premis ſub corde dolorem.
Non tamen humentes potuiſti abſcondere vultus.
Uda per ora fluunt lacrymæ largo imbre profuſæ.
Senſit vicino, qui jam cava lumina leto
Flexerat immoriens patruus. Tum fata parumper
Expectare jubet, tepidoſque recolligit artus,
Reliquiaſque animæ volucres abeuntis in auras.
Tales dehinc ſancto eruperunt pectore voces.
Quid ploras? Pone o dulcis ſuſpiria nate,
Quem non ipſe pater genui, ſed fratre ſinente
Excipiens genitum, tamquam mea pignora, fovi:
Ne patrui crucia fugientem luctibus umbram.
Vixi, & quæ dederant mihi prodiga fata, peregi
Tempora jam feſſus luſtris, atque obrutus ævo.
Nam mihi nunc ternum tardus prope falcifer orbem
Circuit, octonumque fluens jam reſpicit annum
Flamma Jovis blandi. Nunc portum feſſa ſenectus
Aſpicit, & triſtes ſperat finire labores.
Lætus eo; fuerat quondam mihi vivere dulce:
Sed nunc dulce mori, nec terret janua leti.
Quicquid adhuc facilis daret indulgentia parcæ,
Non eſſet vita illa mihi, ſed anhelitus æger,
Et dolor, atque labos, & morbis fæta ſenectus.
Quicquid mortali fas eſt impendere vitæ,
Conceſſit fortuna mihi, ſemperque benigno
Lumine me aſpexit, vireſque oſtendit in uno
Illa ſuas, nunquam rupto mutata tenore.
Non ſine luce genus fuerat mihi. Nulla repoſta
Eſt adeo plaga, quæ noſtros non ſæpe Caraphas
Audierit, quos ipſa recens opponere Romæ
Parthenope ſolet, & priſcis æquare Camillis.
Ipſe ego nec claros involvi nocte penates
Degener, inventamve dedi ſub nubila famam.
Nam dum prima rudes ætas mihi circuit annos,
Me muſæ fovere ſacris Sebetides antris.
Mox tenera egreſſus pube, & jam firmior annis
Ad ſecreta tuli legum penetralia mentem.
Edidici quicquid biſſenæ jure minaci
Præcipiant tabulæ æratæ, mulctentque, vetentque:

Quid

Quid Latii ſtatuere duces, ſanctuſque ſenatus;
Atque inſurgentis decreta minantia plebis.
Mox ſacri pia jura fori prius inclyta noſtros
Eridani in ripis Ferraria vidit honores;
Cum noſtris donata comis irreperet auri
Laurus picta notis, & cingeret aureus orbis
Inſignem digitum: nec nos facundia fugit.
Hinc me diverſum reges miſere per orbem
Stirpis Aragoneæ, queis pulchra Neapolis olim
Subdita erat. Veni varias Orator ad oras.
Sequanicos adii reges, flavoſque Batavos;
Et Tartheſſiacos tepido ſub ſidere Iberos.
Quin etiam Tarpeja adii penetralia miſſus,
Cum rerum Euganeus tractaret Paulus habenas,
Unde mihi acceſſit miratæ purpura fronti.
Non tamen inde quies parta eſt mihi. Cogor in omnes
Ire plagas, populoſque ſacris compeſcere frenis.
Sæpe ego magnorum diſcordia pectora regum
Compoſui, paciſque fui, bellique ſequeſter.
Nec mihi ſum tantos largis mercatus honores
Cenſibus, aut venit turpi ambitione galerus.
Ipſi me mores ornarunt, nudaque virtus.
Fortunam agnovi, nec divum munere abuſus
Intumui: quin & mea ſi cura ulla fuiſſet,
Tractaſſem immenſi frenos rerum arbiter orbis.
Caſta fuit domus, ac turpi non prodiga luxu;
Et nunquam mihi vita nocens, nec triſte regentis
Imperium famulos, ut dulcia pignora amavi.
Religio cordi ſemper mihi fixa cohæſit;
Nec niſi ſecreti latuit mens conſcia recti.
Servit ubique meis meritis obnoxius orbis.
Tanta (decus rarum) caruit fortuna furenti
Invidia, atque plaga late nunc plangar ab omni.
Luctus erit lapſo vix unquam cognitus ævo.
Et dubitemus adhuc miſeris excedere terris?
Quid majus fortuna meis impenderet annis?
Linque hilarem ſuper ætherii convexa Senatus
Scandere, nec triſti turba mea gaudia luctu.
Per ſummi reſerata feror ſecreta tonantis.
Aligeras acies video, cætuſque piorum:
Expectant alacres ſuperi, dat jubila cælum;
Et plaudunt feſto mihi numina læta theatro.
Dixit, & in placidam reflexit lumina mortem;
Extremamque tuis animam ſpiravit in ulnis.
Non vis ulla fuit morbi, ſed ſola ſenectus

 Mor-

Morbus erat, nulloque abiit læta umbra dolore.
Haud ſecus exangues cum pallens ponere frondes
Incipit Autumnus, nudis pendentia ramis
Poma cadunt, levibus ſi flaverit aura querelis.
Tu tamen, abſumptus veluti florentibus annis
Eſſet, & infauſto properaſſent ſtamine parcæ,
Indulges lacrymis, & luctu pectora turbas:
Ac ſuper extremas patrui procumbis adempti
Reliquias, animamque oculis humentibus hauris.
Circumſtant proceres dextra, lævaque frequentes;
Nec mulcere valent. Quid ſi tu filius, eſſet
Ille pater? ſileat tandem Romana vetuſtas
Scipiaden, ceſſet magni mens alta Maronis
Mirari Iliacum nati cervice parentem
Effugiſſe ignes, & tela ſequacia Grajum,
Ceſſet & Ethruſci laudata audacia Lauſi.
Sed jam pompa vocat, ducendaque funera queſtus.
Ampla replent clari multa cum plebe Quirites
Atria, funereum decus, atri mortis honores.
Ducitur aurato corpus ſublime feretro.
Tota coronatis infert ſe Roma feneſtris,
Spectatura decus. Longo ſubit ordine vulgus
Nobile, Sacricolæque pio ſermone precantur.
Ceratæ de more faces, quot funera nulla,
Nec veteres habuere rogi, regumve ſepulcra,
Præcedunt, vincuntque diem: via lucet ab igni.
Impia flagrantis dicas incendia Romæ.
Interea molles Vincentius undique odores
Per cuneos ſparſiſſe jubet. Flagrantia late
Fumant thura focis; bene mollia cinnama ſpirant,
Coriciique croci, caſiæque, & gratia myrrhæ.
Quicquid odoratis ad nos portatur ab Indis,
In patrui ſpargit funus, nec prodigus explet
Corda tamen vellet totos effundere cenſus.
Felix Tarpejæ, felix domus alta Minervæ,
Quam pater æterni tantus dignatur honore
Hoſpitii. Felix æternum nobile ſaxum,
Non tantum nuda oſſa capis, magnique parentis
Reliquias. Aſtræa colit tua limina, & ægra
Religio. Jamque æternum pater optime ſalve,
Æternumque vale, cujus mihi nomen Apollo
Invidet, & doctæ vix admiſere ſorores.
Te tamen, immodicos donec conſidat in ignes
Mundus, Oliveri te poſtera ſæcla loquentur,
Et mea manſuros referent tibi carmina honores.

Ipſe Padi in ripis muſis comitantibus olim
Surgit ubi natale nemus, ſolemnibus aris
Annua Sacra feram mærens, & inane ſepulchrum
Accumulabo roſis: ac veris honore rubentis.
O mihi tunc calathis quis candida lilia plenis,
Quis det odoratas Syriæ felicis ariſtas?
Tunc mihi populeis nudatæ tempora ſertis
Heliades fundet lacrymas, & nobile gummi.
Aonides mæſtæ circum, & nil dulce ſonantes,
Infauſto caros implebunt murmure lucos.
Ipſe mihi abſterget lacrymas miſeratus Apollo.
Sed quid ego hæc? Potius caſto tibi pectore ad aras
Placabo faciles ſuperos, requiemque precabor
Æternam, atque tuis felices Manibus oras,
Et nunquam accenſis Cererem libabimus aris,
Aut ſacros latices, quin tu, pater optime, noſtri
Omnibus in templis fueris pars maxima voti.
Longus eris nobis dolor, & ſemper nova clades;
Atque diu mæſto felix plorabere mundo.

Ejuſdem Epigramma affixum foribus, cum in Pacis æde Canonici regulares die ſeptima juſta perſolverent magno civium concurſu.

Viator, hujus qui teris domus limen,
Mane obſecro vel occupatus pauliſper,
Donec bonis rem fecerimus Diis ſacram.
Nam Manibus perſolvimus piis juſta
Illius, orbas qui reliquit Evandri
Arceis modo ingenti ſui deſiderio:
Quem vagientem protulit Neapolis
Molli ſolo ſub roſcida ſacri ripa
Sebeti: in ortu cui parens riſit Siren:
Cui de ſepulcro proximo dextros Divos
Mantous exoravit auditus ſenex.
Mox Roma læto blandiens fovit ſinu,
Deditque dignæ purpuram ſacram fronti;
Vixit ſecundo carus omnibus flatu.
Intelligis viator? Ille eſt Carapha,
Ille, ille, quem ſepultum inexoratæ flent
Parcæ. Sed ah nimis potens neceſſitas.

Abſolutum Romæ in ſacris ædibus Pacis noſtræ decimo Kalendas Februarias M. D. XI.

CARMEN PASTORALE

IN QUO DEPLORATUR MORS

JULII SECUNDI PONTIFICIS MAXIMI

HIER. VIDA CREMONEN. CANON. REGUL.

LEONARDO RUEREN. CARD. AGEN. S. P. D.

BUcolicum noſtrum, Leonarde Card. optime, quod nuperrime in Julii Pontif. Max. funere ſcripſimus, nulli alteri æque ac tibi deberi, & Corycius noſter bonarum literarum genius, & omnes eruditi, ad quotquot manus id pervenit, ſentiunt. Ego quoque in eorum ſententiam haudquaquam repugnans deveni, cum ob alia multa, tum quod noſtri illi Paſtores, ut ex ipſius carminis lectione cognoſces, nocte ſuperveniente, ſeſe receperunt in villam Leontii paſtoris, hoc eſt, Leonardi Rueren. Card., a quo, ut arbitror, humaniter ſuſcepti ſunt. Introduximus Vitiſcum quemdam paſtorem ipſius Julii Pontificis Maximi ſub perſona Quercentis paſtoris in vaſta ſolitudine mortem deplorantem, clam auſcultantibus duobus ejus amicis paſtoribus Myrtilo, & Coryleto. Edidiſſem id quoque, quicquid eſt carminis, in vulgum, niſi veritus fuiſſem me credere judiciis quorumdam, qui ſibi ſatis docti videntur, mihi vero nimium. Fore enim arbitrabar, ſi qui fortaſſis hanc Eclogam lecturi eſſent, quoſdam, qui illam omnino damnandam cenſerent, tum quod numero verſuum excedat metam hujuſcemodi carminis, tum quod nimium ſtilus aſſurgat. Nam Vitiſcus noſter aliquando obliviſcitur ſe paſtorem, & nimis multus rapitur, muſis indignantibus laudes tanti viri paſtorali ſtilo adumbrari. Solent etiam iſti in poematis errata deprehendere, quæ nos elegantias, & ornamenta verſuum dicimus. Ne vero te prolixitas nimia offendat, lege partem unam, & quantum libet reliquum abjice. Atque ita arbitrio tuo Ecloga erit brevis, aut longa. Leges hic quidem nonnulla ſimpliciter (ut a Græcis fit) dicta, quædam vero, immo fere omnia figurate, hoc eſt, per allegoriam, quod noſtri, ideſt Virgilius, faciunt. Cum vero Juliaden noſtram, quæ jam ad finem properat, meliorem reddiderimus, tuis fortaſſe auſpiciis in publicum exibit. Vale.

HIE-

HIERONYMI VIDÆ
QUERCENS

INTERLOCUTORES

MYRTILUS CORYLETUS ET VITISCUS.

Myr. *Expecta o Corylete: tibi en dum grandibus urges*
Paſſibus aſperum iter feſtinus, decidit alter
Pero humero, vix te potui unquam ſiſtere ſurdum.
Clamabam, & vocem ventus referebat ad aures.
Cor. *Senſeram, & ipſe humero hærebat Myrtile faſcis*
Jam levior, ſed nulla fuit tum cura reverti.
Nam mihi Vitiſcum Quercentis funere triſtem,
Iratumque Deis hæc linquere rura relatum eſt,
Et patriam petere; ipſe etiam propero comes ire:
Statque mihi omnino hac ingrata excedere terra,
Et patriæ tandem dulces inviſere fines,
Lætus ubi gratas texit mihi Larius umbras;
Atque ubi pallentem lapidem pater abditus antro
Excavat in fragiles torno ſtridente lebetes,
Unde coquant olus Agricolæ, & cum lacte polenta.
Myr. *Credulus ah nimium Corylete. Illum ipſe reliqui*
Nuper Corycii ad Salices, dum cantat avena
Cantelmi natum crudeli morte peremptum,
Cantelmi natum uvidulum, quem Naidas omnis,
Eridanumque refert fleviſſe ſub alveo alto,
Et ſeptem nulli viſum latuiſſe diebus,
Corycio ah nimium longam indignante querelam:
Cor. *Quin iter arripuiſſe Arſilli filia vidit*
Ad foſſam viridem, dum ſe illi plurimus anſer
E paſtu rediens ſtrepitanti merſat in amne.
Ipſe locum quoque, dum pergo, modo reperi, ubi ille
Flevit. Adhuc lacrymis tofus madet interfuſis:
Et Laurus ſervat juxta hoc in cortice carmen.
Ah moriens Quercens tecum o tecum omnia vertis.
Myr. *Non ego contendam tibi nunc Corylete. Sed illum*
Ambo age (nam brevior via) per viburna ſequamur
Fors precibus (neque enim eſt durus) revocabimus illum.
Tu Corylete rogato, & me Vitiſcus amavit.
Cur tamen interea Quercentis morte dolore
Turbatur tanto? Neque enim illi munera dives

Ulla dedit Quercens unquam: licet omnia laudes
Quercentis nemora, atque amnes, valleſque referrent,
Vitiſco cantante, fuit ſine munere carmen
Hactenus, & ſemper pauper pecora haud ſua pavit.
Dic age: quando viæ ſermo levat ipſe laborem.
Cor. *Huc illum e patria, non Myrtile cura peculi,*
Non libertatis ſpes egit. Plurima frater
Illi rura ſerit, qua texit arundine glauca
Serius umbroſas ripas, queat unde videri
Ex alno turris formoſæ rara Cremonæ,
Quæ cælo erigitur, modo non ſit nubilus aer.
Illi etiam pecus, & ſimæ dumeta Capellæ
Tondent, atque errant niveæ per prata juvencæ:
Aque illi intexunt frondoſa umbracula vites.
Sæpe ille in patria, memini, cantare ſolebat
Per pagos, per rura, per omnia compita lætus.
Sylvæ aſſurgebant cantanti, paſcua, & amnes,
Paſtoreſque: illi ſolus certare Syriſcus,
Ah ferus, audebat, ſæpe in certamine victus.
Sed rubus eſt quantum procera vilior alno,
Vitiſco inferior tantum cantante Syriſcus.
Jamque etiam culmi Cerealis mergite crinem
Evinctus, ſe matutinus agebat ad urbem
Aut hædum, aut agnum dominæ, lactiſque recocti
Munera, & aut uvas, aut hiſpida meſpila portans.
Illa dabat, quæ rus rediens, dehinc ipſe referret,
Aut crocea uxori capitis velamina, natiſve,
Aut pictas tunicas, aut imæ tegmina plantæ,
Et piper, unde ſolet lautum condire faſellum.
Semper ab urbe domum multo gravis ære redibat.
Sponte ſua patriamque, & dulcia limina mutans
Exilio, duruſque ſuæ ſata culta Cremonæ,
Uxorem, & natos Tyberino poſthabet amni.
Nam magni poſtquam Quercentis nomen ad aures
Illius venit (jam tum increbreſcere fama,
Et virtus magni Quercentis) nomine tractus,
Et ſola virtute viri: ſeſe ocyus illi
Obtulit arguta carmen meditatus avena;
Illiuſque pecus pavit. Sed, ne tamen omnes
Contereret ſine fruge dies, impendere curam,
Et cæpit plantare ulmos, & ponere vites.
Sed non, heu! votis reſpondit terra coloni.
Nam cum plana forent, aut colles, aereum ipſe
Elegit montem, quem flabra ſonantia ſemper
Exercent ſeſe circum, nunquam unde recedunt.

(*Ah*

(Ah nunquàm) gelidæ æſtivo ſub ſole pruinæ .
Aruerunt ulmi , aruerunt & frigore vites ;
Pauca tamen raros ſparſit labruſca racemos .
Sed quod ego ? heus aures huc , Myrtile , ocyus aures :
Audiſtin gemitumque , & luctiſonum ſingultum ?
Myr. *Audivi , & (niſi fallor) hic eſt Vitiſcus in antro*
Abditus , aut iſta flet in umbroſa convalle
Virgultis ſeptus denſis , atque arbore multa .
Ille eſt , agnovi vocem : dum ſæpe reſurgens
Quercentem ingeminat ; Quercentem Sylva reclamat ,
Sed jam comprime greſſus . Hic Corylete latendum ,
Ne nos actutum aſpiciat , fletuque abſiſtat .
Namque aptam ex ipſo fletu captabimus horam
Solandi , poſt has corylos jaceamus in herba .
Ecce iterum gemit ; & dulci ſtat ſylva querela .
Vit. *Non tamen indeploratum te maxime Quercens*
His linquam in ſylvis , hac in convalle recedens
Accipe terra meas lacrymas , vos flebile carmen
Teſtes vos quercus , vos caſtaneæ hirſutæ .
Hinc mihi non ulli calami , non jam amplius ulla
Phyſtula , nec dulcis ſit avena ; ſilentia ſylvæ ,
Et montes teneant intonſi : vivite paſcua ;
Et vos Paſtores ſocii , Dryadeſque valete ,
Et Satyri , & Panes , & agreſtia numina noſtro
Carmine culta pecus felix quondam ite capellæ .
Ite greges infelices , non vos ego poſthac
Alticomæ quercus , vacua projectus in umbra ,
Framineo inſultare ſolo , cytiſumque virentem ,
Aut veſcam ſalicum frondem tondere videbo .
Carmina nulla canam , ſed ſemper ſolus in umbra
Altorum nemorum , inque altis convallibus horrens
Flebo diem , flebo noctem , mecum avia luſtra ,
Mecum amnes , mecum antra fleant , mecum aſpera teſqua ,
Et duræ quercus , & coniferæ Cypariſſi ,
Triſtiaque horrentes moveant ſe ad carmina cautes ,
Et queſtus ululæ jungant , quo maxime Quercens
Paſtorum decus , o quo te , quo te ſequar ? in te
Una omnis mea merſa ſalus moriente ; mea omnis
Spes cecidit , luciſque cupido , & gaudia vitæ .
Non me infelices juvet , o juvet amplius ulmis
Jungere frondoſis vites , aut texere ſepes .
Non uvas legere amplius incoctas in apricis
Collibus , heu nullo pubeſcat vinea fœtu
Areſcant ulmi : jam fur impune Syriſce
Crudelem in vites falcem molire novellas ;

Atque impune caper (nam jam licet) improbe dentes
Admoveas , & pubentes depaſcere frondes .
Aut potius cælo exitium ruat , & turgentes
Protinus urantur ſcelerato frigore gemmæ .
Nam quo jam terram vexare ligonibus ? aut quo
Amplius & vites ſerere , & tondere putando ?
Ingratus labor , infelix heu vinea , cui te
Exitio ſuperi , & crudelia fata reſervant ;
Spes omnis moriente tua in Quercente ſepulta eſt .
Ille operum ſpectator erat velut ætheris alti ,
Ille mihi numen . Sæpe illum in vota vocabam
Præſentem . Sæpe illius mea victima tinxit
Frondentes aras quercu felice : nec unquam
Immemor illius ſiluit mea phyſtula laudes .
Teſtes vos quercus , vos caſtaneæ hirſutæ .
Ille meis apibus rorem , caſiaſque , thymumque ,
Humoremque ſatis arentibus , atque capellis
Sufficiens frondem teneram dabat , & bona pratis
Gramina , & arcebat pecori contagia dira ;
Et cæli triſte excidium , iraſque deorum
Avertebat agris , ſervanſque a frigore vites ,
Creſcentes vites , uvis pendentibus humorem
Occultum infundebat , & udos floribus hortos
Spargebat nulli viſus ſub nocte ſilenti ;
Et pecori largum præſens fætum dabat , & lac .
Ah moriens Quercens tecum , o tecum omnia vertis .
Cor. *Myrtile jam prodi , & flendi compeſce furorem .*
Myr. *Non , permitte avidum potius ſatiare dolorem .*
Flendo etenim Corylete dolor miteſcit amantum .
Vit. *Hos olim colles urſique , lupique nocentes*
Infameis fecere , cubiliaque alta ferarum ;
Atque his monſtra locis habitarunt , horrida monſtra ,
Sylveſtres Uri ſpargentes naribus ignem ;
Terribiles Uri ſegeteſque , gregemque necantes
Afflatu . Immanes urique , ſueſque , leoneſque
Horribiles , quibus attoniti diverſa per arcta
Paſtores fugere , & delituere ſub antris .
Interea abſenti ſqualebant arva colono ,
Pro ſegete infelix lolium , pro frugibus aſper
Carduus , & duræ ſurgebant undique ſentes ;
Lappæque , tribulique , & triſtia gramina paſſim ,
Et pro vite nocens taxus . Loca lenta veneno
Omnia ſqualebant , & ſparſa aconita per herbas
Cernere erat miſeris paſſim dominarier agris .
Hic non audiri paſtorum carmina , nullus

Hic Corydon reſonare doces Amaryllida ſylvas
Propter aquæ rivum. Pro carminibus paſtorum
Urſorum fremitus diri, atque luporum ululatus.
Pro Corydone ululæ, pro pulchra Amaryllide triſtis
Eumenidum rabies, & mæſta in vallibus Echo.
At poſtquam Quercens cælo demiſſus ab alto,
Quercens paſtorum numen, Quercens decus arvorum
Hos adüt colles, portenta horrenda refutans
Suſtulit omnia, & extorres ſua ad arva colonos,
Paſtoreſque omnes revocavit, & ocia ſylvis
Fecit, & argutis juſſit ſtrepere arva cicutis.
Paſcite, ut ante, greges pueri, inquit, vertite aratris
Rura. Pyrum ſerite, atque ulmis adjungite vites:
Intrepidique boves paſtos compellite rivis.
Ex illo has ſylvas habitavit Mænalius Pan,
Pan ovium decus, atque Pales, Dryadeſque puellæ;
Liber, & alma Ceres, & cana Pallas oliva;
Diique, Deæque omnes. Quercenti haud indiga cultus
Tellus ſponte ſua fruges dabat; & ſua poma
Sylveſtres rami: diſtentæ lacte capellæ
Ad mulctram, & niveæ properabant ſponte juvencæ.
Vellera oves ultro ponebant. Pampinus uvas
Ad terram aeria ſponte incurvatus ab ulmo:
Et duræ quercus ſub dabant roſcida mella.
Quercentem ſylvæ, Quercentem paſcua amabant;
Quercentem & volucres, magni & Jovis ales amabant,
Quercenti inflexi ponebant dira colubri
Sibila, & ipſi etiam (nec durum eſt credere) amabant:
Et Quercens fortes fecit manſueſſe leones,
Setigeroſque ſues. Quercenti advectus ab Oeta
Servivit veſper. Quercenti ſibila tandem,
Inſtabilis Boreas poſuit ſtridentia: tandem,
Tandem o tempeſtas terris bacchata quievit;
Terriſque, & pelago, atque gregi, ſylviſque, ſatiſque,
Occidui poſtquam quaſſarunt grandia Cauri
Lilia, & irriguos ſpoliarunt floribus hortos.
Juſtitia has ſylvas cælo delapſa colebat.
Hinc procul exulerat Erebo damnata profundo
Triſtis avarities, & amor ſceleratus habendi,
Et timor, humani & rabies ſitibunda cruoris.
Nullæ hic inſidiæ, nullæ fraudeſve, dolive.
Læta aderat libertas; & ſua quiſque ſerebat
Securus rura, atque greges paſcebat in altis
Montibus, atque hædos viridi ſaturabat hibiſco.
Hic exaudiri paſtorum carmina læta

Undique per ſylvas, perque umbriferas convalles,
Et lætis arguta ſonare aviaria lucis;
Dum Corydon flavas cum pulchra Amaryllide ariſtas
Torrenti ſub ſole metit, dum Tityrus uvas
Colligit (ah demens Corydon) cum Phyllide dura.
Carminibus reſonant argutis omnia; rident
Omnia, & aerea cantat frondator ab ulmo.
Quercenti lactis paſtores mittere florem,
Et primos ovium fœtus, ſelectaque poma
Arboribus, primamque uvam, & flaventis ariſtæ
Primitias, primaſque roſas, prima arbuta ſylvæ.
Præterea ſi capreolos venator Amicles,
Aut leporem, aut cervum cepiſſet valle ſub alta,
Ultro ſervabat Quercenti munus, & ultro
Lucaris inventas ulmo in frondente palumbes.
Paſtores feſta per compita luce coibant
(Arbiter ipſe aderat Quercens) ruriſque colendi
Una omnes inter ſeſe de rebus agebant,
Triptolemi præcepta exponentes ſub opacis
Antiquæ ramis quercus. Oracula quercus
Ipſa dabat, leges, Cereriſque arcana recludens:
Et Deus illabens animis ſe agebat ab alto,
Ille Deus, cui gramineas libabat ad aras
Intactam cererem Quercens, intactaque Bacchi
Munera thuricremis adolens altaria flammis.
Namque Deum cultor Quercens ſuſpendere templis
Primitias frugum inſtituit, feſtiſque diebus
Abſtinuiſſe operis vetitis, & parcere glebæ.
Ille dies docuit, duros miſeratus agreſtes,
Felices operum ſimul, infauſtoſve, cavendoſve,
Et dubii tempeſtates prædiſcere cœli,
Ventoſque, pluviaſque, & hiulci fulminis ignes.
Ipſe vetuſtate elabens campeſtre ſacellum,
Paſtores quo ſe feſta olim luce ſolebant
Cogere, Quercens dives opum inſtaurare jubebat:
Et jam jam aerias ſurgebant culmina ad auras.
Quin etiam Quercens haud paſſus ſordida rura,
Atque humiles habitare caſas ſub culmine texti
Viminibus tugurii, famoſa mapalia pulchris
Mutabat domibus, urbeſque æquabat, & arces,
Et templa, atque domos. Luge labor interrupte,
Flete inceptæ arces, & mecum intendite luctum
Irrita fundamenta. Cadens ſecum omnia vertit.
Myr. *Nulla dies tantum, metuo, Corylete dolorem*
Auferet. Inſedit toto ſub pectore vulnus;

Nil herbæ valeant, & non innoxia Lades
Verba, licet duras deducat montibus ornos:
Cor. *Quid quoque cum matris tandem (ah miſer!) audiet Oſcæ*
Funera? Nuper enim Filiſeus retulit Oſcam
Extinctam; non dum, heu! illius venit ad aures.
Vit. *Paverat, heu! Quercens felix in montibus iſtis*
Læta armenta novem (decimus jam cœperat) annos,
Dives agri, dives pecoriſque, & lactis abundans.
Non tamen abſque labore, ſuis dum rejicit agris
Nocturnas furum inſidias, noctesque, dieſque
Invigilans operi, filicem dum vellit iniquam,
Atque hirtos vepres, & agris ſerpentia paſſim
Exuperans igni penitus mala gramina tollit;
Quæque ſatis miſtæ officiunt, & frugibus herbæ:
Dumque altam duro prætexit robore ſepem
Neve lupi noceant pecori, neu vitibus hirci,
Neve ſata urentes depaſcant culta capellæ:
Dum quoque frondoſa ſuſpendit ab arbore vana
Terricula, exuvias vacuas, & retia longe
Formidata avibus pavidis fictaſque pharetras,
Atque arcus ſemper meditantes vulnera fruſtra.
Heu opera irrita, heu vani, & ſine fruge labores!
Jamque omnis ſecurus ager, jam paſcua tuta,
Securique greges, tuti & ſub matribus agni.
Tamque aberant fures. Quercenti obnoxius ultro
Semper nocte vigil ſervabat ovilia ſerpens,
Juſſa ferens ſerpens Quercentis, cui dabat ipſe
Victumque, innocuaque ferebat pabula dextra,
Lambebatque manum ſerpens, ſpiriſque ligabat
Tortilibus ſæpe alludens, ſæpe & dabat ultro
Ter ſeſe collo implicitans innoxius alto,
Ora, genaſque ambas lambens: mox lubricus impune
Errabatque ſinu, ſomnoſque trahebat inertes.
Et jam triſtis hyems ſtygio conjecta Barathro,
Liquerat hos colles: jam e Cœlo florigerum ver
Formoſum terris caput oſtendebat apricis.
Jam lætæ ſylvæ, jamque omnis germinat arbos.
Parturit omnis ager, fœtu tenero omne graveſcit
Et nemus, atque hortus. Paſſim pecora omnia dulcem
Solvunt ſe in Venerem, nunc & pulcherrimus annus
Undique dulce ſonant avibus virgulta canoris:
Pandunt arva ſinus, zephyrique tepentibus auris
Aera demulcent liquidum: rerumque ſator ſol
Lætus alit fœtum in gremio telluris amatæ.
Jam flores populantur apes, jam flumina libant

Sum-

Summa leves, denſaque volant examina nube
Per ſudum, priſcaſque domos, & tecta relinquunt:
Cortice Paſtores cantant arguta cavato
Carmina; & agricolæ ſegetem dum ſurgere lætam
Conſpiciunt, meſſis ſpem concepere propinquæ.
Heu nimium vanas ſpes! Dum læta omnia conſtant,
Ecce furens Erebo, ferreique e faucibus orci
Erumpit turbo, atque in nubem cogitur aer.
Tum grando ſtragem pecori, ſtragem omnibus agris,
Stragem ipſis etiam Paſtoribus, atque armentis
Intentans cælo ruit Orionis iniquo
Sidere ſub: populat vites, ſata, paſcua, ſylvas:
Armenta ſternit: magnum paſtoribus horrorem
Incutit: in campis alta ſub ſtrage jacet ver;
Atque evulſa apium volitant cava tecta per auras
Cerea, & heu longos aufert brevis hora labores.
Evulſæ ſepes: cecidere ex arbore vana
Terricula; ingentem ſtabula alta dedere ruinam.
Vix ſerpens caſu, Quercentis cura, ſub illo
Heu tutus fuit, & ſe arctos contraxit in orbes.
Ah nimium infelix ſerpens, Quercente amiſſo!
Quis dabit innocua poſthac tibi pabula dextra?
Quis poſthac te molle ſinuque, focoque fovebit!
Quis te vere novo redeunte tuebitur? Ah ne
Candida avis noceat longis infeſta colubris.
Ah moriens Quercens tecum o tecum omnia vertis.

Myr. *Hic Corylete draco latuit per frigora brumæ:*
Exuvias dehinc mutans, & bona gramina paſtus,
Vere novus tandem rediit, quo cuncta reverſo
Lætantur, ſylvæ, atque greges, & paſcua, & amnes.
Ille etenim afflatu vitium fugat aeris atrum,
Et pecori aſpectu pellit contagia dira.

Vit. *Extulerat Quercus cælo caput: aurea Quercus*
Collibus his nuper ſylvarum gloria Quercus,
Cui truncum complexa vetuſtum palmite lento
Vitis egens alienæ opis, & non ſtirpe ſuo ſtans,
Perque altos ramos, perque alta cacumina ſerpens
Hæſerat, & florem oſtendebat pampinus uvæ:
Et jam ſe ſe lætus agebat palmes ad auras
Per liquidum longe laxis immiſſus habenis,
Et jam jam lento lucebant palmite gemmæ,
Turgentes gemmæ, ſpes ah! ſpes vana laboris.
Paſtores floremque, & mollia ſuſpendebant
Serta, roſaſque ſacro dicentes carmina trunco;
Ponebantque aras, mollique in ceſpite circum

Ver-

Verbenas pingues adolebant, & bene olens thus.
Ecce autem gelida Boreas erumpit ab Arcto
Ore fremens, Boreaſque, & agentes frigora Cauri,
Una animoſi Euri conati evellere duris
Luctantem fatis Quercum ab radicibus imis,
Et totum involvunt flabris nemus; incita clamant
Et nemora, & cælum tangentes vertice montes.
Bis Quercum alticomam validi invaſere; bis illa
Reſtitit, & nunc hac, rurſum hac impulſa, labanſque,
Evaſit rabiem ventorumque, & Jovis iras
Placati. Illa etenim quantum ſe vertice ad auras
Tollebat, tantum radice in tartara tendens
Exierat. Jam pax erat altis reddita ſylvis:
Jam venti poſuere; quierunt flabra. Sed ecce
Acta Erebo tempeſtas nigro turbine ſylvis
Ingruit, atque omnem ramis decuſſit honorem:
Mellaque decuſſit foliis labentibus (ah ſors
Dira Deum) atque ipſum truncum ab radice ſupinans
Eruit: immani eſt tellus perculſa ruina.
Uno eodem caſu proſtrata eſt frondea vitis
(Ah dolor) & teneras læſit ſub pondere gemmas
Et gravidas uvis (viſu lacrymabile) frondes.
Ah moriens Quercens quercum, & ſecum omnia vertit.
Myr. *Fors Corylete tamen non funditus occidit omnis*
Spes Quercus: trunco extincto mox ſurget & alter,
Inde alter, ſtirpemque in ſæcula longa propagent.
Vidi ego qua immani tellus perculſa ruina
Horret adhuc, Quercus projectæ vimine lento
Pullulat ab radice, altas jamque exit in auras
Virga recens, multaque aſſurgens glande graveſcit.
Cor. *Credo equidem. Nam quæ mox corruit eruta Quercus,*
Ipſa etiam arenti trunco ſeſe extulit olim,
Maternæque fuit truncus non degener umbræ.
Vit. *Nuper enim veniens paſtor Meligurſus ab arcto*
Ryphæos illi Grypes, & munera Rheni
Attulerat: quem dum Quercens per paſcua læta,
Perque ſata innixus baculo, per amæna vireta
Ducit opeſque ſuas monſtrat, pecudeſque nitentes,
Ruriculaſque boves, & quas prope flumina vaccas
Armentarius in ſylva paſcebat opaca,
Surgentemque caſam, & formoſæ culmina villæ:
Dumque etiam capreas tecum Meligurſe fugaces
Inſequitur venatu incumbens, atque ſenili
Se rapit (ah nimium) properans per devia paſſu,
Decubuit feſſus nudæ telluris in udo

Ceſ-

Ceſpite : & heu frigus labefacta per oſſa malignum
Intravit : mox illum humeris ſub tecta tulere
Paſtores flentes ægrum . Nil carmina Mopſi
Profuerunt , medicæ nihil artes , irrita vota
Paſtorum , atque preces cælo actæ , atque agricolis diis :
Nam moritur Quercens . Morienti mentibus ægri
Paſtores aderant circum vallante corona .
Ipſe dabat moriens ruris præcepta ferendis
Curandi armenti , & pecoris , vitiſque putandæ .
Sic arcete lupos ab ovilibu , ſic mala campis
Vellite gramina , ſic pecudes ſervate intactas
Immunda ſcabie , ſic prata inducite rivis ;
Sic ſtruite atque caſas, ſic fundamenta ſacelli
Campeſtris (mihi non licuit finire) locate .
Ne precor o longum jaceant opera interrupta .
Hoc unum in primis , ne terga ſequentibus ultro ,
Vos moneo , præbete lupis . Quercente locuto
Ibant in lacrymas Paſtores : omnia plena ,
Omnia erant lacrymis , & largo undantia fletu .
Ah moritur Quercens ; vertit ſecum omnia Quercens .
Omnia jam videas paſſim Quercente ſepulto
In pejus ruere , atque retro ſublapſa referri .
Barbarus hæc pecora , hæc tam culta novalia habebit
Has ſegetes , hæc armenta , atque virentia prata
Barbarus , atque erit , heu ! noſtri poſſeſſor agelli .
Nec ceſſamus agros ſerereque , & ponere vites ?
Ah potius peream ante diem Quercente perempto .
Jam videas vitio ſitientes aeris agros ,
Et nudis ſylvas actutum areſcere ramis .
Areſcet ſeges , areſcent uredine prata ,
Sylveſcent campi , ſqualebunt flumina ſicca ;
Flumina , quæ nunc plena fluunt exercita curſu .
Excidium procul actum Erebo , ſtygiiſque cavernis
Ingruet armentis , cadet o cadet immemor herbæ
Bucula , corruptoſque lacus , infectaque tabo
Pabula vitabit , fugietque impaſta per agros
Huc illuc pedibus linquens cava ſigna biſulcis :
Et vituli infectis teneri morientur in herbis ;
Atque animas dulces dira ad præſepia linquent ,
Nulli ovibus fœtus , nullum amplius heu ! gregibus lac,
Nullum apibus mel : namque legent in flore venenum .
Ah moriens Quercens tecum o tecum omnia vertis .
Myr. *Haud alias credo tam longa fleſſe querela*
Paſtores ullos . Vidi Mopſum , atque Menalcam ,
Crudeli extinctum , cum flerent funere Daphnin .

Cor. *Deflebant illi certantes Myrtile ſylva*
In vacua. Sed nunc Vitiſcus quæ dolor ingens
Sufficit, atque recens, verba integrat interrupta;
Arboribus ratus audiri ſua carmina ſolis. (duo numeri ſuper. corrigi ſunt.)

Vit. *Ut ſine gramine campi, ut ſine floribus horti,*
Ut ſine frondibus arbos, ut ſine culmine villæ,
Ut ſine flumina lymphis, ut ſine ſidere noctes,
Ut tauro ſublato armenta, gregeſque ſine hirco
Caprarum, pecudeſque ſine ariete: ſic amiſſo
Paſtores Quercente, ſonant lugubre per agros
Carmina, langueſcunt ſata, ſunt ſine honore ſalicta;
Demiſere comas ſylvæ, pecus abſtitit herbis.
Tris armenta dies fugerunt pabula læta.
Non crevit ſeges in campis, non vimina ſylvis.
Subſtitit unda; ſuos tenuerunt ſidera curſus.
Sponte ſua nullum quadrupes ore attigit amnem;
Nullum & apes legit florem. Rura omnia flerunt,
Et montes alti, flerunt Tarpejæ arces.
Audiit & longe Triviæ lacus, audiit & Nar.
Sunt tamen ante mali tanti nobis data ſigna;
Nec mens læva fuit. Caput aureus occuluit ſol
Nube cava, ſeptemque dies, ſeptem æthera noctes
Vidimus in liquidos totum diſſolvier imbres.
Imber erant Divum lacrymæ, qui fata propinqua
Quercentis flebant: & erant lacrymæ ætheris imbres.
Nec multo ante ignis cecidit crudelis ab alto
Æthere, &, heu! diri lugubre arſere cometæ.
Quin etiam dum paſtores ſolemnia læti
Baccho ſacra ferunt, pagoſque, & compita circum
Errantes ludunt, & miſti carmina dicunt,
Carmina, quæ languens Quercens non audiat ipſe,
Tectaque corticibus abſcondunt ora cavatis;
Atque oſcilla alta ſuſpendunt mollia quercu,
Et mæſtus canum excuſſit caput Appenninus,
Et caſtella humeris tremuere hærentia duris.
Quæ poſt ſigna obiit, nec longa fuit mora, Quercens.
Spargite Najades tumulo bene olentis anethi
Floremque, & mentæ circum ſylveſtris acervum
Accumulate, roſaſque, & odoriferum ſerpillum.
Intactum florem legite in felicibus hortis,
Pallentem violam, & ferrugineum Hyacinthum,
Narciſſi lacrymam, & candentia lilia plenis
In calathis: mandat ſterni ſibi lilia Quercens.
Et tumulo lacrymas oculis turgentibus addite;
Et tumulo fontes denſis inducite lauris,

Et matutinum auroræ diffundite rorem :
Atque iterum , atque iterum mæſtum ſubjungite carmen .
Ah moriens Quercens tecum o tecum omnia vertis .
Myr. *Deficiet prius Eridanus , arentibus undis ,*
Aut Corylete tuus prius o ſine Lapius undis
Areſcet , quam deficiat plorabile carmen ,
Aut lacrymæ , aut gemitus Vitiſco . Semper in ipſo
Inſurgit major fletus , vireſque reſumit :
Atque novam intexit ſemper per verba querelam .
Ah demens Vitiſce quid o ! ſine floribus horti ,
Ut ſine frondibus arbos , ut ſine ſidere noctes ?
Cor. *Ille quidem flet adhuc , ſed jam puto deſinet : & jam*
Stat flendo , faſcemque humero , dum ſubgemit , aptat .
Vit. *Terra tibi violæ ſint o , ſit perpetuum ver ,*
Quæ cineres magni ſervas paſtoris , & oſſa ;
Et Zephyri molle ſpirent tibi ſemper amomum .
Jamque vale vale o Quercens : hæc rura valento .
Pauperis in patria tugurj fumoſa reviſam
Culmina , & inculti ſqualentia jugera agelli .
In quaſcunque iero terras dolor iſte ſequetur ,
Et dolor , & deſiderium , curæque ſequaces .
Ante ferent coryli gravibus pyra longa volemis ,
Cerea pruna alnus , pingues quoque populus uvas ,
Quam grave de noſtro lenteſcat pectore vulnus .
Ergo ſive legam milium , vilemve faſellum ,
Vimina ſeu lenti patriæ prope flumina Ruſci
Succidam , virides qua pingit arundine ripas
Serius , aut qua ſe fert Abdua turbidus auro ,
Aut magnus Padus , aut multum utilis Ollius agris ,
Ingratos inter ſuſpiria dura labores
Sæpe traham , & falcem lacrymis , & gramina ſpargam .
Vos patrii mecum vos ſuſpirabitis amnes ;
Vos mecum ſalices latebra olim accommoda Nymphis ,
Flebitis , & virides toto cum flumine ripæ .
Sive autem dum triſtis hyems nive paſcua veſtit ,
Intra clauſa pecus cohibens fænilia , texam
Fiſcellas raras , aut vimineos calathiſcos ,
Frondentem ſemper Quercum per vimina fingam .
Pallorem truncus ſurgens imitabitur auri ;
Fulgorem glandes auri , electrique nitorem ;
Ft frondes teneræ viridi fingentur hibiſco .
Semiputata etiam molli mihi frondea junco
Per ramos ſerpet , perque alta cacumina vitis ;
Vitis egens alienæ opis , & non ſtirpe ſuo ſtans ;
Et ſparget raros circum labruſca racemos .

Hinc

Hinc vigil amplexus truncum draco ſibila ad auras
Tollet, & hac illac linguis feret ora triſulcis.
Præterea Eridani in ripis viridantibus alti
Nulla erit eduro quæ non in cortice ſignet
Populus, ah! mæſtum, & ſemper plorabile carmen.
Ah moriens Quercens tecum o tecum omnia vertis.

Myr. *En, Corylete, recedit. Age properemus, & ipſum*
Saltem hac (jam declinavit ſol) nocte moremur.

Cor. *Myrtile tu prior: ipſe legam quam abjecit avenam;*
Mox ſequar. Audiſti? ingratam dum iratus avenam
Abiiceret, longum ſervavit ſtridula vocem:
Quercentemque cadens, Quercentem lapſa ſonabat.
(Ah moriens Quercens) vocalis retulit. At mox
Heu! magis atque magis (tecum o tecum omnia) languens
Nec potuit, fugiente anima, ſubjungere (vertis).
Ipſæ etiam ſylvæ ad ſuſpiria ſuſpirabant.

Myr. *Oh o Vitiſce, ah demens, quo te rapis? Ecquæ*
Meta erit his lacrymis? Ecquid mercedis ab illo,
Quem tantum infelix luges, Quercente tuliſti?
Cum caneres ſylvas, cum te cantante capellæ,
Ipſaquæ læta forent armenta, & paſcua, & amnes,
Paſtoreſque ipſi, nunquam tibi reddidit ille
Quod tua carminibus meruiſſet fiſtula munus,
Aut agnum, aut teneris luctantem cornibus hædum.

Vit. *Illum illum (ah ſemper me obſervas improbe: poſt hæc*
Dum flerem, & nunquam ſenſi, Corylete, jacebas)
Illum illum tantum, non, Myrtile, munera amabam.
Ille mihi haud hædo, aut omni carior agno.
Hædus, & agnus erat Quercens, mihi & omnia Quercens:
Quo vivente lupi nunquam timuere capellæ
Inſidias; æſtum nunquam ſata; frigora vites.

Myr. *Fors tamen (audivi, & quædam mihi retulit Ucron)*
Collibus his paſtor ſuccedet non minor illo.
Interea (nam nox inſtat, ſeque occuluit ſol
Poſt montes altos, nec tutum eſt tendere ſylvas
Has per, nocte. Lupi, atque Urſi Quercente extincto
Auditi exululant ſera ſub nocte rudentes)
Ad puteum veterem (non multum diſtat) eamus;
Sunt ubi paſtoris fœnilia longa Leontii.
Ipſe etiam multum (nuper referebat Amilces)
Quercentis conſanguinei ſe in funere vexat.
Hac illi non parva erimus ſolatia nocte.
Et (tibi ni penitus fixum eſt hos linquere colles)
Illius ſemper poteris per paſcua lætus
Paſcere, ut ante, gregem, & meditari carmen avena.

Alter erit Quercens ſemper tibi, dives & ipſe
Atque agri, atque gregis, multum quoque lactis abundans.
Ecce autem (ah mæſtus) ille obvius exit, eamus.
Huc huc o Corylete. Tenet Vitiſcus avenam.

FINIS.



*Nobiliſsimo. ac. Præstantiſsimo. Viro. Comiti. Alexandro. Schinchinellio
ex. Nobb. Decur. et. Judicibus. Coll. Cremon. marmoreum. Simulacrum
Civis. sui. in. Museo. Capitolino. servatum. ære. insculptum
F. Thomas. Aug. Vairani. Ord. Præd. D.D.D. Romæ. an. MDCCLXXII*

*Roma parem Phædro dudum mirata Faernum
Marmoream hanc illi posuit effigiem.*

Desider. de Ang. delin. *Ant. Campanelli inc.*

à Rome ce 16. Janvier 1773.

DAns le païs des lettres, & des beaux arts on ne peut Monſieur introduire aujourd' hui la moindre choſe, ſans la munir de ſon paſſeport. Le buſte de Faerno, que je fis deſſiner, & graver pour mettre au jour un monument, qui honore nôtre patrie, travaillé par Bonarroti, & placé dans le Capitole, n'avoit pas beſoin, à ce qu' il me ſembla d'abord, de cette precaution. Cependant le croyeriez vous? Bien des ſcrupuleux, qui ont, diſent-t-ils, un amour extréme pour la verité, ne ſont pas tombés d'accord ni ſur l'auteur de cet ouvrage, ni ſur le ſujet qu' il repreſente. C' eſt Monſieur pour ne pas laiſſer en proye de la raillerie le petit preſent, que vous avez bien voulu agréer, que je vais en faire l' apologie en tres peu de mots. J' oſe aſſurer d' obtenir d'abord l'aveu de ces Meſſieurs: & ce qui eſt encore plus, de mettre le buſte de Faerno ſous leurs auſpices.

Ce ne ſeroit pas trop pretendre d' y réuſſir en alleguant ſeulement ce qui a été publié à Florence par le dernier editeur de Vaſari: il l'a rangé ſans balancer parmi les ouvrages de Bonarroti, Tom. VI. pag. 386. *Opere di Scultura num.* 13. *In Campidoglio è il ritratto in marmo di Gabriello Faerno celebre Poeta latino con un poco di buſto nudo d' un eccellenza tale, che quantunque ſia ſituato in mezzo a un gran numero di teſte greche belliſſime, non iſcompariſce punto.* Mais je ne m'arrête pas la: mon deſſein étant d'éloigner tout ſoupçon.

I. On dit que Bonarroti n' a point fait d'autres portraits que celui de Thomas Cavalieri. Voyez Vies de plus célébres Architectes, à Rome 1768. pag. 243. II. Le buſte en queſtion reſſemble plutôt au portrait d'un Philoſophe, à qui l'on a joint le piedeſtal avec le nom de Faerno; & cela, dit-on, eſt fort vraiſemblable, eu égard à la phyſionomie, qui eſt d' un homme bien plus âgé, que n' étoit Faerno. III. Faerno étant au ſervice de S. Charles Borromée ne portoit point de barbe; ce Cardinal l' ayant défendu à tous ſes courtiſans.

Mais quelle raiſon apporte l'auteur des Vies des Architectes pour nous prouver, que Michel Ange n' a pas fait d'autres portraits? C' eſt, dit il, que ce célébre ſculpteur ne trouvoit dans aucune perſonne de parfaites proportions. Si cela eſt, pourquoi donc a-t il fait celui de Thomas Cavalieri? Eſt-ce en lui ſeul, qu' il trouva les perfections, qu' il ſouhaitoit? Qu' il ait fait fort peu de portraits, j' en conviens: mais j'avoüe, que je ne ſaurois ſuivre aveuglement un écrivain de nos jours, qui veut, qu' on lui en croye ſur ſa parole.

La ſeconde remarque ne vaut pas mieux que la premiere. Tous les connoiſſeurs en matiére de ſculpture y reconnoiſſent Bonarroti. Le marbre eſt tout d'une ſeule piéce, & la forme des lettres gravées ſur le piedeſtal eſt de ce tems la. Les traits du viſage ſont graves & majeſtueux: ils répondent à l'excellence du ſculpteur, ſans qu'il ait perdu de vûë ſon original. La Chronologie ne ſouffre aucune contradiction, parceque Michel Ange a ſurvecu à Faerno. Quant à ſon âge, il vecut au moins cinquante ans. S'il reſte quelque ſcrupule à l'égard de la grande barbe, on n'a qu'à voir les portraits des hommes illuſtres contemporains de Faerno, qui tous la portoient. Les barbes de Sadoleto, Fracaſtoro, Tartaglia, Tiraquello, Varchi, Muſſo étoient-elles moins terribles, que celle de Faerno?

La troiſiéme objection ne vous paroitra t elle pas un etrange paradoxe? Pour toute reponſe je renvoye ſimplement à l'hiſtoire litteraire de ce ſiecle, & à ce qui ſe paſſoit alors à la cour de Pie IV. En effet on trouvera Faerno à la ſuite de la cour du Pape, dans le même tems qu'on prétend le placer ſi mal à propos aupres de S. Charles Borromée. Ce digne Prelat vint à Rome en 1560, & y fut revetu de la pourpre, etant encore fort jeune, ainſi que tout le monde ſait: & Faerno, que ce même cardinal cheriſſoit beaucoup, mourut peu de tems aprés, je veux dire en 1561. Cela ſuffit pour faire apparcevoir au premier coup d'oeil la futilité d'une critique, qui ne merite pas la peine d'y faire la moindre attention.

Cette diſpute litteraire m'a fait decouvrir quelques anecdotes, qui m'ont engagé à ecrire la vie de Faerno: ce que je ferai tout au pluſtôt. Quant au buſte que j'ai publié de ce grand homme, il me paroit, que cet ouvrage de ſculpture ne ſauroit étre, que de l'année 1560, ou environ. Ce fut alors que Faerno ſe rendit celebre autant par ſon ſavoir, que par l'excellence de ſon coeur: auſſi s'attira-t-il les eloges des ſavans de ſon ſiecle, qui tous furent ravis de voir un philoſophe de ce caractere à la cour d'un ſouverain.

Je vous ai écrit cette lettre en françois, comme c'eſt ma coûtume, quoique elle doive paroitre en public. Je ſerai toujours content, ſi vous y trouverez des raiſons ſolides, & convainquantes. Je ſuis avec la plus parfaite conſidération.

Monſieur.

Vôtre trés-humble, & trés-obéiſſant ſerviteur
F. Thomas Auguſtin Vairani Dominicain.

JULIO CÆSARI BONETTO
PATRITIO CREMONENSI

FR. TH. AUGUSTINUS VAIRANI ORD. PRÆDICATOR. F.

Marmoream Gabrielis Faerni civis noſtri effigiem, quæ in Muſeo Capitolino ſervatur, ænea inſculptam tabella jampridem ad Comitem Alexandrum Schinchinellium miſi, ut non minus nobilitate, quam præſtantia clariſſimi viri, ſingulare eidem accederet ornamentum. Quum vero quorundam delicatulorum oculos me offendiſſe animadverterem, quibus Faerni nomine videbatur conficta philoſophi alicujus imago liberiori ſculptoris ingenio ea gravitate donata, epiſtolam adjunxi, qua argumentum ſane feſtivum gallico, quod illi æque ac latinum in deliciis eſt, idiomate pertractavi, effecique, ut omnis tolleretur de ea re dubitatio. De Faerno iterum ſcribere aggredior, ut non ſolum oris, ſed etiam ingenii, & conſuetudinis, ac vitæ illius imaginem exprimam, quam audio a multis, iiſque literatis viris, a noſtris vero præſertim, deſiderari. Licet enim Scriptores plerique omnes ejus ævi hominem doctiſſimum laudarint, nullus tamen uſque ad hanc diem omnia perquiſivit, quæ ad illum pertinent, aut collecta ita diſpoſuit, ut uno veluti aſpectu perſpici ille poſſit, planeque cognoſci.

Epi-

Epiſtolam hac de re ad te mitto, Juli Cæſar Bonette ornatiſſime, ut hoc munuſculo perſpectam habeas aliquando obſervantiam erga te meam, & voluntatem, qua ſi quid poſſem majus, te colendi gratia, id ſane libentiſſime facerem. Sed hoc ipſum tibi pergratum futurum ſpero, quod patriæ monumentis ſummopere delecteris, multos in hac re vincens, concedens nemini. Ego vero non de illis ſolum loquor, quorum omnis ratio ſita in eruditione eſt, atque in laudatione virorum, qui floruerunt dignitate, honoribus, literis. Majora etiam ſunt, quibus evolvendis, & inveſtigandis incumbis, quibuſque ad bonum reipublicæ pro munere uteris vel tuendum, vel amplificandum, in idque omnes curas tuas, cogitationeſque confers. Quum autem eximiam cæteris ſtudiis conjunctam habeas juriſprudentiæ ſcientiam, id ſane efficis facilius, & præſtantius, ut cum in aliis, tum præcipue in interioribus conſiliis patriam ipſam mirifice juves, & ornes; quo quid in civili vita optabilius, quid cive dignius, quidve jucundius eſſe poſſit, ſane non video. Hæc ſunt, quæ Commentariolum hunc de Faerno, deque ejus ſtudiorum, vitæque ratione tibi commendant. Accedit ad hæc, pulcherrimam, quam doctiſſimi viri cernes imaginem neque a me ſcribendo delineari, neque ulla ratione perfici. Scribam enim non mea, nec ea quæ arte quadam, & eloquentia a me amplificata videantur; ſed graviſſimorum ſcriptorum teſtimoniis continenter utar, ea ſingulis locis aptando, ut veluti aliena manu totum opus plane videar confeciſſe.

De genere Faernorum nihil a noſtris aut ſcripto, aut ore proditum memoriæ eſt (*). Egregia indole Gabriel præditus, & liberaliter educatus, illa certe nobilitate, iiſque divitiis claruit, quibus ornati qui ſunt, a cæteris hominibus ſecernuntur, & veluti quodam in faſtigio collocati immortalem conſequuntur famam & gloriam, dum celeriter tamquam floſculi ii decidunt, quos non alia quam inanis apud vulgus oſtentatio, aut fluxarum rerum copia, aut vacui honoris amplitudo commendat. Atque illud quoque me latet, quid Faernus ad octavum circiter luſtrum memoria dignum egerit. Sed id mihi ſatis explorate cognitum eſt, Faernum, quum ea eſſet ætate Ro-

(*) Mercaturæ addictam familiam Faernorum referunt regeſta Archivi Cremonenſis. Extat in templo S. Auguſtini ſepulcrum Himerii Faerni, qui vivebat anno 1579., cum hac epigraphe S. D. HIMERII FAERNI ET EIUS UXORIS. Hinc coniici poteſt in Himerio, noſtri puto Gabrielis nepote, deſiiſſe Faernorum genus.

Romam ſe contuliſſe hortatu, & opera eorum, quos Cremonæ & Mediolani patronos habuit opibus, & dignitate præſtantes. Id vero contigiſſe an. 1549. Paulus Jovius ſcriptum reliquit in Epiſtola ad Hieronymum Angleriam Novocomi data die 16. Oct. 1549. his verbis: *Dite al Faernò che il ſuo Sig. Hermes* (Stampa, vel Vicecomes) *mi ha affermato averlo ajutato del viatico d' andare a Roma, e trattenerſi per un pezzo*. Sed majora Faerno officia præſtiterunt Cardinales Franciſcus Sfondratus Cremonæ Epiſcopus, & Marcellus Cervinus (an. 1555. eodem nomine II. paucis diebus P. M.) ut ſcilicet literati viri commodis, dignitatique conſulerent. Ob eam rem Marcus Antonius Flaminius lib. 6. carmine 33. edit. Veronen. an. 1740. maximas Gardinalibus illis gratias agit.

Quod Faernum hominem bonum atque doctum
Amo non ſecus atque memetipſum,
Ejus gaudeo commodis perinde
Ac meis propriis: quod ergo per vos
Summo a Principe conſecutus ille eſt
Quidquid ad bene commodeque agendam
Vitam optabat, id hercule obligavit
Me vobis ita, candidi Patroni,
Ut devinctior eſſe nemo poſſit.
At vos qua pietate jam tueri
Cæpiſtis lepidum meum ſodalem,
Eadem pietate firma ut hæc ſint,
Et perennia dona, providete.

Cum vero Flaminius, & Franciſcus Card. Sfondratus an. 1550. obierint, conſtat illa ad vitam commode agendam ſubſidia Faernum habuiſſe ſaltem anno quem dixi 1549. fortaſſe ſimul atque Romam venit. Quænam illa fuerint, quærere curioſus cæpi in Bibliotheca Vaticana: cumque oblatus eſſet liber, in quo ſumptus quidam ejuſdem Bibliothecæ ſcripti ſunt ab anno 1555. uſque ad hanc diem, oculis hæc fors objecit ipſo fere libri initio:

Conto di denari pagati di commiſſione ed ordine del Cardinal de' Nobili Bibliotecario da Federico Ranaldi.

A M. Gabriel Faerno per la ſua provviſione di Maggio 1555.
ſino a tutto Decem. 1557. *a ſc.* 5. *baj.* 50. *il meſe.* *ſc.* 176.

Sed reſtabat inquirendum diligentius, quod divinare non poteram, cujus nempe muneris cauſa Faerno, homini, ut conſtat, laico, illa conſtituta eſſet pecunia. Id vero ſum plane conſecutus opera ornatiſſimi Cajetani Marini, qui in Archivis Vaticano, & Arcis S. Angeli pro viro cl. Marino Zampino Præfecti munus gerit, & in ipſo ætatis flore ingenio, eruditione, & omnis antiquitatis ſtudio præſtans, morum ſuavitatem, comitatemque adjunctam habet ſingularem. Is igitur mei gratia regeſta ejus temporis evolvit, meque certiorem fecit in *Regeſt. Bullarum Pii IV. to.* 72. *pag.* 306. & in *diverſ. Cameral. to.*203. *pag.* 279. hæc reperiri, ſcilicet Jo: Baptiſtam Manfredi clericum Cremonenſem, medicum ac familiarem Pii IV. an. 1561. die 28. Novembris Correctorem, ac Reviſorem librorum Bibliothecæ Vaticanæ conſtitutum fuiſſe, quum Faernus morte decedens vacuum hoc munus reliquiſſet. Igitur hæc de Faerno diligenter inveſtigando certiſſime novimus: hocque illud eſſe puto, quod Flaminius commemorat beneficium, eidem ſine dubio a Paulo III. collatum. Præterea alterum offendimus civem noſtrum Manfredium, qui tamen, quum clarus eſſe potuiſſet in aula optimi, & liberaliſſimi Pontificis, turpibus vitiis gloriam etiam patriæ maculavit, quorum ut pœnam lueret in vincula conjectus eſt die 24. Jan. an. 1565, quo die Onuphrius Panvinius prædicto Correct. & Reviſ. muneri præfectus fuit decem ducatorum, ut vocant, aureorum Cameræ Apoſtolicæ ſtipendio in ſingulos menſes illi decreto. *To.*3. *pag.* 53. *Signat. Pii IV. arm.* 52.

Doctrina, & præclaro vitæ inſtituto quum Romæ explendeſceret Faernus illuſtres nactus eſt literarum fautores, liberaleſque patronos, & in primis Cardinalem Mediceum (an. 1559. Maximum Pii IV. nomine Pontificem) qui ut ſcribit Silvius Antonianus ad Cardinalem Carolum Borromæum, " humanitate & benevolentia hominem complexus, in fidem, & clientelam ſuam recepit ſic, ut ei Faernus ob doctrinam, & ſpectatos mores intimus, & cariſſimus ſemper fuerit". Igitur nihil illi optandum amplius erat, ut ad vitam commode degendam, ſic ad excolenda ſtudia, quibus attulit ab ipſa natura comparatum ingenium. Latinis literis maxime excelluit, omnemque expurgandis aureæ ætatis ſcriptis operam dedit. De hoc præclaro Faerni inſtituto hæc habet Silvius Antonianus eodem loco: " Itaque quum

quum illo Patrono ſuavi & literato otio frueretur .... ad emendandos clariſſimos latinæ linguæ auctores nimia vetuſtate, & librariorum negligentia multis maculis inquinatos ſe totum convertit: atque in hoc ſcribendi genere ingenium ſuum magna cum laude exercuit".

Acerrimum hoc Faerni, & admirabile ingenium eruditi omnes ætatis illius laudarunt, quorum teſtimonia hoc loco proferam, ea, ut ante dixi, ratione, non quaſi res a me agatur, ſed quaſi narretur. Jacobus Auguſtus Thuanus (*de Thou*, quod caſtrum eſt in Alniſio, *Aunis*, Galliar. Provincia) hiſtoriarum lib. 28. num. 31. magnopere commendat Faerni in latinis ſcriptoribus caſtigandis ſolertiam, qua excelluit, virumque appellat *literaturæ, & puritatis antiquæ*, ut habent Drovartianæ editiones. Franciſcus Franchinus Conſentinus Martem ſecutus, deinde Populoniæ in Etruria Epiſcopus, qui Poeta ornatiſſimus fuit, carmen ad Faernum dedit, quod extat lib. 4. pag. 197. Baſileen. edit. Hannibal Crucejus elegiam nomine Caroli Vicecomitis ad eumdem ſcripſit dono mittens numiſma inſculptam ipſius Vicecomitis referens effigiem. Lævinus Torrentius Epiſc. Antuerpien. lib. 2. Odarum ad amicos Faernum commendat hoc titulo, *quod vetuſtis auctoribus corrigendis nobilis eſſet*: hique ſunt poſtremi verſus

. . . .

Solers nitori reddere priſtino
Libros vetuſtos nobilium virûm
Quicumque præluxere nobis
Ingenio & locuplete lingua.
Ut morte preſſum ſi referant caput
Reddantque dignam vindice gratiam,
Majore te cenſeri honore
Arbitrio patiantur æquo.
Tu namque & illis concilias decus:
Quæque ipſe ſcribis non placeant minus,
Faerne muſarum ſub antris
Docte modos ſociare chordis.

Illuſtres dignitate & literis viros ſatis habeam nominare Gulielmum Sirletum, Hoſium Varmienſem, Othonem Truchſes, & Carolum Borromæum S. R. E. Cardinales, Marcum Antonium Muretum,

Paulum Manutium, Petrum Victorium, Julium Pogianum, Octavium Pantagatum, Franciſcum Davanzathium, ut omittam ceteros, qui magni æſtimarunt Faerni operam in re literaria amplificanda. Itaque eximia ille Romæ florebat laude doctrinæ.

Acceptiſſimus vero etiam fuit, & omnibus cariſſimus propter nativum quemdam leporem, ſuavitatem, bonitatemque ſingularem. Qua de re Vincentius Luchinius typographus Romanus ad Card. Borromæum, cui Orationes Ciceronis a Faerno emendatas dicabat: " Gabriel Faernus, inquit, vir ſumma vitæ innocentia præditus, ut tu Cardinalis ampliſſime optime noſti, cum omni liberali doctrina præſtitit, tum præcipue in corrigendis antiquorum libris omnium doctorum conſenſu ſingularem laudem tulit ". Addo Hieronymum Ghilinium, qui in ſuo virorum literatorum theatro veluti omnium nomine ſcripſit; " Tra gli uomini letterati, che ſono uſciti dalla città di Cremona, chiariſſimo ſi fa vedere Gabriello Faerno ſuo cittadino, huomo riguardevole così per eccellenza delle lettere greche, e latine, come per la ſomma innocenza di vita, e candidezza di coſtumi ".

Talis tamque clarus vir in aula Pontificis nunc a nobis eſt conſpiciendus. Cardinalis enim Medices, qui Petri Cathedram Pii IV. nomine conſcendit an. 1559. Faernum ſibi continuo familiarem voluit. Hoc loco afferam quæ Latinus Latinius ſcripſit ad Andream Maſium die 4. Martii 1560. " Sed iterum longius abripior.... Faernus tamen revocat, quaſique contemptum ſe queritur; ut eſt homo nunc in omnium deliciis, Pontificique in primis, ut antehac ſemper, carus. Nunc hominem videre & audire eſt operæ pretium. Quamquam enim non quæcumque multorum cauſa vult, eadem poteſt, laborat tamen diligenter: efficit certe aliquid; ita ut eum patronum ſibi omnes, qui modo aliquam operam literis navarint, quærant. Quare putato virum bonum nunquam carere moleſtia: noſti enim poetarum præſertim improbitatem; ne hic tibi inopiſſimorum adoleſcentium legionem commemorem ad petendum non hoſtem, ſed obſonium, ſportulamque, promptiſſimam ". Julius Pogianus Franciſco Davanzathio hæc nunciavit XII. kal. Jan. 1560. *Faernus diuturno morbo pene ſtomachum amiſerat, quem aliquando revocavit, ut Pontificias cœnas obire poſſit.*

Ita

Ita autem fuit Faernus noſter natura ipſa comparatus, ut alios adjuvaret quibuſcumque rebus poſſet. Hanc in illo vidimus indolem benignitatis ex Latinio, qui ad eundem Maſium an. 1561. ſcripſit Jacobum Noguerum Faerno id debuiſſe, quod Pontificem Max. adierit, atque humaniſſime ab eo exceptus fuerit: *Jacobus Noguera Faerni noſtri opera, & Tranenſis Cardinalis ſummo Pontifici notus eſt*. Extat de hac re & Dionyſii Athanaſii epiſtola apud Hieronymum Lagomarſinium in notis ad Epiſtolas Julii Pogiani tom.3. Ad Faernum ille ſcribens die 6. Jan. 1560. de electione Pii IV. gratulatur "per l'intereſſe publico, & per lo particolare ancora di tanti miei ſignori & padroni, de' quali V. S. sà bene, che meritamente tiene uno de' primi luoghi per li molti, & gran benefitii, che con tanta amorevolezza, & corteſia mi fece, & procurò etiandio da Sua Beatitudine nelle mie ſciagure di Roma, de' quali ho la memoria così freſca, e ripiena, che mi par, che pur hieri li riceveſſi".

De eodem Faerni inſtituto Stanislaus Hoſius Epiſcopus Varmienſis quædam habet in Epiſtola ad Latinum Latinium, cujus exemplar ex Orig. in Codice Vaticano 6201. pag. 141. laud. Cajetanus Marinus nobis ſponte ſua dono dedit: tanta eſt illius in noſtro ſtudio adjuvando humanitas, & mira quædam ſolicitudo. Epiſtolam ipſam in lucem edimus eruditorum gratia.

STANISLAUS HOSIUS LATINO LATINIO
VEL UT VERIUS DICAM LATINIORI
SIVE LATINISSIMO S.

Quid ſit quod abs te per Valentinum meum poſtulaverim pro jure amicitiæ noſtræ, brevibus in ſcheda præſentibus literis incluſa reperies explicatum verbis fortaſſe minus latinis; ſed ego dum ſum ſolicitus, ut rem conſequar, non multum verba moror. Quæſo te, ut hanc ſchedam & cum Illuſtriſſ. Card. tuo, & eodem meo, & cum Datario communices, ut quid petam, intelligant: ſimul operam des, ut voti mei compos efficiar. Majorem in modum ea re tibi me devinceris, & ero, ſi qua dabitur occaſio, de referenda gratia ſolicitus. Nihil eſt, quod hoc opere facere mihi poſſis gratius, cum quam ſit hæc res mihi cordi non ignores. Sirletum & Faernum verbis meis ſalutabis. Illi me excuſabis, quod non ſalutaverim eum priuſquam Roma diſcederem, cum fuerit diſceſſus hic opinione mea celerior: huic

huic vero dices, quod ego putabam hactenus eum eſſe judicem tantum importunorum, nunc autem video, quod ſit etiam patronus eorum. Nullos enim adjuvare patrocinio ſuo videtur alios, præterquam importunos, de quo genere, cum non ſit Franciſcus Torrenſis, cujus & pietatem, & doctrinam ſatis perſpectam, & probatam habes, nihil eſt ei, quantum video, in Faerno præſidii conſtitutum. Laudo hominem; in hoc non laudo, ſed amo nihilominus. Nam fieri poteſt, quod ipſe culpa vacet. Ex Monte Faliſco.....

Si quæ manu mea ſcripſi legere te recte poſſe cognovero, ſcribam ad vos manu mea frequentius.

Tuus Frater
Stanislaus Epiſc. Varmienſis.

Latinii ad Hoſium reſponſio IV. non. Apr. 1560. extat inter illius epiſtolas to. 3. pag. 72. De Faerno hæc reſcripſit. *Salutavi Faernum tuo nomine, legique ei particulam epiſtolæ tuæ de importunorum patrocinio. Agit ille tibi gratias de tua erga ſe voluntate. Quod autem addidiſti de Torrenſi, in eo nihil aſtute diſſimulavit, ingenue faſſus ſe ſi quemquam hominem importunum non audiendum, & dijudicandum, ſed tuendum, & defendendum unquam ſuſcepit, hunc maxime unum, atque præcipuum eſſe; in quo tamen juvando, quod potuit, bona fide præſtitit.*

Secundam fortunam ſapienter Faernus cavit, atque ut erat mira ſimplicitate, & modeſtia, ſic a divitiis, omnique honorum, & dignitatum ambitu longiſſime abfuit, nullius rei cupidus, niſi virtutis: quod Joan. Caſa notavit in Epiſtola ad Galeatium Florimontium. tom. VI. pag. 5. edit. Neapol. an. 1733.

.... . Prioluſque bonus, ſimplexque Faernus,
Prudens, & veræ virtutis cultor uterque,
Vitrea quos nunquam titillat gloria, febris
Purgatos hujus ....

Ea ſcilicet ratione Faernus ſecundis rebus utebatur, ut ad literarum ſtudia, vitæque tranquillitatem omnia converteret: ſicque in aula vitam inſtituit, ut portum ille invenerit, ubi ſcopulos alii ſæpius, tempeſtateſque offendunt. Id autem non ſolum naturæ quodam bono fecit, ſed etiam doctrina. Philoſophiæ enim ſeverioris præcepta excolebat, ſeque illum nequaquam putare beatum profitebatur, qui ho-

no-

noribus ſupponit humeros; iiſque ob *vitream gloriam* permittebat gratulationes emittere, quos eadem gloria *titillat*. Hujus rigidioris dogmatis exemplum (quod hercle ſtoicum eſt) afferam. Stanislaus Hoſius Varmienſis ad Julium Pogianum, qui Cardinalatus honorem illi gratulatus erat, reſpondens, Faerni judicium ſe magis probare ait," qui ne literam quidem unam ſcribendam eſſe duxit, qua mihi novum honorem hunc gratuletur... Quid enim ex hoc onere potius, quam honore, mihi mandato pervenit ad me præter curas, ſollicitudines, labores, vigilias, ſumptus majores, quam quos queam ſuſtinere, tum pericula multo graviſſima"? Eodem tempore Hoſius ad Latinum Latinium neſcio quæ de ipſo Faerno ſcripſerat, cui Latinius reſpondens hæc retulit. " Faernus, cui ego Epiſtolam tuam legendam miſeram, adſcripſeramque ſi quid ſuo nomine me vellet tibi reſpondere, ut me certiorem faceret, ita ad me reſcripſit. *Potes adſcribere ſalutem meis verbis, & ei dicere, ne miretur, quod ad eum non ſcripſerim gratulatorias; non enim me unquam ſolere cuiquam ob talia gratulari. Si quid haberem aliud quod ſcriberem, libenter ſane facturum; ſed nihil eſſe, ut nunc ſe res habent. Vale.* Hæc ille ad me totidem verbis". *In not. Lagomarſ. ad Epiſt. 19. Jul. Pogiani an. 1561. tom. 2.*

Ea candidi hominis libertas non diſplicebat viris in ſummo etiam faſtigio conſtitutis, & ab ambitione remotis. In his Hoſius ipſe: qui honores, & dignitates ratione æſtimans, iiſdem additum ſibi pondus ſentiebat, & nihil expetebat magis, quam familiaritatem, & amicitiam clarorum virorum, a quibus nihil, præter veſtem, ſe habere fatebatur, quod illis commune non eſſet. Quare Latinio reſpondens Faernum laudat. Cujus epiſtolam ex laud. codice pag. 124. hoc loco edere opere pretium eſt.

Quod ſcribis, tibi neque licere, neque libêre mihi veſtium iſtum ſplendorem, qui nuper acceſſit, gratulari, commune tibi eſt cum Faerno noſtro. Nam & is nullas ad me literas dedit ex quo tempore veſtibus iſtis ſplendidioribus utendi poteſtas mihi fuit conceſſa, & inter alia amoris in me veſtri argumenta, hoc quoque non minimum eſſe puto; nec amoris magis, quam prudentiæ. Recte enim judicatis, quod ſplendor hic veſtium plus animo meo perturbationis, quam voluptatis attulerit; cum agmen quoddam curarum, ſollicitudinum, laborum, vigiliarum, quin & periculorum ſecum habeat. Quibus ut ferendis par eſſe queam, Dei miſericordiam ſupplex im-

plo-

ploro, atque idem a vobis, Patre Octavio, & ab aliis piis fieri peto. Minus mea, quam Faerni veſtis felix eſſe videtur; cum tamen & mea peræque fuerit ab ambitione remota, & a gradibus illis ambitionis abſim longius, quos veſtri pedes terunt quotidie. Vellem autem abs te Faerno noſtro perſuaderi, ne me propterea minus amandum eſſe putet, quod jam ſum ſplendidioribus his veſtibus indutus, de quibus non magis quam ille fui ſolicitus. Mirum eſt, quod menſe toto, & amplius etiam, non modo literas ab eo nullas accepi, verum ne ſalutem quidem illius verbis mihi quiſquam adſcripſit. Sic ille fortaſſe offenſus eſſe videtur, quod a veſte mea me ſuperari ſum paſſus. Tu vero placandum illum curabis, & me cum ipſe carum habebis, tum hero tuo reddes in diem commendatiorem. Coram, ſi Deus volet, pluribus. Bene vale.

Ex Vienna XVII. *Aprilis a. d.* MDLXI.

Tuus Stanisl. Card. Varmien.

Itaque Faernus longe aberat a cupiditate dignitatum, & honorum; quos tamen ampliſſimos ſi voluiſſet, adeptus eſſet. Teſtem habeo eundem Hoſium Card. qui in epiſtola (laud. cod. pag. 123.) ad Latinium data ex Vienna die 18. Junii 1561., hæc de Faerno ſcribit. *Quod ille recuſare dicitur Epiſcopatum, non temere facit fortaſſis. Quid autem impediet, quominus Abbas eſſe queat? Modo ſit Abbatia talis, quæ fructus opimos afferat, unde poſſit aliis quoque benigne facere. Vellem ut eum ſalutes meis verbis, & dicas, quod paratam gratulationem habeo, ſimul ut pinguem Abbatem eſſe factum cognovero.* Faernus obiit eod. anno. Sed nullus fuiſſet, puto, gratulationi locus cum eo, qui longe aberat etiam a cupiditate divitiarum.

Imaginem Faerni noſtri jam vides, Juli Cæſar Bonette præſtantiſſime, calamo expreſſam graviſſimorum virorum, qui una vixerunt, & incolumem prædicarunt ſtudio literarum, & vitæ innocentia inter æquales nobiliſſimum. Qui tamen excellens vir quo magis florebat tempore, ſuiſque edendis ſcriptis manum admovebat, diem obiit ſupremum Pii IV. anno II. Illius mortem ſuo ſtatim Maſio mœrens Latinius nunciavit: " Faernum, inquit, xv. kal. Decemb. amiſimus, cujus morte, uti non mediocrem latinæ literæ jacturam fecerunt, ita te non mediocriter affectum iri certo ſcio. Ego amici caſum eo acerbius fero, quod labores ejus omnes in reſtituendis tot bonis aucto-

ri-

ribus, vel jacebunt ſemper, vel certe nobis, qui quinquagenarii ſumus". Extant in deliciis Poetarum part. 1. hæc laud. Cruceii carmina in obitum Gabrielis Faerni.

Dum veterum auctorum inſtaurat monimenta Faernus,
Et reddit vitæ ſcripta latina ſuæ,
Invidit fera parca, virumque ad tartara truſit:
Quodque aliis adimis, hoc tibi, dixit, habe.

Sed ne aut lectoribus tædium prolixitate pariam, aut talium virorum ſtudioſis videar brevitate deeſſe, utrique rei occurram ſubjecta Othonis Cardinalis Truchſes epiſtola, quam edidit Lagomarſinius num. 82. inter epiſtolas Julii Pogiani an. 1561. conſcriptas.

OTHO TRUCHSES CARD. AUGUSTANUS
STANISLAO HOSIO CARD. VARMIENSI

XV. kal. Dec. hora xii Gabriel Faernus ceſſit e vita, cujus mortem tibi æque ac mihi, atque adeo bonis omnibus moleſtam accidiſſe propter hominis doctrinam, & probitatem, morumque ac vitæ ſuavitatem non mediocrem, facile intelligo. Sed ad conſolationem illam communem omnibus chriſtianis hominibus ſive vivimus, ſive morimur, domini ſumus (*quod de illo ſperare debemus, cujus mors fuit vitæ conſentanea pie religioſeque actæ*) *illud præterea accedit ſolatium, quod brevi, idque ſine febri deceſſit. Triduum enim tantummodo ſibi diſplicuit, quo in incommodo moleſtiſſimum fuit linguæ impedimentum, quæ nigro quodam tumore affecta, facile id quod factum eſt, præſignificabat. Sed facilis fuit illi ea migratio minus onuſto romanis his ſarcinis, quibus ut alter cederet oneribus, ei laborandum eſſet. Quæ cura multos vel in morte magis quam ipſa mors ſollicitare ſolet. Vixit in Vrbe aliquot annos, tanquam ſi rure vixiſſet, non fuco, non artificiis, non blanditiis, non denique fallaciis præditus urbanis, illa ſua beatus ingenuitate ac probitate, ſi quicquam eſt hoc nomine dignandum in terris. Tulit ejus diſceſſum e vita graviter in primis Pontifex Max., idemque decrevit, ut omnia ejus ſcripta in lucem edantur. Multa erunt, quæ placeant, præſertim in illo jocoſo genere, ſed utili, fabularum, & apologorum. Vt in urbe loquaciſſima variæ afferuntur præmaturæ, ſi hominis conſtitutionem ſpectes, mortis cauſæ. Sed illa ne audienda quidem....*

Nihil puto his addendum, quibus Gabriel Faernus præcipuis fertur laudibus, ut hinc noſtri docto ac ſapienti cive gloriari merito de-

beant literatis omnibus, ſummiſque viris cariſſimo. Quæ ille ſcripta reliquerit nunc demum videamus.

In primiſque extant Faerni Apologi centum aureo plane ſtilo, & vario carminum genere ab illo conſcripti, *eoque lepore .... ut ex iis Terentianæ, atque Horatianæ veneres quodammodo redolere videantur*. Illorum editionem Faernus ipſe parabat an. 1560. ut ſuo Maſio nunciavit Latinius: " ei rei, inquit, nunc dat operam, ut Apologi in publicum prodeant, neque eam rem aliud moratur, niſi aptiſſimæ ſingulis fabellis conjunctæ pictæ tabulæ quibus illuſtrentur Apologi, veterumque vaſorum, veſtium, inſtrumentorumque plurimorum imagines diſcentium oculis ſubiiciantur " .... Faerno morte erepto editionem illam juſſu Pii IV. Silvius Antonianus perfecit an. 1564. typis Vincentii Luchinii, & Carolo Card. Borromæo dicavit. Qua in re, quum multa eſſet elocutus de Apologorum utilitate ad informandos puerorum mores, hæc addit. " Quæ cum ita ſe habeant... profecto optime de hominum vita Gabriel Faernus vir doctus & innocens meritus eſt: is enim ex Æſopo egregio, & antiquiſsimo auctore plurimas fabulas, nonnullas etiam ex diverſis græcis, & latinis ſcriptoribus excerptas carminibus elegantiſsimis explicavit, non ut interpres verba, ſed ut poeta ſententias, vim, acumen, leporem illum exprimens. Hac ratione factum, ut quod antea ipſum per ſe jucundum, & ſuave erat, nunc verſibus exornatum longe ſuaviſſimum ſit.... Quamobrem omnes boni, ut opinor, viri doctiſſimi ſtudium, & laborem valde probabunt, magnaſque in primis gratias Pio IV. P. M. avunculo tuo & agent, & habebunt, cujus liberalitate ad hæc ſtudia Faernus vehementer incitatus eſt ".

Repellendum hoc loco eſt mendacium, quo Thuanus injuriam non ferendam bono intulit ſimplicique Faerno. Ejuſmodi illud eſt. Eruditi, qui Apologis Faerni maxime delectabantur, lugebant adhuc deperditas Phædri fabellas. Accidit ut illas detexerit Petrus Pithœus, quas magno omnium plauſu typis edidit Auguſtoduni Tricaſſium (Troyes in Campania ol. Gallia Celtica Pithoei patria) an, 1596. Jacobus Auguſtus Thuanus quum, ut vidimus, laudibus Faernum extuliſſet, neſcio qua maledicendi libidine, eundem accuſavit, quod fabulas Phædri penes ſe habens, eaſdem ſuppreſſerit, quaſi gloriam ex illius æmulatione capturus. " Non mediocrem etiam a ſtudioſis gratiam prome-

ri-

ritus (Faernus) fabellis Æſopicis vario carminum genere expreſſis; majorem initurus, ſi Phædri, cujus ſive imitatione, ſive æmulatione luſerat, nomen aut non diſſimulaſſet, aut ſcripta quæ legerat, & penes ſe habebat, non ſuppreſſiſſet. Verum ita fatis comparatum erat, ut quem Faernus nobis invidit, eum viri optimi, & undecumque doctiſſimi fidei, ac induſtriæ deberemus "... Quæ Thuano id affirmandi cauſa fuerit, aut qui ſuſpicioni locus, plane ignoro. Nullo is certe teſte uſus eſt, nullaque conjectura. Hinc miror fidem Thuano complures adhibuiſſe, neque præcipuam innocentiæ, qua Faernus fertur, laudem id potuiſſe, ut calumniam ſtatim deprehenderent, & irriderent. Ita porro ab omni ſimulatione etiam in literariis rebus Faernus abfuit, ut Antonius Auguſtinus epiſt. ad Petrum Victorium to.7. p.191. de Philippicis Ciceronis Faerni ſtudio caſtigatis hæc ſcripſerit: *In quibus etiam admodum delectatus ſum probitate hominis, qui contra conſuetudinem multorum, ſi quid unquam tangit ingenio alieno excogitatum, ſincere id narrat, admirabilique in hoc utitur ſimplicitate.*

Iniquam Thuano accuſationem exprobravit Claudius Perrault (Perraltus) Accademiæ Pariſienſis ſocius, qui fabellas Faerni in gallicam linguam tranſtulit, & Pariſienſibus typis vulgavit. Præterea Jo. Petrus Niceronius in ſuo opere inſcripto *Memoires pour ſervir à l' hiſtoire des hommes illuſtres dans la Republique des lettres tom.*23. vanam appellat Thuani ſuſpicionem. *Monſieur de Thou, & pluſieurs autres auteurs après lui, ont accusé Faerno de plagiariſme, & ont pretendu, qu' il avoit vû les fables de Phedre, qu'il en avoit pris ce qu' il avoit jugé a propos, & qu' il les avoit ſupprimées: mais c'eſt un conte fait à plaiſir, & qui n' a aucun fondement.*

Quam hi tamen injuriam tanti non eſſe cenſuerunt, cui repellendæ operam impenderent, Lagomarſinius accerrime perſecutus eſt in not. ad laud. Epiſtolam Othonis Cardinalis Auguſtani, atque ut erat Thuano infenſus, multis illum hac de cauſa exagitavit, quæ, ut candide dicam, partim neceſſaria non erant, partim queſtionem ipſam attingere non videntur. Hoc enim illi præcipuum cum Thuano contentionis caput, quod Faernum plagii accuſaverit. Id vero Thuanus non affirmavit, qui ſcripſit Faernum luſiſſe Phædri, quem occultavit, imitatione, vel æmulatione, quæ ſane a plagio longiſſime diſtant. Illud puto præbuiſſe Lagomarſinio reprehenſionis cauſam, quod ſecunda Faerni fabula de Diis arbores legentibus quum ſimilis ſit Phæ-

drinæ lib.3. num.17., putaverit hanc a Thuano acceptam occaſionem Faernum laceſsendi. Idem etiam animadvertit, olim a Nicolao Perotto in *Cornucopiæ* editam fuiſse fabellam illam, quam ex Avieno Perottum tranſtuliſſe jamblico carmine teſtatur Scriverius in animadv. ad lib.3. Martialis. Hinc totus in eo Lagomarſinius eſt, ut comparatis his varie contextis fabellis, longe Faernianam a Phædrina, & altera Perotti diverſam eſſe oſtendat. Sed quid apparatu opus erat tanto? Aut quorſum tot verba, ut etiam cum Pithoeo contendat, quia a Thuano commendatur? Ipſa laudatæ fabulæ ſimilitudine res facillime poteſt expediri. Si enim illam in Phædro Faernus vidiſſet, nunquam ſane edidiſſet. Unicam ne ſtulto ſane plagio ſuam feciſſet, neque certe elegantiorem? Non vidit ergo in Phædro quam edidit fabellam. Igitur qui non habuit Phædrum, ſupprimere non potuit. Inquies: undenam gentium Phædri fabellam illam accepit? Reſpondeo: unde illam olim acceperat Perottus, vel ex *Cornucopiæ* ipſius Perotti. Quid vero hoc cum Thuano? Qui fabularum Faerni, & Phædri verba, ſententias, argumenta novit plane eſſe diverſa.

Faernus præterea Plautinas comœdias (Latinii verbis ipſis utar Epiſt. ad Maſium IV. id. Febr. 1555.) multis locis corruptas reſtituit... Is nunc de Terentio, Plautoque edendo cogitat. Altera eod. anno data Epiſtola VI. id. Sept. addit: "Faernus intermiſſo Livio ad Terentium abſolvendum, iterumque nova diligentia caſtigandum rediit... In Livio vero emendando... puto eum aliquot etiamnum menſes, fortaſſe etiam annos laboraturum, non ſine ſummo bonarum literarum ſtudioſorum fructu."

Illius labores in Plauto, Livioque emendando perierunt. Ut vero extaret Terentius ab illo caſtigatus, fecit Petrus Victorius, qui Junctarum typis Florentiæ excuſum illum vulgavit anno 1565., inque præfatione ad Carolum Card. Borromæum ait: " ipſe libenter ſuſcepi hanc curam, dedique operam, ut fideliter imprimeretur, ut ſervirem honori, ac laudi Faerni, cum quo, dum vixit, magna amicitia conjunctus fui". Adjunxit vero librum *de metris comicis*, quem tamen Faernus non abſolvit; " illum tamen, inquit, ipſum qualem reliquit, vel potius ipſius initium, & non contemnendi ædificii veſtibulum occultare non libuit, ne qua ingenii ipſius monimenta perirent". Eadem de re Silvius Antonianus epiſtolam dedit ad Card. Borro-

romæum. Eruditorum vero ſumma in Faerno laudando conſenſio fuit, quod Terentio nativam reddiderit puritatem. Quare Niceronius merito hæc ſcripſit. *Le travail de Faerno ſur Terence eſt preferable à celui des autres interprets du même auteur: parceque outre que cet habile critique avoit toutes les qualitès, qu'il falloit pour bien reuſſir dans la reviſion de cet auteur, il ètoit fourni d'anciens MSS., qu'il avoit examiné avec beaucoup de ſoin.*

Philippicas Ciceronis illuſtravit, ediditque, de quibus Paulus Manutius non ſemel ſcripſit ad Muretum in Gallias profectum cum Cardinali Hyppolito Ateſtio. Extant Manutii epiſtolæ in notis Lagomarſinii loco laudato. Ipſe Faernus ea de re epiſtolam dedit ad Petrum Victorium.

Scripſit in Lutheranos ſectam Germanicam, & Cenſuram emendationum Livianarum Caroli Sigonii. Denique carmina quædam omni lepore, & venuſtate condita. Antonius Teiſſerius addit Dialogos antiquitatum, & obſervationes in Catullum. *Eloges des hommes ſavans* tom. 1. (*) Li-

(*) Editiones operum Gabrielis Faerni, quas ego quidem noverim, ſingulas in gratiam eruditorum hoc loco deſcribam, eoque ordine, quem in recenſendis Platinæ, & Vidæ ſcriptis ſecutus ſum.

I. *Fabulæ centum*, vulgatæ editionibus permultis: ac primum Romæ juſſu Pii IV. Pont. Max. & opera Silvii Antoniani an. 1564. typis Vincentii Luchinii, qui librum figuris quoque centum ære inſculptis adornavit. Deinde Antuerpiæ pari elegantia, atque hoc titulo: *Centum fabulæ ex antiquis auctoribus delectæ, & a Gabriele Faerno Cremonenſi carminibus explicatæ*: apud Chriſtophorum Plantinum MDLXXXV. Præterea Lypſiæ an. 1619. cum Avieno, & Gabria.

Fabulæ eædem *variorum ſapientum ſententiis adornatæ cum epiſtola dedicatoria Silvii Antoniani* (editioni Romanæ præmiſſa) *ad Cardinalem Borromæum*. Bruxellis apud Franciſcum Foppens 1682. Recuſæ Pariſiis M. Majolii opera an. 1687. Addita deinde gallica verſione Claudii Perrault nova editio inſcripta fuit hoc modo: *Cent fables choiſies des anciens auteurs miſes en vers latins par Gabriel Faerno traduites en françois avec des remarques, & le latin à côté.* Paris 1699. Pariſiis iterum an. 1708. Amſtelodami cum figuris an. 1718. Patavii eodem anno typis Joſephi Comini, & anno 1744. quo Thomas Bettinelli Venetiis alteram adornavit editionem.

Editæ aliis in locis Faerni fabulæ. Coloniæ Agrippinæ, Londini anglico idiomate, Bononiæ, Cremonæ, Venetiis ſæpius, atque etiam italice redditæ.

Omnes ſuperat elegantia, & nitore editio Londinenſis an. 1743. in. 4. cum laudata verſione Claudii Perrault, ſinguliſque fabellis in ære affabre expreſſis.

II. *P. Terentii comœdiæ ex vetuſtiſſimis libris, & verſuum ratione a Gabriele Faerno emendatæ. In eas comœdias emendationum libri* VI. *Item de verſibus comicis*. Florentiæ apud Juntas 1565. Petri Victorii opera. Præterea Pariſiis an. 1602. *cum Ælii Donati, & Eographii commentariis, edente Friderico Lindebrogio, qui ſuas obſervationes, Gabrielis Faerni emendationes, & Jo. Calphurnii interpretationem adjecit.*

III. Liber de verſibus comicis (*imperfectus*). Hunc ex laud. Florentina Terentii editione acceperunt plerique omnes carminum Faerni editores.

IV. *Ciceronis orationes Philippicæ, pro Fontejo, pro Flacco, & in Piſonem a Gabriele*

Libet Jo: Matthæi Toſcani laudationem Pepli Italiæ lib. 3. deſcriptam ſubnectere, qua ut eruditorum de Faerno judiciis elucubratus commentariolus meus fuit, ſic hujus eleganti carmine, veluti epilogo quodam finem habeat.

Si linguæ latinæ politioris
Omnis mundities, lepos, venuſtas
Periiſſent, penituſque funditusque,
Omnino nihil ut ſuper nitoris
Foret, barbarie omnia occupante:
Pectus attamen unius FAERNI
Muſarum, & charitum manu politum
Linguæ divitias politioris
Omnes promeret, uberique vena
Flumen funderet aureæ loquelæ.
Ut non jam Ciceronis, aut Terenti,
Cultive ingenium expetat Catulli,
Cui fas ſit lepido frui FAERNO,
Cui nervi Ciceronis, & Terenti
Candor inſitus, & lepor Catulli eſt.

Verboſiorem Faernus elicuit epiſtolam. At jucunditas, & mira quædam in ſcribendo oblectatio me eſſe compulit, quam vellem, longiorem. Nihil tamen temere, aut tam leve a me dictum puto, quod iis non probetur, qui clarorum virorum notitia cumprimis delectantur; in quo te eſſe numero, optime Bonette, ſciunt qui te norunt omnes. Quare curas meas, quantulæcumque ſint, pro tuo in literas, & patriam ſtudio æqui bonique conſulturum te plane confido. Vale.

Dabam Romæ XII. kal. Junias CIƆIƆCCLXX....

le Faerno emendatæ e mſſ. Vatic. cum ejus ſcholis, & epiſtola ad P. Victorium Romæ 1563.


V. Epiſtola, qua continetur cenſura emendationum Livianarum Caroli Sigonii. Extat ſeparatim in calce Ephemeridum Patavin. menſis quintilis 1562. Franciſci Robertelli. Servantur ejuſdem exempla in bibliothecis Caſanatenſi, & Barberina.

VI. Carmina varia. Extant in deliciis poetarum T. Gruteri to. I., inter carmina poetarum nobilium Mediolani 1563., & illuſtrium poetarum Italorum, & in aliis collectionibus. Simul vero cum Faerni operibus edita Patavii, Venetiis, Londini &c.

VII. Dialogi antiquitatum, & obſervationes in Catullum. Hæc Faerni opuſcula, quæ Teiſſerius memorat, edita non ſunt, & mſſ. reperire nunquam potuimus.

IGNA-


GREGORIVS XIV SFONDRATVS CREMONENSIS
ROMA BREVI TENVIT


GREGORIVS · XIIII ·
PONT · MAX

IGNATIO MARIÆ FRAGANESCHIO

CREMONÆ EPISCOPO

FR. THOMAS AUGUSTINUS VAIRANI ORDINIS PRÆD. F.

CRemonenſes hoc Gregorii XIV. monumento gloriantur, quod extat in templo Vaticano, non quidem artis præſtantia (nemo enim unquam de illo exornando excogitavit), ſed talis viri, qui in eo conditus eſt, amplitudine ſplendidiſſimum. Illud vero ut tibi potiſſimum nuncupetur, Illm̃e & Rm̃e Præſul, non mea ſolum erga te ſingularis obſervantia facit, ſed tua ipſa dignitas poſtulat jure quodam ſuo. Cremonenſi enim Eccleſiæ diu ille ſanctiſſime præfuit, quæ quinque abhinc luſtris te quoque Paſtorem habet generis nobilitate, charitatis officiis, pietate, ac vigilantia præſtantem. Florente Sfondratia ſtirpe Nicolaus (quod illi nomen fuit) generatus, ingenio, integritate vitæ, famaque virtutis ita claruit, ut magnus omnium judicio vir haberetur; quæ cauſa fuit, ob quam, ipſo ne minimum quidem adnitente, ad altiores Eccleſiaſtici ordinis gradus evectus, demum Petri Cathedram, qua nihil eſt in terris ſublimius, communi gratulatione conſcenderit. Spero autem non injucundum civibus noſtris futurum ſtudium hocce qualecumque meum, dum tanti viri monumentum in lucem revocare conſtitui, quod etiam hoc tempore neceſſarium vide-

detur. Multæ enim cauſæ inciderunt, quæ hujus patrii ſplendoris memoriam fortaſſe turbarunt. Nam Sfondratia gens Gregorii temporibus Mediolani florebat; exteri præterea quamplures ſcriptores non ſolum Pontificem, verum etiam illius avum, proavumque Mediolanenſes dixerunt: denique ex ea ſtirpe ſuperiore ſæculo, ſi habenda Morerio fides (*), extincta, jam nullus ſuperſtes eſt. Igitur ne occaſio hujus rei declarandæ dimittatur, illud in primis præſtandum eſt, ut Gregorii Pontificis notitia, quæ edito monumento excitatur, ſit cum patriæ illius inveſtigatione conjuncta.

Nobiliſſimum Sfondratiorum genus eſt Cremonæ antiquiſſimum, & rerum præclare geſtarum memoria præſtantiſſimum. Sæculo XIII. ingenii, & doctrinæ opinione ſplendeſcebat Matthæus, qui diem obiit ſupremum anno 1315., cujus ſepulcro in Templo S. Pauli ejus urbis hæc inſculpta leguntur. MATTHÆO . SFONDRATO . PHILOSOPHIÆ . ET . ASTROLOGIÆ . PROFESSORI . CLARISSIMO . QVI . IN . PATRIA . MVLTVM . ELABORAVIT . HIC . TANDEM . QVIESCIT . HÆREDES . MŒST . NE . MEMORIA . TANTI . VIRI . DEPERDERETVR . HOC . P . M . VIXIT . AN . LXXVI . MENS . IX . DIES . XXIII . OBIIT . XV . KAL . APRILIS . A. D. MCCCXV.

Eadem ætate inter aulæ Romanæ Præſules ſedente Clemente V. claruit Ferdinandus Sfondratus. Singulos tamen a ſtirpe ad hanc ætatem ordine enumerare non eſt neceſſe.

Id vero notandum hoc loco diligenter eſt, ſingulare urbis noſtræ decus ſemper fuiſſe, ut in ea legum ampliſſima ſtudia florerent. In aliis quoque lyceis, ad quæ accerſebantur, atque in primis Venetorum, Bononienſium, Peruſinorum, aliarumque complurium Italiæ urbium Juriſconſulti Cremonenſes maxima doctrinæ, eruditioniſque laude floruerunt. Hinc cœtus ille Cremonæ antiquiſſimus, & hac noſtra etiam ætate clarus, cui nomen dant ex civibus nobilibus, qui legum ſcientia, ac peritia pollent. Cautum vero eſt, ne quiſquam in

(*) Fallitur Morerius. Tres Sfondratiæ ſtirpis propagines equidem deſierunt ineunte ſæculo XVI., de quibus mentionem facit Antonius Campi, earumque domos ipſas indicat in Topographia urbis Cremonæ. Quæ vero Mediolanum cunabula ætate ſupra dicta tranſtulit, adhuc viget in Carolo Joſephi filio genere non minus claro, quam literarum, & eruditionis ſtudio, equiti velleris aurei, ac nobili Veneto, multorum feudorum Domino, pluribuſque nominibus illuſtri in Aula Imperiali, & Sereniſſimi Ferdinandi Archiducis Auſtriæ, & Longobardiæ Gubernatoris. Morerio hæc fortaſſe fuit erroris cauſa, quod Carolus V. Comitatum vulgo *della Riviera* Paulo Sfondrato Franciſci filio quum contuliſſet, eo deinceps nomine Sfondratia gens appellari conſuerit.

in eundem cœtum veniat, qui patriam Cremonam non habeat. Sed ad propoſitum revertamur.

Pleroſque ex Sfondratorum gente illi collegio adſcriptos comperio, inter quos Federicum, & Nicolaum fratres commemorabo, quorum virtute nobilitas majorum, & gloria aucta fuit. Extat uſque ad hanc diem eorum ſepulchrum in æde S. Dominico ſacra cum inſcriptione hujuſmodi: HOC. EST. SEPVLCRVM. SPECTABILIVM. ET. CLARISS. I. V. DOCTORVM. D. D. FEDERICI. ET. NICOLAI. NECNON. IO. CAROLI. FRATRVM. DE. SFONDRATIS. ET. HÆREDVM. SVORVM. M. CCCCLXXX.

Hac ipſa ætate Bartholomæus Cremona profectus, neſcio quo ductus conſilio, ſed bono certe omine, Epidaurum, quam urbem Raguſium dicimus, conceſſit, ibique humanas literas docuit. Quum autem virtute apud egregios liberæ illius gentis cives, & apud Federicum III. Imperatorem gratia multum valeret, accidit, ut quæ inter eoſdem, & Cæſarem erat, diſſenſionem ipſe feliciter compoſuerit. Benemerito referentes gratiam, a ſecretioribus Reipublicæ arcanis Epidaurienſes Bartholomæum eſſe voluerunt. Eo autem in munere obeundo tanta fuit hominis integritas, & prudentia cum ſumma pietate conjuncta, *ut eo defuncto publica ſanctione perpetuis temporibus valitura majoribus ipſius Bartholomæi maſculis officium illud hæreditario jure demandatum fuerit*, *quod impræſentarium* (an. 1520. quo hæc ſcribebat Cremonæ Jo. Crottus) *Hieronymus .... latina lingua perpolitus paterna integritate prudenter adminiſtrat*.

Ex Sfondratiorum autem gente unus multo cæteros anteceſſit Baptiſta (Bartholomæi minorem natu fratrem puto) qui cœtum J.C. patriæ ingreſſus eſt an. 1475. Hunc cives Mediolanum Oratorem miſerunt ad Ludovicum Sfortiam Inſubriæ Ducem, qui virum ingenio, prudentia, & magnitudine animi præſtantem ſummo in pretio habuit. Nam civitate illum donavit Mediolanenſi, & Senatorem dixit, atque ad Herculem Ferrariæ ducem, ad Ferdinandum Hiſpaniæ, & Carolum Galliæ reges, atque ad ſummos Pontifices Innocentium VIII. & Alexandrum VI. legatum miſit. Venetiis vita functus eſt an. 1497. ætatis 36., quum ejuſdem Ludovici nomine legatione ibi fungeretur. Quibus ab illo præclare geſtis magna genti ſuæ dignitatis, & gloriæ acceſſio facta eſt. Sepulcro conditus fuit in Templo Fratrum Prædicatorum S. Mariæ Gratiarum, inque la-

pide priora verba exſculpta hæc ſunt. BAPTISTA . SFONDRATUS . QVO . CIVE . CREMONA . QVO . ALVMNO . TICINVM . STVDIORUM . PARENS . QVO . SENATORE . LVDOVICVS . MEDIOLANI . DVX . PRINCIPVM . SAPIENTISSIMVS . VTEBATVR .

Natus Baptiſtæ ex Margarita Signorolia Mediolanenſi Franciſcus Gregorii XIV. pater. Cremonæ autem lucem illum vidiſſe ſcriptores fere omnes tradunt, quamquam nullo diu Baptiſta conſtiterit loco, tot legationum munere functus. Patrio J.C. Collegio illum adſcriptum die 11. Sept. an. 1520. memoriæ proditum eſt, qua occaſione laudatus Jo. Crottus edita oratione cum ipſius Franciſci, tum univerſæ Sfondratorum familiæ Cremonæ foriſque clariſſimæ glorioſa geſta complecti curavit. Commemorandum iterum eſt, antiquiſſimo patriæ noſtræ inſtituto, quod uſque ad hanc diem ſervatur, neminem niſi civem, cumque equeſtris ordinis in iſtud Collegium cooptari: quo uno apertum omnibus fit, Franciſcum Sfondratum Cremonam patriam non minus habuiſſe, quam cæteros qui Collegio illi ante ipſum adſcripti fuerunt. Senatoria dignitate ornatus, & Aulici Conſiliarii munere auctus Franciſcus fuit a Carolo V. Imperatore. Singularis autem prudentiæ, ac miræ perſpicacitatis argumenta cum ſæpe dedit, tum præcipue in componendis turbido tempore Senenſium rebus. Habuit in matrimonio Annam Vicecomitem, ex eaque filios omnino duos, Paulum, noſtrumque, qui fuit Pontifex M., Nicolaum. Cum vero illa ex conſpectu hominum morte deceſſiſſet, Franciſcus ad Eccleſiaſticum Ordinem tranſiit. Non ita multo poſt Paulus III. R.P. illum ad ſe arceſſivit, Epiſcopum eſſe voluit Sarnenſem, Legatumque miſit ad comitia Spirenſia, & ad Carolum V. Imper. primum quum Archiepiſcopatu Amalphitano auctus, atque iterum creatus Cardinalis, quum eſſet, quod ei contigit an. 1544. Quibus graviſſimis eximia cum laude perfunctus muneribus, talem ſe præbuit virum, & Paſtorem in Eccleſia, qualis fuerat domi paterfamilias, & a conſiliis Imperatoris in Reipublicæ negotiis adminiſtrandis. Obiit prid. Kal. Aug. an. 1550. æt. 57. Cremonenſem gerens Epiſcopatum poſteaquam ſuffragium & ipſo ferente, Julius III. Pontificatum cepit univerſæ Eccleſiæ. Sepulcri illius monumento in majori æde ſacra erecto inſcriptio inſculpta fuit, cujus hæc ſunt verba poſtrema .... MORTEM . OBIIT . AN .

AN. MDL. CREMONÆ. PATRIÆ. EPISCOPVS. NICOLAVS. ET. PAVLVS. EXIMIA. PIETATE. PRÆDITI. FILII. HOC. M. PP.

Pervenimus ad Nicolaum Franciſci filium, & ſummum Gregorii nomine Pontificem. Quo natus fuerit loco plane compertum non habeo; patria Cremonenſem dico: alii judicent. Scribit Ariſius, Annam, quum illum geſtaret in utero, *Summam*, quod oppidum eſt familiæ Vicecomitum in agro Mediolanenſi, profectam matris ſuæ Magdalenæ viſendæ gratia, quæ ibi forte ægrotabat, in morbum ipſam incidiſſe, quo periit die 11. Februarii an. 1535. Cæſo ſtatim matris utero in lucem Nicolaus eductus eſt menſe ſeptimo poſtquam conceptus fuerat. Literarum ſtudiis primo operam dedit Florentiæ; deinde Ticinum venit, ubi J. U. Doctor inauguratus eſt. Senatoria mox ornatus dignitate in Etruriam contendit, ut rerum Senenſium curam gereret. Sed honoribus dimiſſis, qui tum illi habebantur, & majorum quos aula pollicebatur, abjecta ſpe, in Eccleſiaſticum Ordinem cooptari voluit, & Carolo Borromæo Cardinali qui omni virtutum genere excellebat, ſe totum tradidit, ut in diſciplina Eccleſiæ erudiretur, qua mirum in modum nobilitatus deinde fuit. Hæc brevi tempore acta omnia. Nam vigintiquinque annorum quum eſſet, Epiſcopum Cremonæ datum accepimus anno 1560., id munus dimittente Federico Card. Cæſio. Legitur apud Ariſium epiſtola Nicolai Mediolano data ad optimates Cremonenſium die 23. Martii, quibus, quum ea de re omnium Ordinum nomine quam maxime gratulati eſſent, reſpondit plurimas agens gratias, ſibique cognitam eſſe ait illorum erga ſe obſervantiam, & apprime bonam voluntatem: addit vero. *Non ſi potea ſperar altro da un popolo così generoſo, e da così prudenti reggitori d' eſſo verſo un loro cittadino, e compatriota. Pregarò Dio, che mi preſti grazia di uſare queſta dignità ad honore del ſuo ſanto nome, ed utile della commune patria*. Non ego, ſed ipſe patriam ſuam Cremonam dicit. Palam eſt Mediolanenſium teſtimonio, quod ab eodem Ariſio profertur, id plane confirmari. In libro enim *Conſtitutionum*, quibus illorum regendæ civitatis, totiuſque Provinciæ ratio continebatur, denuo Novarienſibus typis edito an. 1571., nomina recenſentur Senatorum, quos inter *R̃mus D. Nicolaus Comes Sfondratus Cremonen. Epiſcopus Cremonen*.

Eccleſiæ ſibi commiſſæ res adminiſtrandas ſuſcepit tanto religionis, pietatis, & diſciplinæ ſtudio, ut fuerit Caroli Borromæi egregius imitator. Andreas Victorelli apud Joannem Palazzi hæc de illo ſcripſit: *Cremonenſem Eccleſiam regens Nicolaus ad univerſam Chriſtianam rempublicam regendam ſe exercebat, nullis parcebat laboribus, depravatos corripiebat mores, verbo, & exemplo gregi commiſſo iter ad æterna bonorum paſcua oſtendebat.* Concilio Tridentino interfuit ſub Pio IV., multa in illo præclare geſſit, eidemque ſubſcripſit. Cremonam reverſus ædem extruxit, quam Seminarium dicimus, in qua Clerici educarentur, acceptaque a Carolo Borromæo ſtatuta ſancte ſervarentur. Ut Clerici Regulares Theatini domum Cremonæ haberent, ipſe effecit. Primam diæceſanam Synodum celebravit an. 1582. Hæc ut fuſius efferam epiſtola non patitur, quæ eſt commemorando fortaſſe longior.

Nicolai non minus doctrinam & pietatem, quam præclara in Eccleſiam merita Gregorius XIII. ſuſpicens, ſacro Cardinalium Collegio illum de tali re ne cogitantem quidem adſcripſit an. 1583. Poſt non multo comitiis Cardinalium interfuit, quæ Sixti V. immortalis memoriæ Pontificis electione abſoluta fuerunt. Quum vero Romam denuo eadem de cauſa veniſſet an. 1590., & electum Urbanum VII. tredecim poſt dies, in luctum ſubito converſa aulæ lætitia, mors eripuiſſet, tertio Conclave ingreſſus univerſæ Eccleſiæ Principatum ſibi traditum Nicolaus quaſi invitus ſuſcepit die 15. Decembris ejus anni, & Petri Cathedram Gregorius, hujus nominis XIV. nuncupatus, feliciter conſcendit.

Oritur hoc loco quædam de illius patria, quam Cremonam dixi, ſuſpicio, quæ, niſi tot argumentis probata res eſſet, adverſus nos valeret ſane plurimum. Quum enim electo Pontifici exultantium Cremonenſium, & Mediolanenſium plauſus, & vota primi Magiſtratuum Ordines, cum datis literis, tum etiam Cremona ſex miſſis legatis (*) nunciare voluiſſent, fertur, nec Cremonenſes Pontifici, neque hunc illis, quod efferrendum maxime erat, de communi patria verbum ullum feciſſe: Mediolanenſes contra Civem illum

(*) Legati a Cremonenſibus ex Conſilii ſententia electi die 10. Decembris an. 1590. hi fuerunt. Homobonus Offredi, & Jacobus Mainoldi doctores Collegii Juriſperitorum, Comites Sigiſmundus Ponzoni, & Jo. Bapt. Stanga, ac demum Alexander Melius Lupus, & M. Antonius Peſcius.

lum dixerunt ſuum, & Gregorius id ipſum plane affirmavit. Sed res ſe ipſa aperit, maxime ope hujus monumenti quod afferam. Publicis enim VIII. Kal. Jan. MDXC. literis, quas Legati Cremonenſes obtulerunt Pontifici M., Rectores urbis omnium civium nomine ita Pontificem ipſum ſunt allocuti: *Quid ad omnem poſteritatis laudem illuſtrius nobis accidere poterat, quam cum intuemur ex familia Sfondrata noſtræ urbis & antiquitate, & claritate primaria* &c. Itaque Cremonenſes non prætermiſerunt quæ de patria Gregorii XIV. commemoranda erant. Quod vero non affirmavit Pontifex, non item negavit; ſed qui in Mediolanenſi provincia natus erat propter acerbam, quam narravimus matris mortem, & Mediolani eadem qua Pater, & avus, Senatoris dignitate functus fuerat, Mediolanenſis haberi maluit ſine ulla Cremonenſium offenſione; hujuſque rei ſunt exempla quamplura.

Sed de Gregorii XIV. patria ſatis. Hæc vero, quam Cremonam dico, non arte quadam mea, aut verborum fuco, ſed ipſis hiſtoriarum monumentis, & ſimplici rerum enarratione veluti ſponte ſua dubitantibus in conſpectum venit.

De rebus ab illo geſtis dicam non ita ſane uti dici poſſet. Multa enim fecit hiſtoriis mandanda, quamquam ſupremum diem obierit menſe undecimo poſtquam univerſæ Eccleſiæ Pontificatum cepit. Commemorabo quæ pro epiſtolæ more dici paucis verbis poſſunt. In primis talem ſe præbuit Pontificem, ut non ſolum imperii, quod benevolentia tenuit, majeſtate non efferretur, ſed contra ſumma humanitate omnes complecteretur, illoque nihil eſſet modeſtius. Quum autem initio adverſa ſtatim valitudine laboraret, multiſque conflictaretur corporis doloribus, animi virtutem hilaritate oris indicabat, Gregorii Magni exemplo dolores exiſtimans *dona eſſe potius, quam flagella*. Gregorium vero eundem imitatus, curas, labores, ac omnia Pontificatus munera debilis, ac pene infirmus obivit, ut in ea re omnes illum maxime admirarentur (*). Cremonenſibus ſuis ma-

(*) *Benedictionem Agnorum* Dei Gregorius XIV. diebus Paſchatis perfecit. Auguſtinus Cardinalis Valerius Veronæ Epiſcopus, qui tum Romæ verſabatur fere in diebus paucis quibus illa acta fuit, commentarium ad ipſum Pontificem dedit *de Benedictione agnorum Dei* inſcriptum, quem nuper Præſul doctrina & eruditione cl. Stephanus Borgia S. Congregationis de propaganda fide a ſecretis illuſtravit, ediditque occaſione ejuſdem ſacri ritus quem SSmus Dñus noſter Papa PIUS VI. in Paſchate anni 1775. publi-

majorem quamdam dignitatem ipſe attulit. Nam eorum Eccleſiæ Canonicos inſignius ornari voluit, veſte eadem, quam gerunt Canonici S. Petri in Vaticano. Collegio præterea J. C. Cremonenſium, cui majorum ſuorum plures adſcriptos fuiſſe diximus, id honoris contulit, ut in ipſum adlecti omnes in Comitum, & Equitum numero haberentur. Pii V. decretum probavit, & confirmavit, quo cautum eſt, ne ullæ poſſeſſiones detrahantur Sedi Apoſtolicæ; atque Alphonſo II. Ferrariæ Duci poteſtatem, qua domus ſuæ hæreditatem, quæ ad eandem Sedem pertinebat, alio transferre valeret, negavit. Cardinales ex ordinibus Regularium aſſumptos pileo rubro decoravit, ſuiſque ille manibus Michaelem Bonellum, & Hieronymum Bernerium Ordinis Prædicat., Conſtantium Buccafocum Ord. Min.

blice celebravit. In illo commentario Cardinalis Valerius Pontificem Gregorium alloquitur, ejuſque virtutem, quæ ſumma plane in patientia fuit, commendat his verbis.

Graviſſima eſt illa ſententia, & Gregorio I. ſummo Pont. digna: dona potius ſunt, quam flagella dolores, quibus delicta purgamus, & dolores in hoc ipſo ſolum vehementer placent, quia placere in hoc mundo aliquid non permittunt.... *quam uſurpas tu ſæpe Gregori decimequarte: uſurpaſti proximis Conſiſtoriis, cum multos dies ab initio Pontificatus tui adverſa valetudine, febri etiam variis cum doloribus, magno cum ſacri Collegii & totius urbis mœrore laboraveris. Hæc verba tantum prædeceſſoris tui ſanctiſſimi patris, cujus nomen refers, cujus ſanctiſſimam vitam tibi imitandam propoſuiſti, in cujus imagine ſæpe conſpicienda in tuo cubiculo delectaris, cum voluptate ſæpe commemoras; ſed conſtantia animi, crebra invocatione nominis Dei, intima etiam cordis, quod mirabile eſt, hilaritate, quam indicas ſæpe oculis, eandem quam commemoravi ſententiam probas. Accipis enim tu a rerum omnium moderatore Deo, a clementiſſimo patre noſtro, qui paterno amore orbis terræ rempublicam gubernat, & Principum, Regum, Pontificum in primis ſummorum, qui ejus vicem gerunt in terris, animos moderatur, dolores tanquam dona: ad altiſſimam illam ſedem evectus moderationem retines animi, & egregiam potius virtutum omnium eccleſiaſticarum matrem, & altricem humilitatem.... Tu Decimequarte Gregori Primi Gregorii imitatorem proximis diebus te oſtendiſti, cum corpore valde debilitatus, & maximis doloribus afflictus, tibi ipſi addideris animum, feria quinta ſacræ hebdomadæ, ſanctiſſimo itidem die Paſchatis, etiam præter medicorum voluntatem, e lecto ſurgere, & populum tuum, urbemque Romam benedicere infirmo corpore, & voce non ſatis valida cum lacrymis volueris; admirabili pietate tua incredibilem in omnibus, qui oculos in te conjecerant, devotionem excitans. Adjeciſti etiam animum, vim corpori tuo faciens, divino, ut omnes putamus, adjutus ſpiritu, ad Agnorum Dei benedictionem, qua primo ſui Pontificatus anno Romani ſinguli Pontifices populum Dei recreare, & ad pietatem excitare conſueverunt. Veſte tu candida, ſereno vultu, oculis ſuam lætitiam præſeferentibus te adeuntibus præbuiſti: Cardinales omnes, quos mira benignitate, & paterno amore complecteris, quatuor dierum ſpatio ad ſacram illam functionem invitaſti, qui agnos Dei cereos mirabili artificio ad inducendam devotionem effictos aqua benedicta ſacro permixta chriſmate tecum abluerent; tum convivio perhumaniter excepiſti.*

Idem Card. Valerius opuſculum paulo ante dederat *de Conſolatione ad* GREGORIUM XIV., cujus exempla rariſſima ſunt. Illud ut hoc loco ederem romanas fruſtra perluſtravi, aliaſque in Italia celebriores bibliothecas amicorum opera. Quod edam tamen, ſi forte antea reperero, quam hoc volumen perfectum, vulgatumque ſit.

Min. S. Franciſci Conventualium, qui etiam Sarnanus a patrio ſolo in Piceno appellatus eſt, & Gregorium Petrochinum Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini eodem ornavit. Inopiam Urbis publicam levavit, & populum donari juſſit millies centies nummis aureis, quos ſcutata vocant. Maximo Religionis tuendæ ſtudio flagrans motus Calvinianorum in Galliis repreſſit, ſeveritate uſus, ubi benignitas locum non habuit. Quum mente majora agitaret, morbo conſumptus fato communi ceſſit Id. Octobris an. 1591. Extat in ejus funere habita Oratio ad Cardinales a Vincentio Blaſio Garcia Valentino apud Alphonſum Ciacconium ex Ordine meo Patriarcham Alexandrinum, qui de Romanis Pontificibus, & Cardinalibus accurate ſcripſit.

Hæc vero ſi minus apte conſcripta a me ſunt, Ignati Præſul ampliſſime, ſtudii tamen, quo cum patriam proſequor, tum te ipſum maxime colo, velut monumentum quoddam accipias velim. De Magiſtro S. Palatii avunculo meo, cujus ſumma eſt erga te obſervantia, & mira voluntas, hac præcipue cauſa mentionem faciam, & quia jubet te plurimum valere. Senex firmo adeo ille eſt corpore, & alacri animo, ut nihil ſupra: quod ſingulari Dei beneficio tribuendum eſt; idque ipſum tibi a Deo O. M. cupidiſſime precor. Vale.

Dabam Romæ prid. Kal. Auguſti 1774.

DEO TRINO VNI

PAVLO SFONDRATO CARD. EPISC. ALBAN.
GREG. XIV. FR. FIL. BONONIEN. LEGATO
SIGNATVRÆ GRATIÆ PRÆFECTO
CREMONEN. PRÆSVLI PIETATE IN DEVM
DIVOSQVE ANIMARVM STVDIO
CHARITATE IN PAVPERES
PLANE MEMORANDO

QVOD SANCTÆ CÆCILIÆ CORPVS
INSIGNI SEPVLCRO LVMINIBVS AD
CENTVM PERPETVO COLLVCENTIBVS
TERRESTRI PROPE CŒLO DECORAVIT
TEMPLVM EXORNATVM
SACERDOTIBVS MINISTRIS PRETIOSIS
VASIS ET RELIQVIIS AVCTVM
HÆREDEM EX
ASSE RELIQVIT
QVODQVE OMNEM EIVSMODI RERVM
MEMORIAM VIVENS REPVLIT
DEMORTVO ANNO ÆTATIS LVII. SAL.
MDCXVIII

ODOARDVS CARD. FARNESIVS ET
AVGVSTINVS PACINELLVS SENEN.
TESTAMENTARII EXECVTORES

P. P.

JOANNI CALVIO

DOCTORI REI MEDICÆ IN ACADEMIA PISANA

FR. TH. AUGUSTINUS VAIRANI ÓRD. PRÆDICATOR. F.

MOnumento Gregorii XIV. hoc alterum omnino erat adjungendum, quod Paulo Cardinali ejus Fratris filio Romæ poſitum fuit in Templo S. Cæciliæ. Nolumus autem hoc loco de illius patria quæſtionem habere. Qui rem omnino exploratam habeat, præter te, Calvie optime, inveniemus fortaſſe neminem. Tu enim Mediolani quum eſſes medica facultate clarus, nobiliſſimos Sfondratos majorem in modum colebas. Cognovi autem ex tuis literis, te ab hujus familiæ ſtirpe ad hanc ætatem, omnium, qui ex eadem prognati ſunt, notitiam habere. Nam ſingulos fere enumeraſti, notans qui, a quo ortus, quos honores, quibuſque temporibus aſſecutus fuerit. Igitur gaudeo te aſſertorem ſimul habere, & defenſorem eorum, quæ de Cremonenſi Sfondratorum familia jampridem diſſerui. Præterea ut hanc tibi epiſtolam darem effecit obſervantia erga te mea, quam aliquo monumento palam facere exoptabam. Jam ſextus vertit, & decimus annus, ex quo delectus fuiſti, ut in Academia Piſana medicæ facultatis cathedram primo loco moderareris. Nuper vero præclaram lucubrationem typis edidiſti late, & accurate per-

ſcribens, quæ ad originem, & incrementum, atque Præfectos horti botanici ejuſdem Academiæ pertinent. Quo fit, ut te ipſum, & patriam ornes, tibique eruditi omnes gratulentur. Sed propoſitum perſequamur.

Paulum Sfondratum, de quo dicere inſtitui, una cum altero fratris filio Gregorius XIV., quum Cremonæ gereret Epiſcopatum, e domo eduxit a parvulis in Seminarium a ſe extructum. Evangeliſta Doratus civis noſter Congregationis de Somaſcha cl. alumnus Gregorio acceptiſſimus (1) Seminarii præfectus ab ipſo fuerat conſtitutus, qui ut erat doctrina, pietate, & prudentia præſtans, adoleſcentibus inſtituendis operam feliciter collocabat. Idipſum legi in libro Jacobi Cevaſchi cui titulus *Somaſca graduata &c.* verbaque ipſa hæc ſunt. *Nicolò Sfondrati Cardinale, e Veſcovo di Cremona, li di cui Nipoti, e Seminario erano ſtati riempiuti dall' uom di Dio di ſante maſſime, e di una perfetta criſtiana educazione &c.*

Paulus deinde Romam miſſus apud Presbyteros Oratorii Vallicellenſis S. Philippi Nerii commoratus eſt. In quodam mss. apud eoſdem recenſetur inter Convictores anno 1577. ejus ætatis XVII. Præfectus illius domus erat Thomas Bozius Eugubinus, qui ibi ſancte educatum Paulum noſtrum (cui ipſe nomen etiam Camilli, alii Æmilii tribuerunt) commemorat in Epiſtola, qua eidem dicavit opus *de ſignis Eccleſiæ Dei*, quod Romæ typis edidit anno 1591. Indole præditus excellenti virtutes, quæ præſertim virum religioſum, & Eccleſiæ miniſtrum decent, cum a Dorato, tum a Presbiteris ejuſdem Oratorii, Deo incrementum dante, ſinu, ut ita dicam, ultro excepit, coluitque, ut ad ampliſſimas dignitates plane natus videretur. Id denique comprobatum eventu eſt anno 1590. quum ejus patruus ſummus Eccleſiæ Pontifex electus, eum XIV. Kal. Jan. creavit titulo S. Cæciliæ Presbyterum Cardinalem. Ad tantam dignitatem evectus, ac veluti raptus, intellexit ſimul magnam ſibi impendere rerum gerendarum molem. Nam Gregorius adverſa ſtatim valetudine cepit laborare: quo factum eſt, ut Paulo pene ſummas Imperii tradiderit, de cujus ingenio, prudentia, & humanitate dubitare non poterat. *Maximam porro Chriſtianæ Reipublicæ partem ſuis humeris ſuſtinuit*, inquit Antonius Boſius in libro hiſtoriæ paſſionis S. Cæciliæ &c., *& nihil ſummæ poteſtatis, imperiique magnitudine ela-*

elatus, *cum ſingulari rerum gerendarum prudentia admirabilem conjungebat humanitatem*.

Gregorio vita functo menſe Pontificatus XI., Paulus Sfondratus *ad rerum divinarum ſtudia*, ait idem Boſius, *ſe contulit. Protinus enim, quaſi oneroſa ſarcina, divitiarum multitudine rejecta, eiſque in pauperes liberali dextera erogatis, nobilem ſibi omni genere ſacrorum in primis monumentorum refertam bibliothecam comparavit, quam quidem aſſidue reviſens, nocturnaque, & diurna manu excutiens.... præcipue hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſtudio tenebatur, quod ad bene beateque vivendum illuſtribus exemplis animum moveri ſentiebat; illique non majori curæ erat noſſe quæ alii docuerint, quam quæ fecerint, imitari*. Sic denique ſtatuit, ut ſtudio uteretur ad agendam vitam, & viros in primis doctrina morumque integritate præſtantes cariſſimos, & amicos haberet ob morum ſimilitudinem.

Quo tempore S. Cæciliæ titulo donatus fuit, animo meditabatur reſtaurare, atque exornare ſacram ejus ædem nulla, aut ſane deformi architectura vetuſtis temporibus extructam. Præterea flagrare cæpit cupiditate detegendi, conſpiciendique corpora Sanctorum ipſius Cæciliæ Virginis & Martyris, Valeriani, Tiburtii, & Maximi pariter Martyrum, quæ in eadem a Paſchali Pont. M. condita fuiſſe memoriæ proditum erat. Quum igitur manum operi admoviſſet, & ad Aram maximam aptum extrui juſſiſſet ſervandis Sanctorum reliquiis locum, quas argenteis, & aureis vaſis incluſerat, eaque de cauſa effodi aream neceſſe eſſet, *nihil ſe abſente moveri voluit*, inquit laud. Boſius, qui in appendice ejuſdem libri narrat qua ratione corpora eadem detecta, & cognita tum fuerint, *quia ſe inventurum ſperabat prædicta corpora, quæ in eo loco eſſe pluribus conjecturis ad credendum adducebatur. Anno 1599. III. Kal. Nov. quum ipſe coram adeſſet, dirui pavimentum juſſit, quo excuſſo, & ſubjecta humo egeſta duæ marmoreæ arcæ apparuerunt. Teſtes accerſiri juſſit, detectiſque arcis, reſeratiſque, in prima parva ſenos palmos longa, unum & ſemis lata, binos alta, S. Cæciliæ corpus reperiit; in altera majore capſa corpora Sanctorum Valeriani, Tiburtii, & Maximi. Sub arca S. Cæciliæ alteram invenit duorum Pontificum Urbani, & Lucii*. Hinc Paulus Cardinalis ingenti lætitia efferri, illico factum vulgari, magnuſque fieri ad illum locum ex tota Urbe concurſus.

Clemens VIII., qui tum univerſam regebat Eccleſiam, recognita Baronii Cardinalis opera, exuvias Cæciliæ, aliorumque Martyrum in ipſo Templo ſemel ac iterum veneratus eſt. Comparata autem ſuo ſumptu arca argentea pondo librarum CCLI., diem vigeſimam ſecundam Novembris Cæciliæ ſacram indixit iterum condendis oſſibus eorundem Martyrum. Quo die comitantibus Cardinalibus duobus, & quadraginta, Templum ingreſſus Miſſam celebravit, & Cæciliæ corpus in capſa conditum cupreſſina, ipſe, adjuvantibus Cardinalibus Diaconis, in arca argentea repoſuit una cum argentea tabella a Card. Sfondrato accepta, in qua quid acciderit literis inſculptis poſterorum memoriæ traditum eſt (2). Eodem autem in loco recondita omnia, quo inventa fuerunt.

Longum eſſet deſcribere quæ tunc Sfondratus pietate in Cæciliam incenſus perfecit. Nam *Ciborium* ut vocant, in Ara maxima eleganter affabreque conſtructum collocavit. Pavimentum, atque parietes marmore contexit diverſis coloribus variegato, ac teſſellato opere; Balauſtio marmoreo longo circuitu locum clauſit, ad quem deſcenditur (ſub Ara enim quieſcunt eorundem corpora Sanctorum) Cæciliæ ſimulacro pario in marmore a Stephano Maderno ſculpto ibidem poſito cum hac inſcriptione:

PAVLVS TIT. S. CAECILIAE
EN TIBI SANCTISSIMAE VIRGINIS CAECILIAE IMAGINEM
QVAM IPSE INTEGRAM IN SEPVLCHRO IACENTEM VIDI
EANDEM TIBI PRORSVS EODEM CORPORIS SITV
HOC MARMORE EXPRESSI.

In balauſtii circuitu lampades argenteæ XXXV. ipſius Cardinalis ſumptibus perpetuo collucent; multoque plures olim colluxiſſe legimus. Sacerdotes quatuor, qui ſacrum quotidie facerent, duoſque clericos eiſdem, & Templo addictos perpetuo voluit, aſſignatis reditibus, quibus alerentur. Sacellum quod ad dexteram introeuntibus occurrit & vetus ſub ipſo balneum, in quo Cæcilia virgo martyrium ſubiit, inſtauravit, ornavitque. Templum denique ipſum elegantiore forma donavit.

His rebus perfectis Legationem Bononienſem obivit. Hujus itineris occaſione B. Virginis Lauretanæ donum ſumma religione adivit, quam poſtea rediens, & quoties iter fecit trans Apenninum ve-

veneratus eſt. Donis etiam teſtatus eſt qua eſſet in Deiparam pietate affectus. In his duo ſunt omnino commemoranda: crux octo ſmaragdis conſtans pretio quatuor millium aureorum pendens ex torque innumeris pene gemmis fulgenti, quo Deiparæ effigies ornatur; & *adamas humana ungue major in annulo*, *qui Chriſti pueri digito inſertus*, inquit Ciacconius, *luminum repercuſſu velut ſidus emicat*.

Quum Romam Paulus rediiſſet, ſtatuiſſetque anno 1605. templum reſtaurare S. Agnetis extra portam Numentanam, quam ſingulari, poſt S. Cæciliam, pietate colebat, accidit, ut hujus quoque virginis, & martyris, aliorumque ſanctorum corpora detegeret, quæ olim ſub ara majore condita fuerant. Hujus inventionis deſcriptio italica lingua extat in mss. bibliothecæ Barberinæ cod. 1234. pag. 359. quam ad calcem hujus epiſtolæ edam, quo notior res vulgo fiat (3). Octavius Pancirolius in libro, cui titulus *teſori naſcoſti di Roma*, ejuſdem rei mentionem facit pag. 315., additque, Sanctorum exuvias, quas diximus, ſolemni pompa a Paulo V. an. 1616. eodem, quo inventæ, loco repoſitas fuiſſe. Idem teſtantur Ciaconius, Bollandus in vita S. Agnetis §. 1. num. 4. Carolus Bartholomæus Piazza pag. 607. operis inſcripti *Gerarchia Cardinalizia*, aliique. Pauli Card. Sfondrati ſtemma in pulcherrimo laqueario, aliiſque ejuſdem Sacræ ædis locis cernitur, quod illam non modico ſumptu ornaverit. In epiſtylio portæ majoris notatur etiam annus 1606.

Cremonenſium deinde Epiſcopus factus a Paulo V. fuit an. 1607. die 7. Septembris. Hanc Eccleſiam rexit non minus paſtorali ſolicitudine, & ſanctiſſimis exemplis gregem omnem ad pietatem inſtituendo, quam rebus ſuis pauperes alendo, uſque ad diem 19. Julii an. 1610., quo Epiſcopatu dimiſſo, Albanenſem paulo poſt regendum accepit. Tali modo quum Ordini Cardinalium Epiſcoporum eſſet adſcriptus, tamen indulgentia Pontificis titulum retinuit S. Cæciliæ. Multis, iiſque præclariſſimis cum ad vitam ſancte ducendam, tum ad munera religioſe obeunda uſus eſt præceptis, Sed illud ſæpe commemorabat ex Concilio Carthaginenſi IV., quod ſemper ſervavit: *Epiſcopus vilem ſuppellectilem*, *& menſam*, *ac victum pauperem habeat*, *& dignitatis ſuæ auctoritatem fide*, *& meritis quærat*.

Longe ante condidit teſtamentum, quam deceſſiſſet. Hæredem vero *ex aſſe* inſtituit ædem S. Cæciliæ. Locum etiam ſepulchri ſibi de-

delegit, ac vivens paravit juxta ejuſdem Virginis monumentum, & inſcriptionem ibi poſuit marmore porphyretico inſculptam. Quum vero Tiburem seceſſiſſet initio anni 1618. apud Auguſtinienſes morbo correptus vitæ ſanctiſſime geſtæ finem fecit xv. Kal. Martii. Cujus mortui corpus Romam delatum eodem, quo ipſe conſtituerat, loco ſepultum fuit. Inſcriptio, quam dixi, eſt hujuſmodi.

PAVLVS TIT. S. CAECILIAE
S. R. E. PRESB. CARD. SFONDRATVS
MISERRIMVS PECCATOR ATQVE
EIVSDEM VIRGINIS HVMILIS
SERVVS HIC AD EIVS PEDES
HVMILITER REQVIESCIT.
VIXIT ANN. LVII. MENS. X. DIES XXV.
OBIIT ANNO MDCXVIII.
MENSE FEBR. DIE XIV. ORATE
DEVM PRO EO.

Hæc de Paulo Sfondrato Cardinali. Ex quibus intelligi poteſt, quantum ille religione, & pietate excelluerit, atque muneribus claruerit, quibus ſanctiſſime perfunctus eſt. Finem ſcribendi faciam Calvie optime, ſi primum abs te petiero, ut me ames. Vale.

Dabam Romæ x. kal. Majas MDCCLXXVIII.

(1) Idem Jacobus Cevaſchi refert, Gregorium XIV. Evangeliſtam Doratum noſtrum Romam accerſitum, quum laudibus efferri etiam in Urbe hominis virtutem cognoviſſet, Collegio Cardinalium eundem adſcribere decreviſſe. Verum Doratus de ea re certior factus, Pontificem adivit, obtinuitque precibus, ac lacrymis effuſis, ut eo conſilio dimoveretur. Cujus rei memoriam ipſe narrat ſervari inſcriptione quadam ad Dorati effigiem appoſita. Congregationi ſuæ præfectus fuit anno 1593.

(2) Verba inſcriptionis hæc ſunt, quæ ex ipſo Antonii Boſii libro tranſcripſi.

HIC REQVIESCIT CORPVS S. CÆCILIÆ VIRGINIS ET MARTYRIS QVOD A PASCHALI PRIMO PONTIFICE MAXIMO IPSA REVELANTE REPERTVM ET IN HANC ECCLESIAM TRANSLATVM, ET SVB HOC ALTARI VNA CVM CORPORIBVS SS. MARTYRVM LVCII ET VRBANI PONTIFICVM, NEC NON VALERIANI, TIBVRTII, ET MAXIMI RECONDITVM.

ITERVM POST ANNOS FERE DCCC. CLEMENTE VIII. PONT. MAX. CVM IISDEM MARTYRIBVS LVCEM ASPEXIT DIE XX. OCTOBRIS ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS M.D.IC. CVIVS S. VIRGINIS CORPVS PRÆDICTVS D. N. PAPA CLEMENS VETERI LIGNEA CAPSA IN QVA IACEBAT, ARGENTEÆ INCLVSA INTACTVM IMMVTATVMQVE HOC EODEM LOCO IN QVO FVERAT COL-

LO-

LOCATVM POST PERACTA MISSARVM SOLEMNIA MAXIMA CVM DEVOTIONE ET LACHRYMIS TOTO SPECTANTE POPVLO REPOSVIT XXII.NOVEMBRIS IPSO FESTO VIRGINIS DIE M. D. IC.

AD CVIVS LATVS IN ALIA SEORSVM CAPSA PRÆDICTI TRES MARTYRES VALERIANVS TIBVRTIVS ET MAXIMVS REQVIESCVNT: NEC NON SVB IPSO VIRGINIS CORPORE IN ALIA SIMILITER ARCA PRÆDICTI DVO MARTYRES AC PONTIFICES LVCIVS ET VRBANVS PROVT A PASCHALI PONTIFICE OMNES IN IIS CONDITI SVNT.

Hieronymi Vidoni Cardinalis primum res geſtas ſummatim exponam. Is natus eſt die 26. Octobris ann. 1581. patre Vidono, matre Margarita Perſichella. In paterna domo iis artibus eruditus fuit, quibus puerilis ætas impertiri ſolet. Ineunte adoleſcentia altricem habuit Ticinenſem Academiam in efformandis, ac componendis moribus, ſcientiiſque excolendis aptiſſimam. Præter docilitatem ingenii erat in illo morum ſuavitas, religionis amor, atque in ſtudiis literarum arripiendis aviditas quædam; ex quo facile judicari poterat, maximo ſibi, & patriæ ornamento eſſe futurum, ſi par daretur fortuna. Hac non metimur equidem magnorum hominum virtutem, ſed occaſione rerum agendarum data effici putamus, ut eluceſcat: æque enim in proſperis, ac in adverſis rebus difficile novimus in medio poſitam capere virtutem. Peruſiæ utriuſque juris lauream Hieronymus reportavit. Romam non poſt multo ſe contulit cum nobilitate clarus, tum multo magis opinione virtutis. Clemens VIII., qui tum in Petri Cathedra ſedebat, Vidonum ætatis circiter an. 20. inter Aulæ Præſules adlegit. Brevi tempore ita ſe omnibus commendavit doctrina, religione, prudentia, adeoque egregium in rebus agendis peritiæ ſpecimen dedit, ut citius quam aliis uſuveniat, graviſſima munera obierit, & præmia retulerit. Nulla enim alia interceſſit cauſa, cur tot negotia ſuſceperit, feliciterque pertractaverit, & annum agens 45. Cardinalis crearetur, niſi ſingularis, qua claruit, in omni genere virtus. A Paulo V. utriuſque Signaturæ Referendarius renunciatus, mox inter Abbreviatores, ut vocant, Parci majoris cooptatus fuit in locum Guidi de Guidis, ut eſt apud Joan. Ciampinum; quod munus quale ſit, alio loco expoſuimus. Idem Pontifex M. in Picenum illum Pro-legatum miſit.

ſit. Denuo Romam paullo poſt revocatum Cameræ Apoſtolicæ Clericum dixit. Hoc nomine poſitum illi monumentum extat in Templò S. Mariæ in Aquiro, odei, & organi quod ibi extruxit, cauſa.

HIERONYMVS VIDONVS CAMERÆ APOSTOLICÆ CLERICVS
ANNO MDCXXI.

Gregorius XV. qui Vidonum animadvertebat plurimum valere virtute, & ſtudio excellere in procuratione reipublicæ, graviſſimum Annonæ Urbis adminiſtrandæ illius fidei negotium commiſit. Hoc munere functus eſt quoad Gregorius vixit, atque omnibus ſe ita probavit, ut poſtero anno Urbanus hujus nominis VIII. Hieronymum noſtrum ærarii Pontificii Præfectum elegerit, eundemque totius Flaminiæ Præſidem, ac ſimul exercitus, quem tunc Roma alebat, curatorem eſſe mandaverit. Quæ de illo prædicari hic a nobis poſſent, quiſque facile intelligit, ſed velocem, & ad gloriam, quæ comitem invidiam non habuit, properantem, velociter calamo ſecuti ſumus, ut tamen feſtinans hæc ipſa narratio non minimam videri poſſit elogii vim præſeferre. Honoribus, quibus poſſet, Pontifex M. Urbanus virum cumulare non diſtulit meritis multis, magniſque clariſſimum. Purpuram illi decrevit die 19. Januarii an. 1626., ſed nomen apud ſe retinuit dato tempore declarandum, quod tota Urbe plaudente an. 1627. perfecit die 30. Auguſti. Titulum vero in Ordine Diaconorum illi conſtituit SS. Quatuor Coronatorum Martyrum.

Cremonenſes hac Vidoni dignitate patriam ipſam ornari intelligentes, publicis ad Urbanum Pont. datis literis quammaximas ſe eidem gratias agere, atque habere teſtati ſunt. Quibus ille reſpondit in hunc modum.

Dilectis filiis Præſidentibus Regimini Civitatis Cremonæ

URBANUS PP. VIII.

Dilecti filii ſalutem &c. Sacrarum dignitatum diſpenſatrix Pontificia authoritas in Apoſtolorum hæreditatem eos certe viros vocare debet, qui chriſtianarum virtutum patrimonio cæteris opulentiores habeantur. Hujuſmodi theſauris cum jampridem Cardinalis Vidoni animum abundare cognoverimus, illum ſane merito in Eccleſiaſticum Senatum cooptavimus. Quare

 vos,

vos, dum tanti civis dignitati plauditis, gratias agite Domino Deo noſtro, qui Civitatem iſtam non minus fere virtutum, quam virorum voluit eſſe feracem. Cæterum veſtrarum litterarum officio, tamquam luculento veſtræ pietatis documento delectati ſumus, dum nupero Romanæ purpuræ ornamento munifice aucta eſſe gaudetis inſignis civitatis decora. Jam vero Cardinalis Vidoni virtuti non obſcurum teſtimonium contingit, publica Patriæ benevolentia. Nos Deum oramus, ut urbem iſtam, quam paterna charitate complectimur, omnipotenti patrocinio communiat, vobiſque apoſtolicam benedictionem peramanter impartimur. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 2. Octobris 1627. Pontificatus noſtri Anno Quinto.

In hoc gloriæ veluti faſtigio quodam, ad quod non cupiditate, ſed ipſa rerum præclare geſtarum laude contenderat, ita verſatus Hieronymus Vidonus eſt, ut famam, quam ſibi pepererat, etiam auxerit, ingenio in omnibus, doctrina, & reipublicæ peritia præſtans. Suam, mandante Pontifice, ſententiam dixit in Congregationibus, ut vocant, Epiſcoporum, & Regularium, Fabricæ, Boniregiminis, Aquarum, Viarum, & Signaturæ gratiæ. Non diu tamen vixit hoc Cremonæ decus, & ſacri Senatus ornamentum immortalitate dignum. Febri enim conſumptus deceſſit die 30. Octobris anno 1632., ſexto ineunte a quo Cardinalatus accepit inſignia. Expreſſa illius imago eſt to. 4. Ciacconii his verbis: *Vir erat ab adoleſcentia commendatus, maximi ingenii, animique altiſſimi, ad virtutem, dignitatem, & gloriam natus: munera ſibi commiſſa ſingulari fide, ac ſumma integritate caute non minus, quam prudenter adminiſtrans, ſemper populis æque ac Pontificibus ſummis ſatisfecit, omniumque amorem ſibi conciliavit; in rebus judicandis ſpectatus ſumma religione, ac diligentia res publicas tractavit.*

Patriam, & familiam ſuam, virtute, ac dignitate Hieronymus Card. ornavit. Cremonenſes vero illum benevolentia, & honore ſic proſecuti ſunt, ut lapidem in majori eorum templo ponendum decreverint, quo illius geſta omnia poſterorum memoriæ commendaretur.

D.O.M.

D. O. M

HIERONYMO VIDONO PATRITIO CREMONENSI
S. R. E. CARDINALI EMINENTISSIMO
QVI PAGINAM FELICITATIS MERITIS IMPLEVIT AC PRÆMIIS
DOCVMENTO AVLICIS
FORTVNÆ ROTAM VIRTVTIS CLAVO DEFIGI
ROMÆ TITVLOS INGENIO CAPACES PROPE EXHAVSIT OMNES
PARI GRATIA SVB QVATVOR PONTT. MAXX. POLLENS
CLEMENS ENIM VIII. ILLVM INTER AVLÆ ROMANE PRÆSVLES ADLECIT.
PAVLVS V. SIGN. VTRIVSQ. REFERENDARIVM ABBREVIATOREM
DE PARCO MAIORI
PICENI PROLEGATVM ET CAMERÆ APOSTOLICÆ CLERICVM
RENVNTIAVIT
GREGORIVS XV. ANNONÆ PRÆFECTVM AD VRBIS TVTELAM DECORAVIT
VRBANVS DEMVM VIII.
PRÆSIDEM PRIVS TOTIVS FLAMINIÆ
ET GENERALEM ECCLESIÆ THESAVRARIVM NVNCVPATVM
IN SACRVM CARDINALIVM COLLEGIVM ORBE PLAVDENTE COOPTAVIT
VERA DE EO FAMA FVIT
DESTINAVISSE PATRES OPTASSE REGES
VT PONTIFEX MAXIMVS IPSE RENVNCIARETVR
SI VITAM AD PROXIMA COMITIA PROTRAXISSET
CIVITAS TANTO DECORE DESTITVTA
PARENTE VELVT ORBATA
MERITORVM GRATA AC PROVIDA EXEMPLI
DECRETO PVBLICO
AMORIS ET DOLORIS MONVMENTVM
ÆQVE IN MARMORE AC CORDIBVS
P.
CVRANTIBVS FABRICÆ PRÆFECTIS
ALPHONSO MAINARDO I. C. COM. ET EQV. REG. D. SEN. MED.
ANDREA RONCADELLO LVDOVICO BONETTO
CAP. HIER. ZVCCHELLO BALTHASSARE SVCCIO
VIXIT AN. LI. IN CARDINALATV V.
OBIIT ROMÆ DIE XXV. OCTOBRIS
MDCXXXII.

Monumenta tandem videamus, quorum cauſa hæc a nobis ſuſcepta eſt de Hieronymi Vidoni rebus geſtis lucubratio. Anno 1626. ſepulcrum ſibi parare inſtituit, ſimulque ſacellum ædificare Beatæ Mariæ Virgini in cœlos aſſumptæ oblatum. Locum operi, quod animo me-

meditabatur idoneum obtinuit a Carmelitis diſcalceatis in Templo S. Mariæ de Victoria, quod quidem non magnitudine, ſed excellentibus artium operibus præſtans celebratur in primis. Anno quem dixi Hieronymus ſacelli ædificio operam dedit, perfecitque balauſtio, & clathris appoſitis, quum eſſet Cardinalis anno circiter 1629. Nihil non marmoreum præter fornicem opere ornatum plaſtico, & areolis cum anagliphis deauratis. Magnæ molis anaglypticum ex pario marmore in Ara aſſurgit, quod Deiparæ in cœlos aſſumptionem exprimit (*Tab.* I.). Utraque parte eminent, poſitis e regione paraſtatis, columnæ ex alabaſtro, quæ ſtylobatis incumbunt omni artis elegantia conſtructis, ſuntque partes reliquæ, quibus compoſitus ordo conſtituitur, cælaturis ornatæ: corona vero cum cymatio dorico denuo in curvam aſſurgit, intraque ipſum coronidis ambitum, qui tympanum dicitur, areola impagibus præcincta illud ex lib. Cantic. habet inſculptum: *tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. His perfectis decrevit opera quæ ad divinum cultum pertinent, & in Sacello haberentur; conſtituitque dotem, cujus omnis reditus perpetuo penderetur Sacerdoti, qui in Ara illa Sacrum Deo quotidie faceret. Sepulcrum, cujus cauſa hæc fecit, medium tenet humi locum ſacelli, inque lapide, quo tegitur, hæc inſculpta ſunt

HAEC EST EXPECTATIO MEA

Contra votum vero accidit, ut eo primum exciperetur Joannes Marchio S. Jo. in Cruce illius fratris filius, quem adoleſcentem Romæ ipſe educabat, cui monumentum poſuit (*Tab.* 4.). Anno vero quem dixi 1632. die 31. Octobris eodem conditus ipſe eſt; & a Cæſare fratre par in adverſo ſacelli pariete monumentum illi poſitum cum effigie, quæ ſculpturæ opus eſt egregium (*Tab.* 5.).

Extat ejuſdem Hieronymi Card. alterum monumentum in templo SS. quatuor coronatorum Martyrum. Quum enim paucis antequam deceſſit menſibus, caput S. Sebaſtiani M., quod in eo Templo religioſe ſervatur, nobiliorem in locum ſua impenſa tranſtuliſſet, poſita ea de cauſa eſt hujuſmodi inſcriptio.

D.O.M

D . O . M
IN HONOREM CAPITIS S. SEBASTIANI M.
QVOD A GREGORIO IIII IN THECA ARGENTEA RECONDITVM
A S. LEONE IV. IN HAC ECCLESIA COLLOCATVM
A IO. GARSIA CARD. MILINO HVIVS ECCLESIÆ TITVLARI
INVENTVM
HOC LOCO HIER. CARD. VIDONVS EIVSD. ECCL. TITVL.
DECENTIVS COLLOCAVIT ANNO MDCXXXII
SEDENTE VRBANO VIII PONT. MAX. ANNO EIVS IX.

Sed nunc ipſa, quæ edidimus, monumenta poſtulant, ut verba faciamus de Petro Vidono altero S.R. E. Cardinali. Is Hieronymi fratrem Cæſarem, & Conſtantiam Peſciam parentes habuit, editusque in lucem fuit die 18. Novembris an. 1610. A puero educatus domi ad pubertatem uſque. Romam deinde miſſus, omnis a Patruo, ut optimis diſciplinis erudiretur, cura, diligentiaque adhibita. In Romano Seminario Rethoricæ præcipue operam dedit. Ingenuis moribus docilem adjunxit diſciplinam. Altiores in aliis Italiæ Academiis facultates excoluit, profecitque in iis mirum in modum. Romam reverſus iis circiter diebus, quibus patruus Card. obiit, Præſul ſtatim ab Urbano VIII. renunciatus eſt utriuſque Signaturæ Referendarius. Optimæ ſpei juvenem idem Pont. an. 1634. Tiburem miſit, ut vices gereret Franciſci Card. Barberini, qui illi civitati præerat. Sabinam deinde Provinciam regendam ei Urbanus tradidit an. 1636. Mox paucorum annorum ſpatio Arimini, Urbis Veteris, Spoletique gubernator, & Marchiæ præfectus fuit: quorum meminit Cerbidius Afrodiſienſis in libro, quem vulgavit Romæ an. 1768. cum hoc titulo *Notizie del governo della Sabina*. Hæc proſpere illi ceſſerunt, & conſilium admirabantur omnes, & magnitudinem animi cum ſumma humanitate, & modeſtia conjunctam, in rebus gerendis dexteritatem, in omnibus virtutem prope ſingularem. Accidit per id tempus, ut Laudenſis Eccleſia in Inſubria Paſtore orbaretur ſuo. Urbanus P. M. Petrum Vidonum, qui pari ſe virtute præbebat in rerum eccleſiaſticarum ſtudio, ad illum gregem mittere ſtatuit. Certior factus de hac Pontificis voluntate, eidemque

que obſecutus, Romam ille venit, atque in proximo ſecreto Conſiſtorio Laudæ Epiſcopus creatus eſt. Paucis in diebus, quibus hæc acta ſunt, Urbanus moritur, IV. ſcilicet Kal. Aug. an. 1644. Non diu tamen deſideratus ſummus univerſæ Eccleſiæ Paſtor. Die enim Septembris 15. ejuſd. anni Urbano ſucceſſor datus eſt Innocentius hujus nominis X. Ejus pontificatus die 20. Vidonus noſter ad ampliſſimum Epiſcoporum Ordinem in Templo S. Andreæ de Valle ſolemni ritu conſecratus fuit a Jo. Bapt. Card. Pallotta. Laudenſem Sedem conſcendit die 14. Januarii anno, qui ſecutus eſt, 1645. omnibus ejus urbis gratulantibus, ac plaudentibus ordinibus. In procuratione Reipublicæ clarus, non minus inſtructus ad Eccleſiam regendam acceſſit, ſed pari ſe virtute præbuit Antiſtitem, parique felicitate ampliſſimo munere functus, ſummam laudem eſt conſecutus. Quum enim comis eſſet, & facilis ad illum pateret aditus, omneſque paternæ caritatis officiis complecteretur, Cleri, populique ſibi comparavit, retinuitque benevolentiam: quo fiebat, ut libenter ei omnes parerent, & quæ capiebat pro Eccleſiæ utilitate conſilia, facilius exequi poſſet. Fundos ſumtibus faciendis Menſæ Epiſcopalis, ære, quo tenebantur, alieno, ſua pecunia liberavit. arculas argento ornatas, Sanctorum lipſanis cuſtodiendis, dono Eccleſiæ dedit. Ædes Epiſcopi ampliatis operibus commodiores reddere inſtituit.

Hæc agebat quum an. 1643. ab Innocentio X. Romam evocatus intellexit ad Caſimirum Sarmatiæ Regem ſibi eſſe proficiſcendum titulo Legati Pontificii cum literis hujuſmodi (*).

(*) *Chariſſimo filio noſtro in Chriſto Jo. Caſimiro Poloniæ ac Sveciæ Regi Illuſtri*

INNOCENTIUS X.

Chariſſime in Chriſto fili noſter ſalutem &c. Summa cum animi alacritate, ac propenſo mirè ſtudio ad Majeſtatem Tuam proficiſcitur Venerab. frater Petrus Epiſcopus Lauden. Prælatus Domeſticus noſter, & Aſſiſtens Nuntii Apoſtolici partes iſthic obiturus; Etenim probè novit apud quantum, & quam Sanctæ hujus Sedis ſtudioſum Regem Eccleſiæ, & Religionis negotia acturus ſit, ut dubitare non poſſit, quin Dei cauſam diligenter tuendo etiam Regiæ pietatis voluntatem demereatur. Præſulem eximia morum integritate, præcipua prudentia, & omnibus demandato munere dignis virtutibus inſigniter exornatum Tibi commendare ſuperfluum arbitramur. Quare his, quæ nunc de perpetua, & amantiſſima in Te charitate noſtra, & deinde, ut ſeſe occaſio tulerit de rebus aliis referet omnem fidem habere volet Majeſtas Tua, cui benedictionem Apoſtolicam ille noſtro nomine amantiſſime largietur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 30. Maii 1652. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

Diſ-

Difficillimis temporibus id negotii Petro accidit. Poſtero enim anno, quo Varſaviæ morabatur, Carolus Guſtavus, ſimul atque ſummas Imperii Svecorum tenuit, bellum Caſimiro intulit, quod initio feliciter geſſit, ipſis potitus regiis urbibus Cracovia, & Varſavia. Multa Vidonus hoc exardeſcente bello paſſus eſt, remque demum domeſticam omnem amiſit. Mox, ut varii ſunt eventus belli, Caſimirus victor tota Polonia Carolum expulit, ut ſolium, & pacem armis tueri glorioſius ei fuerit. Vidono pariter res proſpere ceſſit. Nam illum rex Caſimirus optime de ſe meritum, ut purpura ornaretur, Alexandro VII. omni officiorum genere commendavit. Quum autem Vidonus ipſe multis apud Sedem Apoſtolicam meritis clarus eſſet, volentem Pontificem Caſimirus rogavit. Quare an. 1660. Alexander P. M. illum in ſacrum Senatum legit dieque Aprilis 10. Marium Spinulam Cubicularium ſuum, qui birretum purpureum illi deferret, Varſaviam miſit cum literis hujuſmodi.

Dilecto filio noſtro Petro S.R.E. Presbytero Cardinali Vidono nuncupato

ALEXANDER PP. VII.

Dilecte fili noſter ſalutem &c. Poloniæ Regis commendationem, & mox judicium noſtrum de Te ſacra Purpura exornando plane ſubſecuta eſt Urbis & Curiæ Romanæ communis approbatio, & plauſus. Etenim dubitari non poteſt quin eximia, & jam pridem ſpectata virtus tua nunc ſuper ſublime Apoſtolici Senatus candelabrum evecta univerſæ Catholicæ Eccleſiæ magnam Criſtianæ pietatis, & ſalutarium exemplorum lucem allatura ſit, quod profecto Nos a bonorum Auctore Deo ſummis votis poſtulamus. Interim ſacro murice fulgens Birretum ad Te de more mittimus, ut in ipſis Promotionis tuæ initiis, & primis Cardinalatus inſignibus ſanguineos Dominicæ frontis labores majorum certaminum præludia venereris, & ad imitandum agnoſcas. Is autem, qui illum defert dilectus filius Abbas Marius Spinula Cubicularius noſter cum propriis dotibus, ac virtutibus, tum etiam injuncto a nobis munere, ac præſertim ob ea, quæ de amantiſſima Parentis voluntate ſignificare poterit tibi apprime gratus eſſe debebit Dilecte fili noſter, cui benedictionem Apoſtolicam paterne prorſus impertimur. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die x. *Aprilis* 1660. *Pontificatus noſtri Anno Sexto.*

Publica illum diem lætitia Aulici, omneſque Varſaviæ cives proſecuti ſunt, mœrore contra affecti, quum, ut Romam remigraret,

iter arripuit. Paulus Donus Peruſinus Regius Secretarius, cujus domum Vidonus incoluit, dum Varſaviæ fuit, in foribus ædium hoc monumentum præſtantiſſimo viro poſuit.

PETRO MARCHIONI VIDONO CREMONENSI
LAVDENSI EPISCOPO ET COMITI
PER BIENNIVM INNOCENTII X
PER SEXENNIVM ALEXANDRI VII SVMM. PONTIF.
AD REGEM IOANNEM CASIMIRVM NVNTIO APOSTOLICO
QVI
POST COMPARATOS SIBI OMNIVM HVIVS AMPLISSIMI REGNI ORDINVM
APPLAVSVS
DVM HANC EIVS MANSIONE EXORNAT DOMVM
BENEFICENTIA PONTIFICIA
PER NOMINATIONEM REGIAM
SACRIS PATRIBVS PVRPVRATIS ADSCRIBITVR
HOSPITI EMINENTISSIMO CELSISSIMA VIRTVTE PRÆDITO
SVBLIMIORIS GRADVS MERITO FVLGENTI
PAVLVS DONI PERVSINVS
A REGIS SECRETIS INTIMVS REGIÆQ. COLLEGIATÆ S. IOANNIS
DECANVS
GRATVLABVNDVS PONERE IVSSIT

In Italiam ut pervenit, Laudam divertit gregem ſuum viſendi gratia. Diximus ædificium ab illo inchoatum, quo Epiſcopi domum ampliare inſtituerat. Polonia reverſus illud perfecit, cujus rei memoria, monumento in iiſdem ædibus poſito, ſervatur.

PETRVS S. R. E. PRESB. CARD. VIDONVS
APOSTOLICVS APVD POLONIÆ REGEM NVNCIVS
ABSENTIAM MVNIFICENTIA COMPENSANS
NOVVM HOC ÆDIFICIVM
GENTILITIÆ MAGNIFICENTIÆ MONVMENTVM
POLONIA ET ITALIA BELLIS FLAGRANTE
SVO IVSSV AC SVMPTV INCHOATVM
REVERSVS PERFECTA VTROBIQVE PACE PERFECIT
COMMODITATI AMOENITATI MAIESTATI
ÆDIVM EPISCOPALIVM CONSECRAVIT
AN. MDCLXI.

Non ita multo poſt Vidonus ſplendido comitatu Romam ingreſſus, ab eodem Alexandro VII. Cardinalatus accepit inſignia, titulo donatus S. Callixti Ordinis Presbyterorum. Legationem inde obivit Bononienſem pari, ac cætera quæ geſſit, laude. Ædes, quas habitare Legati ſolent, inſtauravit, atque in pinacotheca picturis ornata hanc inſcriptionem poſuit. HO-

HONESTO
HANC AVLAM DEAMBVLANTIUM OTIO
ERVDIENDISQVE OCVLIS IVCVNDO NEGOTIO
HAC VARIETATE IMAGINVM ORNATAM
HONORATAMQVE PRIMA ANNORVM DECADE
AVGVSTISSIMI PONTIFICATVS
ALEXANDRI VII
BENEFACTORIS MVNIFICENTISSIMI
DEVOTVS NOMINI MAIESTATIQVE EIVS
PETRVS CARDINALIS VIDONVS BONONIÆ LEGATVS
POSVIT ANNO DOM. MDCLXV.

Poſt Legationem Bononienſem in Urbe verſatus eſt, non ſuæ, ſed reipublicæ utilitati proſpiciens. Multarum enim Congregationum negotiis pertractandis operam collocavit omnem, eaque de cauſa anno *1669.* Laudenſem Eccleſiam dimiſit. Idem Alexander Pontifex Max. an. *1667.* *Protectorem* illum dixerat univerſi Ordinis Monachorum Camaldulenſium, quorum res mirum in modum juvit. Præterea Joannis Sobieski Poloniæ Regis voluntate ampliſſimum eidem munus acceſſit *Protectoris* regni illius apud S. Sedem (*).

Pietatis vero Petri Card. Vidoni hæc etiam afferam teſtimonia. Nam abſidem templi S. Pancratii (quem titulum, priore dimiſſo, aſſumpſerat) ædificavit; extatque memoriæ cauſa ejuſdem ſtemma in fornice depictum, & inſcriptio hujuſmodi. PETRUS TIT. S. PANCRATII MART. S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS VIDONUS. Præterea ſacellum a Hieronymo patruo extructum in templo S. Mariæ de Victoria altero ornavit anaglyptico parii marmoris, quod naſcentem mundi redemptorem exprimit (tab. 2.)

V 2 Id

(*) Qua re cognita Innocentius XI. has ad Regem ipſum literas dedit.

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Joanni Poloniæ Regi illuſtri.

INNOCENTIUS PP. XI.

Chariſſime in Chriſto fili noſter ſalutem. Dilectum filium noſtrum Petrum Cardinalem Vidonum multiplice ex capite, ſed præſertim ob eximium in promovendis iſtius Regni rationibus ſtudium peculiari in Domino charitate proſequimur. Pergratum quocirca accidit nobis ex datis ad nos literis cognoſcere in Poloniæ Protectorem a Majeſtate Tua delectum eundem fuiſſe. De rebus itaque ad Regnum iſtud ſpectantibus nobiſcum agentem libenter uſque audiemus, præcipue vero præſtantes ubi occaſiones aderunt gratificandi Majeſtati Tuæ, cui Apoſtolicam interim benedictionem amantiſſime impertimur. Dat. Romæ ſub annulo Piſcat. die 9. Jan. 1677. Pontific. noſtri an. 1.

Id vero in primis curavit, ut unus ſemper e Vidona viciſſim, & Goldona gente omnia ſua ſtudia in Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem conferret. Quare dotem ære ſuo conſtituit, cujus fructu Præſul idem in Romana Curia ſubſiſteret. Cujus ſingularis in patriam, & gentem ſuam beneficii laus perpetuo manebit. Obiit non admodum ſenex, ſi ætatem magnorum hominum, ut vulgo Romæ fit, computes, an. 1681. die 6. Januarii; ſepultus vero eſt die 8. pompa funeris Cardinalibus conſtituta, in monumento Hieronymi patrui ſui.

Prætermittendum non eſt Franciſci Ariſii de illo judicium, quod his verbis omnino conſtat: *Vir fuit prudentia ſemper, ac dexteritate in arduis peragendis negotiis tum in alma Urbe, tum alibi conſpicuus, ut etiam in bino conclavi ſummum Hierarcam evaſurum univerſalis fama vulgaverat*. Ne vero aliquid in hac re Cives noſtri deſiderent, illius etiam effigiem in monumentis tertio loco collocavimus ære inſculptam ex ſimulacro eburneo ejuſdem magnitudinis, quo me quidam ditavit Propola, in eoque artifex notavit annum 1661.

Extant præterea in Sacello, quod ſæpe dixi, atque e fornice ejuſdem pendent inſignia duorum Præſulum, qui eodem conditi ſunt ſepulcro, quod Hieronymus Cardinalis ſibi vivens fecit. De his breviter dicemus, ne quid omittere videamur, quod Vidonæ gentis monumento continetur. Eorum Præſulum uni Thomæ Sorexinæ, alteri Jo. Baptiſtæ Goldoni primum, tum utrique Vidoni nomen fuit. Qua ratione id factum, non alienum eſt docere.

Petrus Cardinalis gentis ſuæ poſtremus duas ſorores habuit: Harum natu major Margarita nupſit Georgio Sorexinæ. Franciſcus primum, deinde Thomas iis parentibus procreati ſunt. Ille Cæſaris Vidoni, quod erat patris Margaritæ nomen ſumpſit, & fortunis utriuſque familiæ potitus eſt, quibus ditiſſimum conflatum patrimonium. Thomas Vidoni quoque ſumpto nomine Romam venit, fructus dotis percepturus, quam diximus a Petro Cardinali conſtitutam. Magdalenæ ſoror natu minor Anna in matrimonium data fuit juveni Goldono, quæ familia Cremonæ antiquiſſima divitiis & nobilitate maxime florebat. Hujus cognationis cauſa Petrus Cardinalis teſtamento mandavit, ut Præſul nomine Vidonus eſſet viciſſim e familia ſua Sorexinæ copulata, & e gente Goldona.

Ex

Ex his, quæ diximus, illud etiam conſtat, Joſeph Marchio, unde originem habeat nomen alterum, quo appellaris; atque te eſſe Vidono quidem ex Margarita Franciſci matre, ſed potiſſimum Sorexinæ paterno clarum genere, quod antiquitate, cognationibus, rebus præclare geſtis, atque honoribus eidem tributis nobiliſſimum habetur. Sed illuc redeamus.

Thomas Romæ apud avunculum Cardinalem diu antea commoratus eſt, quam *Prælatis* accenſeretur. Ut enim inſtructus accederet ad obeunda Romanæ Curiæ munera ille curarat. Referendarius, ut vocant, utriuſque Signaturæ ab Innocentio XI. P. M. renunciatus, ac poſt non multo in provinciam miſſus Præfecti munere functus eſt primum Centumcellis, deinde Fabriani, tum Firmi: demum an. 1686. in inſula Melita Inquiſitor (*). Quo in munere quum quatuor ſumma cum laude annos inſumpſiſſet, Alexander VIII. an. 1690. die 20. Septembris Edeſſenorum Archiepiſcopum illum creavit, & Apoſtolicæ Sedis Legatum in Etruriam miſit, altero Prælati Do-

(*) Thomas nulla interpoſita mora iter ſuſcepit Melitam verſus. Die 12. Junii ejus anni Neapoli verſabatur: hinc Meſſinæ appulit die 20., Melitamque pervenit die 28. ut accepi ex ejus epiſtolis in archivo Vaticano. Innocentius XI. P. M. ea de re ad Magnum Magiſtrum Militum Hoſpitalis S. Joannis Hieroſol. & ad Proregem Neapoli literas dedit hujuſmodi.

Dilecto filio Gregorio Caraſæ Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolym. Magno Magiſtro.

INNOCENTIUS PP. XI.

Dilecte fili ſalut. &c. A dil. filio Magiſtro Thoma Vidono utriuſque Signaturæ noſtræ Referendario, quem genere, ac virtute præſtantem ad obeundum iſthic Inquiſitoris Apoſtolici munus deputavimus, prolixè intelliges, quo paternæ charitatis loco te, inclytumque Ordinem, cui multa cum laude praees, habeamus, & quam libenter occaſiones, quæ ſe offerent, amplexuri ſimus, propenſam noſtram erga vos voluntatem novis in dies documentis declarandi, filialis viciſſim erga nos obſervantiæ tuæ fuerit, Inquiſitorem ipſum iis, quibus par eſt, officiis excipere, eidemque injunctam ſibi provinciam exequenti omni ope, ac ſtudio continenter adeſſe. Tibi vero interim dilecte fili univerſoque Conventui Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 28. Maii 1686.

Dilecto filio Nobili Viro Marchioni de Carpio Proregi Neapolis

INNOCENTIUS PP. XI.

Dilecte fili nobilis vir ſalutem &c. Dilectus filius Magiſter Thomas Vidonus utriuſque Signaturæ noſtræ Referendarius ad obeundum Inquiſitoris Apoſtolici munus Melitam proficiſcens, nobilitati tuæ iſthac pertranſiens pluribus explicabit, quæ ſit erga te charitas paterna noſtra, novumque tibi de eadem a nobis afferet teſtimonium. Minime autem dubitantes, quin perhumaniter excipias virum, quem genus, virtus, & demandata ipſi provincia non parum commendant, nobilitati tuæ Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 28. Maii 1686.

Domeſtici & Aſſiſtentis titulo inſignitum (*). Cujus Legationis anno VIII. Cameræ Apoſtolicæ Clericus renunciatus Florentia diſceſſit die 11. Dec. 1697., & Cremonam divertit; ac deinde Romam reverſus varia ampliſſimi ejus ordinis munera obivit. Sed neque diu in illo Thomas verſatus eſt, neque majores, qui ei patebant, honores eſt conſecutus. Nam in morbum incidit, quo diutiſſime conflictatus, ac demum conſumptus vitæ finem fecit anno 1708.

De iis quæ Thomas Vidonus præclare geſſit, duo ſatis erit commemorare, quibus aliquid ad majorum laudem acceſſiſſe conſtat. Nam in Sacello S. Mariæ de Victoria duos Sacerdotes perpetuo hoſtiam ſingulis diebus Deo offerre juſſit, ampla eiſdem ſtipe conſtituta. Præterea teſtamento legavit XII. m. aureos, quos ſcutata vocant, ornandæ ſacræ ædis B. V. e Fonte appellatæ prope oppidum Caravagj Diæceſis Cremonenſis, quam omnes Inſubriæ gentes maxima religione colunt: totidemque aureos nummos contulit, quibus Presbyteri Congregationis S. Philippi Nerii Cremonam acciti alerentur.

Hoc loco libet interponere, quod res ipſa poſtulat, illuſtre familiæ tue maxime eſſe, Joſeph optime, quod pietate, & religionis ſtudio multa fecit poſteris commendata. Ut enim alia omittam, extat Cæſaris proavi tui liberalitate conſtitutum Canonicorum Collegium in templo *S. Joannis in Cruce*, quæ antiqua eſt ditio Vidonorum. Idem ampliſſimam poſſeſſionem prope oppidum *Caſalisbutani* do-

(*) Libet ipſas Alexandri P. M. literas ea de re ad Magnum Ducem Etruriæ datas deſcribere ex archivo Vaticano.

Dilecto filio Nobili Viro Coſmo Etruriæ ſibi ſubjectæ Magno Duci

ALEXANDER PP. VIII.

Dilecte fili nob. vir ſalut. &c. Ad obeundam apud nobilitatem tuam ordinarii Nuntii provinciam Venerab. Fratrem Thomam Archiepiſcopum Edeſſæ Prælatum noſtrum Domeſticum, & Aſſiſtentem, quem præter genus, præſtantes virtutes, atque animi dotes, quibus abundè præditus eſt, admodum commendant, ſelegimus, eidemque inprimis injunximus, ut propenſam ſingularem in modum erga te, Domumque inclytam tuam voluntatem paternam noſtram magis tibi, magiſque teſtatam in dies faceret; filialis viciſſim erga Sanctam hanc Sedem, noſque ipſos obſervantiæ tuæ erit, eundemmet Venerab. Fratrem perhumaniter excipere, prædictæ Sedis negotia pertractanti plenam illi non ſecus a nobis fidem habere. Nobilitati interim tuæ proſpera cuncta ex animo precamur, ac Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die quinta Octobris 1690.

dono dedit Monachis Congregationis S. Bernardi, ut eodem loco monaſterium extruerent. Quibus largitionibus non modo non minui, ſed Dei beneficio divitias etiam augeri docemur exemplo familiæ tuæ. Sed reliqua perſequamur.

Joannes Baptiſta Goldonus, annos natus XXXIII. Thomæ locum Romæ obtinuit Vidoni nomine Referendariis utriuſque Signaturæ die 4. Decembris an. 1710. adſcriptus. Is a Clemente XI. P. M. an. 1717. in Provinciam miſſus Ariminum biennio rexit, ac deinde an. 1719. Benevento præfuit Cardinali Vincentio Mariæ Urſino ex Ord. Præd. ejuſdem Urbis Archiepiſcopo acceptiſſimus. Romam rediit an. 1724. eodem Urſino Pontificatum univerſæ Eccleſiæ gerente Benedicti XIII. nomine; a quo Præſes Cameræ Apoſtolicæ renunciatus eſt initio anni 1730. Hoc autem munere adhuc perfungebatur anno 1737. quum febrim nactus acutam deceſſit die 18. Martii.

Qui in locum Joannis Baptiſtæ ſuccederet ea ætate nemo fuit. Nam Vidonæ gentis unus pater tuus, Joſeph Marchio, ſupererat. Goldonorum autem omnium poſtremus obiit Mediolani ampliſſimo Senatoris munere perfunctus. Sed eſt tandem hoc tempore ampliſſimam Provinciam ſuſcepturus Petrus frater tuus, qui Romæ adoleſcens in Collegio Nazareno educatus, dum has epiſtolas in unum volumen collectas, auctaſque typis committo, Academiam nobilium Eccleſiaſticorum ingreſſus eſt die 17. Junii, ut gravioribus, & ſacris ſtudiis inſtructus, majorum ſuorum exemplo, ad laudem, & gloriam virtute comparandam accedat.

Hujus epiſtolæ finem faciam a te id enixe petens, Joſeph Marchio egregie, ut quæ ſcripſi, uti æquum eſt, reputes, qua vero ratione ſcripſi non ſpectes; ea enim nec aliis delectationem, nec mihi laudem parere poſſe ſane intelligo. Aliquam tamen a te gratiam pro meo in gentem, ac familiam tuam cultu, ac pro ea qua præſtas humanitate, initurum confido. Vale.

Dabam Romæ XIV. kal. Octobris an. 1775.


Hæc prælo committebantur, quum inſcriptionem ab amico accepi, quam Petrus Cardinalis Vidonus Hieronymo patruo ſuo in eremo Monachorum Camaldulenſium prope Tuſculum poſuit. Hanc in eremum

mum (quæ Dominici Cardinalis Paſſionei ſeceſſu celebrior hac ætate fuit) idem Petrus eorum Monachorum Protector quandoque ſecedebat impenſius colendæ religionis cauſa. Ea autem inſcriptio eſt hujuſmodi.

CELLAM HANC
QVAM HIERONYMVS S.R.E. DIAC. CARD. VIDONVS
DVM IN APOSTOLICA CAMERA
CLERICI MVNERE FVNGERETVR EXTRVXIT
PETRVS PRESB. CARD. VIDONVS EX FRATRE NEPOS
ORDINIS CAMALDVLENSIVM PROTECTOR
RESTAVRAVIT A. D. M. DC. LXVIII
QVI CELLAM COLIS IPSOS TVIS PRECIBVS INSERE COELO



F. THOMAS TVRCVS CREMONENSIS
MAGISTER GENERALIS ORD. PRÆD. AN. MDCXLIV.
OBIIT. AN. MDCXLIX. ÆT. LIV.


D. O. M.
F. THOMÆ TVRCO CREMONENSI
MAGISTRO ORD. PRÆDICAT. LVI
DOCTRINA PRVDENTIA
REBVS GESTIS CLARISSIMO
FF. PRÆDICATORES CREMONENSES
COLLEGÆ OLIM SVO
PATRI OPTIMO ET B. M.
M. P.
VIXIT AN. LIV. M. VII. D. XXVII.
OBIIT ROMÆ KAL. DEC. MDCXLIX

MARCHIONI

JO. BAPTISTÆ FRAGANESCHIO

MEDIOLANI PRO CREMONENSIBUS ORATORI

FR. TH. AUGUSTINUS VAIRANI ORD. PRÆD. F.

EPISTOLAM hanc tibi inſcribere quum inſtituo, Jo. Baptiſta Fraganeſchi præſtantiſſime, miſſo fortaſſe meo hoc, quo nitor, pauxillulo ingenio, videor plane facere ex ſententia. Tu enim & genere, & religione, & literis, & in rebus agendis prudentiæ laude adeo præſtas, ut dum alii te ſuſpiciunt ac colunt, obſequii quoque mei ſpecimen aliquod tibi merito deberi intelligam. Argumentum Thomas Turcus; qui Ordinis mei ſummum olim obtinuit magiſtratum, & cujus virtute quum Ordini eidem tanta facta ſit gloriæ acceſſio, patriæ quoque noſtræ partum ornamentum fuiſſe, nemo dubitaverit. Hanc autem a te non ſolum ornari, verum etiam ingenio, conſilio, ſolertia adjuvari, cives ſentiunt, & plane omnes fatentur. Præclaro enim pro patria ipſa Oratoris munere Mediolani ita perfungeris, ut nullum ſit operæ, officiique genus, quo, non dicam de republica, ſed de privatis quibuſque non ſtudeas bene mereri. Tuam autem hac in re omnem fere actam ætatem ſumma cum laude conſumpſiſti, mira Cremonenſium, atque Mediolanenſium erga te vo-

luntate. Ad te igitur jure mittimus ſapientiſſimi, & doctiſſimi viri, cujus illuſtria Romæ extant monumenta, imaginem aliquam paucis quidem expreſſam, ne actum agamus. Plura enim de illius virtutibus, vitaque noſter Domaneſchius in eo libro perſecutus eſt, quem de rebus Cœnobii Cremonenſis Ordinis Prædicatorum edidit, deque illuſtribus, qui ex eo prodiere, viris. Quare harum rerum ſtudioſos ad illud volumen delegamus.

Pubeſcente ætate Turcus anno 1610. patria diſceſſit eidem Ordini, quem dixi, nomen daturus, magna civibus ſuis relicta ſpe augendæ virtutis, quæ tum in illo jam elucebat, præclaro, quod honeſtiſſimorum parentum cura alacriter ſuſceperat, Religionis, & literarum inſtituto. Ingeniorum natura parens eſt, altrices induſtria, & ars. Quam multa latent, quibus educendis in hominum conſpectum nulla unquam patet via! Cum enim homines plerumque neque genere, neque opibus valeant, neque fortaſse iis occaſio detur, ut in propria commoda ſimul, & in reipublicæ utilitatem induſtriam conferant, jacent magna perſæpe complura ingenia, quæ contra utinam non multum ad perniciem prava conſuetudine, atque improbitate valerent. Igitur aliquibus eſt demigrandi conſilium, & poteſtas, ut vel ad ſtudia humanarum rerum, quarum eſt mira varietas, ſe convertant, aut vitæ hujus tempeſtatibus, & deſidioſorum moribus ſe ſubducentes, Monaſteriis excipiantur, velut tranquillum in portum, & quamdam optimarum artium officinam, bono quidem reipublicæ ſingulari. Cum enim religionem, & literas ingenia colunt, reipublicæ mirum in modum proſunt. Patria vero optimos perſæpe habet, quos ſuo ipſa nutriens ſtudio ſapientes fortaſse non efficeret cives, ſed aut inutiles, aut etiam ferret pernicioſos. Sed Turcum ſequamur præclaram doctrinæ virtutiſque laudem attingere properantem.

Sublimioribus diſciplinis more inſtitutoque noſtro traditus eſt erudiendus. Qui ingenii magnitudine, & celeritate, ac incredibili quadam memoria præditus quum eſſet, docilem adjunxit diſciplinam. Quare brevi adeo profecit, & tanto anteceſſit condiſcipulos, ut facile intelligi poſset excellentis viri gloriam aſsecuturum. Id vero de illo prædicandum eſt factum præclariſſimum. Nam exemplo Jo. Pici Mirandulani, eademque ac ille florente ætate ſe diſputaturum Cæſenæ anno 1619. edixit de omnibus pene rebus, quæ in ſumma Theologi-

logica S. Thomæ continentur. Præterea de ſingularibus omnium S. Doctoris Interpretum ſententiis ita propoſuit, ut eaſdem propugnare paratus eſset; ſi minus, refellere. Quibus de rebus libellus Bononiæ tum editus, in Cremonenſium Prædicatorum inſtructiſſima bibliotheca ſervatur. Ante non ita multo obierat ſupremum diem Mazzonius Cæſenas clariſſimus Philoſophiæ Doctor. Hujus nonnullas opiniones adverſum Ptolomæum, & Jul. Scaligerum, rem gratam Cæſenatibus facturus, una propoſuit Turcus, atque defendit. Tandem quum per id tempus clari Cæſenæ poetæ florerent, problemata quædam Poetico-critica ad Taſſi, & Arioſti poemata adjunxit, de quibus diſsenſio eſt inter eruditos, inſtituitque de illis in utramque partem diſputare. Quæ res fuit quidem in Pico ob generis nobilitatem, ſententiarum novitatem, & Lycei Romani amplitudinem celebrior: a Turco tamen pari felicitate geſta admirationem audientibus attulit cum incredibili voluptate conjunctam.

Non ita multo poſt doctor Artium Bononiæ conſtitutus adoleſcentibus noſtris erudiendis operam dedit. Ea vero urbs ipſa ſcientiarum altrix, & magiſtra Turcum ſuſpexit, cujus in omnium diſciplinarum ſtudiis par virtus diu latere cives non potuit. Hoc ſpecimen injectæ opinionis: quod Cardinalis Ludoviſius, qui eo tempore Bononienſibus Legatus præerat, Theologum ſibi illum habere juvenem voluit, & ad Gregorium XV. patruum ſuum multa de illo velut præſtantiſſimo viro retulit: atque utinam vel Gregorius diutius vixiſſet, vel Turcus adhuc tunc juvenilem exceſſiſſet ætatem! Eodem in Lyceo, quod apud nos amplitudine, & ingeniorum frequentia habetur in primis, ſummum in docendo, ſtudiiſque omnibus moderandis, idque diutius quam alii ſoleant, locum tenuit. Tanta valebat exiſtimatione doctrinæ cum ſingulari quadam prudentiæ laude conjunctæ, ut bono reipublicæ omnino natus videretur.

Celeberrimi viri fama, non modo in Ordine univerſo, ſed latius etiam perferebatur. Qua permoti Triumviri Gymnaſio Patavino regendo quum an. 1638. de doctore Metaphyſicæ adlegendo agerent, qua ſolent ſolertiæ contentione, Thomam Turcum, majore etiam illi decreto ſtipendio, accerſiverunt. Delatum ſibi munus publice docendi in ampliſſima Academia non minus, quam qui illi excellentiſſimorum virorum judicio habebatur, honorem, ut par

 erat

erat, æſtimandum ducens, cum primum exploratam Turcus habuit Generalis Magiſtri Ordinis voluntatem, Patavium profectus eſt. Hic ita ſe geſſit, ſuſceptumque munus obivit, ut expectationem vicerit Venetorum. Nam in doctrinis publice tradendis eloquentia, & eruditione mire explendeſcebat, tantaque erat orationis, & ſententiarum cum perſpicuitate ſuavitas, ut in eo cum ſummis ingenii facultatibus nativus quidam lepor junctus appareret. Literarum Hæbraicarum, Chaldaicarum, Græcarumque peritia non minus claruit, quam gravioribus diſciplinis: quod noſter Joh. Bapt. Contarenus Venetus diligenter notavit in libro de viris, qui ex Ordine Prædicatorum in Gymnaſio Patavino docuerunt. Ea autem in re ipſum pleroſque ætate ſua ſuperaſſe ſcribit, nemini inferiorem fuiſſe. Idem gravitate, comitate, urbaniſque officiis uſus eſt, natura fautrice, ad conciliandam, retinendamque benevolentiam, ut nihil ſupra. Quibus rebus factum eſt, ut Optimatibus non minus, quam omnium ordinum hominibus merito eſſet cariſſimus.

Anno vertente quinto, poſtquam Patavium conceſſerat, acceptis Roma literis Turcus dictam ſibi ab Urbano VIII. R. P. provinciam intellexit gerendorum negotiorum Ordinis, titulo Procuratoris, ut vocant, Generalis. Hoc ille nuncio, ut erat ad omnia comparatus, mœrentibus Patavinis valedixit, & menſe Decembri anno 1643. Romam pervenit. Hoc in magno ac ſublimi Religionis, ſcientiarum, & artium domicilio maximam ſibi laudem certiſſime pariunt viri, qui ſplendore, pulchritudineque virtutis emicare perſpiciuntur. Qua re quiſque admonetur, virtutem multum præſtare cæteris vitæ præſidiis, & virtute, labore, induſtriaque eſſe enitendum, & certandum laude ſtudiorum, quibus vere homines celebrantur, quos etiam genere humiliore editos extulit virtus, atque illuſtravit. Sed illuc revertor.

Procuratione ſui Ordinis Romæ ſuſcepta Turcus quam ſibi abſens opinionem doctrinæ, & probitatis pepererat, præſens auxit. Quum enim vel conveniendi illius gratia multi venirent, vel ipſe pleroſque Aulæ, ſummoſque viros honoris, & officii, ac negotiorum agendorum cauſa adiret, ut neceſſe eſſet in celebritate verſari, ita omnibus ſe probavit, ut magni ingenii, ac ſingularis prudentiæ, conſiliique plenus vir ſuſpiceretur. Is vero egit, ut qualem haberi opus

opus erat, talis foret. Hanc præclare Socrates apud Tullium viam ad gloriam proximam, & quaſi compendiariam dicebat eſſe. Simulatum enim non poteſt quidquam eſſe diuturnum. Species ſcilicet, quam Turcus boni præ ſe, & ſapientis viri ferebat, radices egerat, ut vere in ipſo eſſet integritas vitæ, tum ſervandæ diſciplinæ ſuſceptæ diligens ſtudium, comitas denique non ſine gravitate, atque humanitas, ita ut omnibus prodeſſe niteretur quibus rebus poſſet.

Quum his virtutibus Turcus floreret, magna ſpes erat per illum multa ſuorum, & reipublicæ bono perfici poſſe, ſi ei altiore loco eminere contingeret. Cum primum vero occaſionem fors dedit, collegæ ejus id plane effecerunt tali modo. Nicolaus Rodulphius Leonis XI. R. P. ex ſorore pronepos anno 1641. ceſſerat ſuprema univerſi Prædicatorum Ordinis præfectura. Comitiis dictis novo creando Ordinis Magiſtro, ac menſe Majo an. 1644. in Urbe celebratis, Turco noſtro cunctis ſuffragium ferentibus, totaque Urbe gratulante, delata hæc provincia fuit. Is natura, virtute, atque doctrina quum aptus eſſet ad omnes res, in re tamen Ordinis publica gerenda multo præſtantiſſimus fuit. Intelligebat vero bene conſtitutæ ſocietatis præſidium & decus duobus omnino contineri, ſcilicet diſciplina, & ratione ſtudiorum. Sed in eo vis maxima eſt, quod ſupra dixi, ut ſimus ii qui haberi, vel quo modo alios efficere velimus. Illa autem duo ita Turcum commendabant, ut utroque clariſſimus haberetur. Neque quum tanta honoris, & curarum facta eſſet acceſſio, ſe remittere aliquando viſus eſt, ſed diſciplina fiebat, doctrinaque præſtantior. Itaque primum incitabat omnes exemplo ſuo, accendebatque ad virtutem.

De rebus ipſis, quæ in edito illo dignitatis loco multæ, & variæ ſemper eſſe ſolent, mira celeritate ac prudentia cœpit conſtituere. Interea graviora animo revolvebat, & ante diligenter, quam ea inciperet, ſpeculabatur. Omnia enim, quæ a recta deſciverant inſtituti ratione, reſtituere parabat, eaque decernere, quæ ad ſuorum incrementum, & decus facere poſſet. Ratus vero cognoſci res, & componi facilius ipſo Præſidis aſpectu, ſtatuit per ſe omnia perſpicere. Quare poſtero anno ab Innocentio X. R. P. petiit, impetravitque, ut non ſolum Italiæ perluſtrandæ, ſed ad regiones etiam a quibus longius aberat, ſibi eſſet proficiſcendi poteſtas.

Cum

Cum primum de rebus ipſo abſente adminiſtrandis conſtituere potuit, paucorum comitatu Roma egreſſus Cœnobiis obeundis ſtatim operam dedit, atque per totam Italiam iter faciens, in Galliam contendit, deinde ad Belgas tranſiit, ac iterum peragrata Gallia in Hiſpaniam profectus eſt. Multa ubique præclare geſſit, magnamque virtute ſibi, & felicitate famam peperit, quæ prius illum prædicabat, quam præſens ipſe adeſſet. Id vero effecit, ut quæ bono reipublicæ conſilia capiebat, facilius expedire poſſet. Accedebat etiam ſapientum, optimatum, ac Principum virorum favor, apud quos maxime probatus erat eximia prudentiæ laude, & opinione doctrinæ. Cujus rei multa ſunt exempla, ſed hæc maxime illuſtria. Lutetiæ Pariſiorum per id tempus nonnulli ſibi pernicioſiſſimum errorem effingebant, quo Paulus Apoſtolus eadem qua Petrus dignitate, & poteſtate regendæ Eccleſiæ a Chriſto donatus ferebatur. Anna Auſtriaca Galliarum Regina, quæ Theologorum ſtudio nitebatur tale monſtrum exanimare, Turcum voluit ſtatuta die Sorbonæ conventui intereſſe, eaque de re verba facere. Quo exceptus ampliſſimo loco doctrinæ copia, & ingenii vi diſſerendo unus effecit, ut deinceps adverſantium numero habuerit idem error, quos antea nactus fuerat auctores, & patronos. Eadem optima, & potens Regina rei geſtæ felicitatem gratulata Turco commendavit, ut hæreſes, quibus oppugnabatur in Galliis Catholica Religio, voce, & ſcriptis adoriretur, neque illum ab ſe, niſi muneribus, & honoribus auctum, dimiſit. Ejuſmodi diſputationibus quum mirifice delectaretur, licet tantis curis diſtentus, ſæpe occaſione data, præſertim cum luſtraret Hiſpaniam, in palæſtram prodibat: quod Nicolaus Comnenus Papadopolus in hiſtoria Gymnaſii Patavini ſcripſit his verbis, *diſputando, ac de rebus difficillimis luculentiſſime diſſerendo, admirationi omnibus fuit*. Philippus IV. Rex Catholicus ſumma humanitate Thomam Turcum complexus, de univerſo Ordine Prædicatorum multa eſt elocutus, quo Eccleſiam, & rempublicam omnem adjuvari, ornarique ſentiebat. In ipſum vero talis Ordinis Moderatorem benevolentiæ, & honoris teſtimonia cum plura dedit, tum illud præcipue, quod Regni Magnatum numero eumdem haberi voluit: quod antea paucis contigerat, deinceps vero, teſte Domaneſchio, ejuſdem Philippi ſingulari beneficio reliquis univerſi Ordinis Magiſtris decretum fuit.

Tan-

Tandem de Gaſpare Alphonſo Pereſio Guzmano Methimniæ Aſſidoniæ Duce hoc commemorabo, quod datis literis voluit, ut omnium rerum, quæ ad illius ditionem, imperiumque pertinebant, par Turco eſſet poteſtas, juſſitque, ut ratum domi ſuæ haberetur, quidquid ille de iis conſtituendum duxiſſet: Quarum literarum ectypon Cl. Antoninus Bremondius in eum librum tranſtulit, quem inſcripſit *de Guzmana ſtirpe S. Dominici*. Quod ſi *Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt*, ab illis laudari præcipue, & ornari qualis erit?

Hinc autem intelligi par eſt, optimo viro hæc obtigiſſe ſola virtutis cauſa, qua in conſiliis capiendis, & rebus Ordinis adminiſtrandis excellens habitus fuit. Longum eſſet enumerare omnia. Satis erit dictum, ſi ſummas attigero, unde communes ortæ utilitates. Comitia generalia celebravit Valentiæ in Hiſpania an. 1647. In illis autem multa probata, quæ Turcus conſtituerat, aliaque ſancita ſunt diſciplinæ, quæ omnium caput eſt, tuendæ utiliſſima. Leges ad rectam ſtudiorum rationem, quibus maxime florere quamvis ſapientum ſocietatem decet, locorum, & nationum moribus accommodatas, tulit, iiſque reguntur uſque ad hanc diem gymnaſia noſtra illuſtriora, ac præſertim Bononienſe S. Dominici, & Pariſienſe S. Jacobi. Severitate utendum voluit, quum ageretur de Doctoribus Artium deligendis, ut adoleſcentes erudiendi non committerentur, niſi eis qui graviſſimo muneri obeundo aptiores eſſent. Ineptos vero conſtanter repulit, ſic ut nec vel maximo Principum favore altiorem gradum aſcenderent. Magnis ſumtibus curavit, ut typis ederentur ſummorum noſtri Ordinis virorum opera, Innocentii V. R. P., Alberti Magni, Hugonis Cardinalis, & Thomæ Malvendæ (1). Quibus addendus *Pugio fidei Chriſtianæ* Raymundi Martini opus celebratiſſimum tunc primum editum (2) quod Domaneſchium cæteroquin accuratum ac diligentem ſcriptorem fugit.

Tali modo quum tres annos rebus Ordinis comperiendis, & reducendis quibuſcumque modis potuit, conſumſiſſet, Romam rediit anno 1648. Proſpere hactenus, & glorioſe geſtis hoc memoria dignum adjunxit. S. Congregatio Cardinalium Fidei Quæſitorum ab origine habita eſt in Cœnobio Prædicatorum Minervitano. Ædes tantæ rei agendæ primum delectæ anguſtiores. Sub ipſo Turci adventu hæc Romæ perferebantur: Indignum eſſe ampliſſimum Conſilium tali loco

loco haberi. Eminentiſſimos Patres eo conveniendi nulla cogi neceſſitate. Non deeſſe in aliis Cœnobiis magis aptum iis recipiendis locum. Grandior Turco animus erat, quam ut hæc pati poſſet. Quare admirabili conſilii celeritate effecit in diebus paucis, ut novæ neſcio an dicam extructæ, an vero natæ apparerent, ampliſſimæque ædes, quas Romani conſpicientes, qua ratione id fieri tam pulchre, tamque cito potuiſſet, non intelligerent. In ipſo autem forium epyſtilio hæc inſculpta leguntur.

F. THOMAS TVRCVS CREMONENSIS
MAGISTER GENERALIS ORD. PRÆD.
A FVNDAMENTIS EREXIT
ANNO MDCIL.

Dum hæc una manu ædificabat, pugnabat altera pro quibuſdam ab eodem ſupremo Fidei Tribunali editis decretis, quæ nonnulli factioſi homines ſugillare audebant. Neque tamen remiſſus in aliis agendis fuit. Utinam vero illa etiam perficere potuiſſet, quæ rebus clare perſpectis meditabatur univerſo Ordini plane profutura! Sed tanta vis virtutis, atque ingenii acerba morte heu quam propere ab oculis ſublata fuit! Eodem namque anno, quem ante dixi, ad finem vertente, lethalem nactus eſt morbum, quo conſumptus kalendis Decembribus tam multis, ac variis perfunctus laboribus acquievit anno ætatis 54. Innocentii X. R. P. de illius morte dictum Domaneſchius refert ex monumento, quod laudat, *cecidiſſe non unius Ordinis Prædicatorum, ſed univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ columen validiſſimum*. Idem de iis, quæ Turcus ſcripta reliquit, mentionem facit. Qua ille ſit præcipue efferendus laude, dubitabit fortaſſe aliquis. Multum doctrina, eruditione, literis claruit. At nemini ſecundum dico prudentia, conſtantia, magnitudine animi, in ſuos amore. Cujus nomen eo loco apud nos eſt, ut nulla unquam vel rerum ab aliis geſtarum magnitudine, vel temporum ſit longinquitate delendum.

Hæc de Thoma Turco breviter ad te dedi, Jo. Baptiſta præſtantiſſime, quæ longius perſequi magnitudo epiſtolæ prohibet. In re autem domeſtica prædicanda verſati ſumus. Verum hanc puto nobis eſſe poteſtatem. Patriæ enim iſta ſunt præclara ornamenta: præterea ad Reipublicæ utilitatem ac decus ejuſmodi clarorum virorum res geſtas plane pertinere arbitramur. Reſtat, ut ſcripta hæc no-

noſtra ſic legas, ut ſatis habeas, ſi tibi optimo civi rerum ipſarum cauſa commendentur: prædico enim nullam voluptatem te unquam ex illis eſſe capturum, quæ ut equidem ſentio, nec verbis ſatis, nec eloquentia conſtant. Gaudendi contra hæc mihi eſt ratio, quod tibi Cremonenſium Oratori præclariſſimo hoc qualecumque obſervantiæ meæ monumentum dare licuerit. Illud vero, qua præſtas humanitate, excipias velim. Quod etiam atque etiam rogo, & plane ſpero. Vale.

Dabam Romæ prid. Kal. Februar. 1775.

Extat Romæ in Templo S. Martini in Exquiliis lapis humi poſitus, quem neſcio, an ad Cremonenſes pertineat, quod ſane vellem. Cardinalis Ariberti monumentum illud eſt, qui floruit ſæculo XII. Ad te Jo. Baptiſta Marchio ornatiſſime, qui matre Ariberta lectiſſima fœmina prognatus es, qua cum nuper deſiit omnis Ariberția ſtirps, illud mittere conſtitueram: quod nunc tamen faciam, ut quanti æſtimandum ſit tandem aperiam. Hæc vero habet lapis inſculpta.

ERIBERTO
TITVLO S. ANASTASIÆ
PRÆSBITERO
CARD. ARIBERTO
MONVMENTVM
AN. AB ORBE REDEMPTO
MCLX.

Ariſius noſter lapidem hunc *antiquum* dicit, & *repertum* in laudato Templo narrat *gentilitio duarum alarum ſe ſe mutuo intuentium* (verſis forte vultibus) *inſignitum*. Tom.I. pag. 71. Id accepiſſe illum puto a Jacobo Franciſco Ariberto ampliſſimo Urbani VIII. Innocentii X. & Alexandri VII. temporibus Romanæ Aulæ Præſule, qui etiam Cremonenſibus nunciavit, ſe ejuſdem Cardinalis imaginem *ex vetuſtiſſimis Vaticani codicibus extractam* collocaſſe in Templo S. Anaſtaſiæ longa adjecta inſcriptione, quam Ariſius edidit eodem loco. Præclare equidem contextam ille vendidit fabellam, quæ Ariſio non ſuboluit.

Principio *repertum* lapidem negabit eſſe *antiquum* quiſquis an-

tiquitatum medii ævi penitus ignarus non fuerit. Nam nulla antiquitatis nota. Neque ſtilus convenit lapidarius ejus temporis, neque inſcriptionis modus, neque literarum forma. Præterea rariora ea ætate, qua originem duxerunt, cognomina, a quibus poſteris etiam temporibus Eccleſiæ Præſules, ac Paſtores abſtinuerunt. Quid vero dicam de conflato *Eriberti* nomine, ut *Aribertus*, quod ex mss. Vaticanis autographis illi nomen erat, cognomen fieret? De *gentilitio* illo *duarum alarum ſeſe mutuo intuentium* ſepulcro impoſito, eruditorum ſit judicium. Tandem miror repertum, erutum, effoſſum lapidem, nec leviſſimum acceptæ cladis veſtigium referre.

Inſcriptionem alteram Jacobus Franciſcus Præſul in Templo S. Anaſtaſiæ poſuit, ut legitur apud Ariſium, *cupiens*

. . . .

GENTILIS SVI SEPVLCRVM
VETVSTATE IAM PENE DEFORMATVM
NOVO ALIQVO ADDITAMENTO
HONESTARE....

. . . .

At neque vetus ullum ſepulcrum, quod memoriæ proditum ſit, Cardinali Ariberto poſitum eo in Templo fuit, (lapis enim prædictus ſepulcro tegendo *repertus* fertur in Templo S. Martini, & integer plane eſt) neque ſane extat hæc eadem a Jacobo Franciſco item condita inſcriptio. Satis ne ſanus viderer ſi fumum vendentibus fidens, ficta tibi pro veris obtruderem, & ſuppoſita monumenta pro genuinis darem?

Sæculo, quod dixi, Aribertus Cardinalis floruit, cujus ſubſcriptiones ego ipſe vidi literis appoſitas Romanorum Pontificum Lucii II. Eugenii III. Anaſtaſii IV. & Hadriani item IV. Ex his annum, quo ille obiit, pene compertum habemus 1156., aut 1157., quum creatus fuiſſet a Cæleſtino II. fer. 4. Cinerum an. 1143. teſtibus Alphonſo Ciacconio, Antonio Aubery, aliiſque. Romanæ Sedis Legatum cum Guidone Florentino, & Guidone Cremenſi Cardinalibus, Peregrino Patriarcha Aquilejenſi, & Theobaldo Epiſc. illum congreſſum eſſe an. 1148. XIV. Kal. Sept. ex antiquis Eccleſiæ Veronenſis monumentis laudatus Ciacconius ſcripſit. Utrum vero ille

FLA-

. . . .

FLAVII ARIBERTI
LONGOBARDORVM REGIS PRÆCLARISSIMI AC DE ROMANA ECCLESIA OPTIME MERITI PROGENIES

. . . .

& Aribertorum Cremonenſis familiæ GENTILIS fuerit, ego negare non auſim: ea enim ætate ex nominibus cognomina prodierunt quamplura. Sed tuum eſto Jo. Baptiſta præſtantiſſime de hac re judicare. Unum dicam; Majorum dignitate, & rerum ab illis geſtarum gloria clariſſimum genus tuum incertis his monumentis non indigere. Tu vero non magis nobiliſſimæ familiæ laude, atque ſplendore, quod fortunæ eſt, ornaris, quam præclaris virtutibus, quod tuum eſt, eluceſcas. Singulari porro benignitate, & patientia tua hic opus eſſe intelligo, ne gravis tibi ſit illiteratæ Epiſtolæ rudis ſubnexa mantiſſa.

(1) De aliquibus ſcriptorum noſtrorum ac præſertim Alberti magni edendis operibus egerant Patres in comitiis Ordinis Romæ an. 1644. ac Thomæ Turco Magiſtro renunciato omnem rei gerendæ curam demandarant, quorum verba hæc ſunt: *Committimus R.mo P. Magiſtro Ordinis, ut ipſe pro ſua eximia prudentia, ac dexteritate eligat certo aliquem typographum, cui committi poſſint vetuſti codices Ordinis noſtri, novis ac nitidis typis excudendi. Præcipue vero eam diligentiam adhiberi optamus in recudendis operibus B. Alberti Magni tantopere per univerſum chriſtianum orbem deſideratis.* Noverant quidem illi Turcum doctrinæ laude præſtare, & ad magna quæque perficienda comparatum, quæ ſuis utilitati futura eſſent, & ornamento. Quam de ſe conceptam opinionem Thomas Turcus non modo ſervavit, ſed etiam rerum experimento auxit; oſtenditque magnas res ab eo feliciter geri, qui novit ſuorum amore, & gloriæ cupiditate flagrare. Multa de editionibus quas dixi, parandis, perficiendiſque meditabatur: atque initio literas hujuſmodi ad univerſos Prædicatores dedit.

In Dei filio ſibi dilectis
Reverendis admodum Patribus Provincialibus, Vicariis Generalibus, Prioribus, Magiſtris in Theologia, Supprioribus & Vicariis locorum; cæteriſque Patribus, Fratribus, & Sororibus ad Ordinem Prædicatorum quovis modo pertinentibus.

FRATER THOMAS TVRCVS
Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac ejuſdem Ordinis Magiſter Generalis & ſervus.

Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam, & aviti utrinque ſplendoris reſtaurandi zelum ac fervorem.

Inter cætera crediti nobis regiminis atque officii munia, quibus ad Religionis amplificandam dignitatem, & privatum illius ac publicum bonum, quanta curâ poſſumus, promovendum aſtringimur, non poſtremum illud exiſtimamus eſſe, ut quæ jam olim a noſtris edita ſunt, aut eduntur in dies, eruditionis & ingenii monumenta, ea nos vel e tenebris in quibus hactenus latuerunt, eruenda in lucem, vel pleniori ſubinde luci, ſive injuriâ temporum, ſive incuriâ fortaſſis obſcurata, reſtituenda curemus; Quatenus & aliqua inde in Eccleſiam, cui ſuos illos labores addixerunt, utilitas, & non mediocris in Ordinem ipſum noſtrum, quem profeſſi ſunt, ſplendor, & ſtrenua

nua in poſteros, quibus exemplo præire voluerunt, tam honeſti laboris æmulatio refundatur.

Sane quo loco nobis ante omnia ſtudium pietatis eſſe debeat ac virtutis, & quam ſedulo in id maxime incumbendum ſit, ut ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, unde pietatis ipſius ac virtutum regula peti debet, tanquam omnis conſummationis & præcepti finem ſectandam ſibi proponant noſtri omnes; & chariſmata illa meliora, quæ vel ſcientiæ omni ac myſteriorum omnium notitiæ quantæcumque Apoſtolus anteponit, æmulari contendant; alte infixum animo retinemus, & ab omnibus, quo profeſſioni ſuæ reſpondeant, vehementer cupimus retineri; Sed & illius, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ ita ſtudioſos eſſe omnes optamus, & optandum ſentimus ac neceſſarium arbitramur, ut dimidia ſe tantum ſui parte id eſſe intelligant, quod ex profeſſione ipſa ſua eniti debent ut ſint; niſi ut ſcientiæ charitatem quæ ædificat, ne ſcientia inflet, ſic ſcientiam charitati, ne zelus erret, ſuperaddant; niſi miniſtrare in virtute ſcientiam valeant, & in ſcientia, quæ mali abſtinentiam ſuggerit, pietatem; niſi vi lucernæ ſibi ſimul ardentes, dum piè vivunt, & aliis cum docti fuerint, in viam ſalutis prælucentes, ad juſtitiam erudire multos poſſint; aut ſi vel ardeant ſine luce, quod parum; vel luceant ſine ardore quod vanum; non & ardeant ſimul & luceant, quod perfectum.

Meminimus hoc myſterio Seraphinos quidem ſuper ſolium Domini ſtantes, ut ardorem pietatis accendant; ſed & Cherubinos propitiatorium obumbrantes, ut ſcientiæ plenitudinem quam vel nomine præferunt, umbra ipſa inſpirent; Meminimus Deum illum ſcientiarum, cui cogitationes humanæ præparantur, aſcendiſſe ſuper Cherubim, & volaſſe, ut ſui notitiam & amorem per eos ipſos quos erudierit, & ſpiritu ſapientiæ impleverit, undequaque diffundat; Meminimus & Seraphinos rurſum alis quatuor ſe velantes, ac duabus volantes, ut intellectum affectui conjungendum admoneant, & utroque conjunctim provocent ad volandum; Meminimus & propheticas myſticorum animalium facies, quaſi carbonum ignis ardentium, & quaſi aſpectum lampadarum uno ſymbolo exhiberi, & ut per fervorem ſimul ſpiritus in pietatis deſiderium exardeſcant; & per flammam verbi aliis quoque reſplendeant, ad peccatorum tenebras & errorum ab eorum cordibus repellendas.

Atque iſta equidem eo lubentius noſtris omnibus non recordanda magis, quam æmulanda, & prout Deus dederit aſſequenda proponimus, quo peculiarius noſtro ipſo nomine admonemur, ut opus Evangelicum facientes, prædicemus verbum inſtanter, & propoſitum nobis miniſterium impleamus; ut lucentes omnibus qui in domo Dei ſunt, doctrinam quaſi antelucanum illuminemus omnibus, & uſque ad longinquum terræ, quoad fieri poteſt, enarremus; ut glorificemus Dominum in doctrinis, quibus odorem notitiæ ſuæ Deus per nos manifeſtet in omni loco; & ſcientiam ſalutis demus plebi ejus, qua ſedentes in tenebris & umbra mortis in viam pacis dirigamus; ut in omnibus nos ipſos exemplum bonorum operum præbeamus, in doctrina, in integritate, in gravitate; ut is qui ex adverſo eſt vereatur, nihil habens malum dicere de nobis, qui noſtrum utrinque nomen ornemus, ac munus exequamur; ut Levitica illa perfectionis & doctrinæ, viro ſancto afflatæ, benedictio in nobis impleatur, quæ ſanam doctrinam a candore morum ac rectitudine non ſejungat.

In his plane duobus, quæ virtute ſimul & ſcientia toto ſtudio excolenda nituntur, totam inſtituti noſtri pendere legem, ac præcepta, ſeu totum noſtri ſtatus officium & finem contineri, non tam apices ipſi regulæ, ac regularium ſtatutorum, quæ ſacratiori obſervantia profitemur, quam eorum qui tantum undique illi ſua luce ſplendorem ac decus attulerunt, ſtudia & exempla demonſtrant; Dum ſic utrumque accurate viſi ſunt præſtitiſſe, ut vacare dumtaxat alterutri viderentur; & pietati doctrinam, qua illuminarent, pari ardoris, ac luminis temperamento conjunxerunt.

His porro nos tam præclaris exemplis ac veſtigiis inhærentes, in eo toti pro munere atque officio noſtro ſumus, ut eorum ſimul & ſanctitatem & ſapientiam æmulari ſub noſtro regimine ſatagant illi omnes, qui eorundem conſortio, ac eadem cum illis profeſſionis teſſera gloriantur; & quæ in tantis viris tam illuſtria preæxtiterunt ad ſempiternum Ordinis ornamentum, utriuſque gloriæ monumenta, ea vel quantulacumque ſibi boni æmulatores pro viribus comparare conentur, ac utrinque hoc ipſum præſtare quod voverunt. Dum ergo interim regulari obſervantiæ vel firmandæ connitimur, ubi viget, vel adnitimur inſtau-

ſtaurandæ, ubi jam elanguit ac defecit; atque ita ſubinde id exequimur quantum in nobis eſt, quo poſſint omnes, ac debeant ad illius avitæ pietatis æmulationem purgationi affectu provocari; Ecce tam ſalubri cogitationi alia quoque ſe adjunxit, qua ſimul intellectum ad æmula etiam eruditionis avitæ ſtudia provocemus; dum eorum ſcripta undique diligentiſſime conquiſita, vel novis nunc primum typis edi, vel renovato in meliorem formam prælo nunc tandem ornatius evulgari ſatagimus; ut quantum ex tam utili editione Religio Criſtiana profectum; quantum noſter Ordo ſplendorem; quantam ſcriptores ipſi celebritatem nominis ac memoriæ famam; tantum & noſtri omnes ad eadem ſtudia comparati deſiderium in ſe accendi ſentiant, ſimiliter faciendi; ac in uno ſimul ſchemate habeant, quo ſive ad laboris exemplum excitentur; ſive ad eruditionis augmentum proficiant; ſive ad juvamentum ſtudii ſubleventur.

Et vero in illis reperient quod ad omne doctrinæ genus, ac divinæ præſertim, cumulate ſufficiat; quod omnis diſciplinæ ſtudioſis proſit; quod ad docendum ac inſtruendum imperitos, quod ad arguendum & compeſcendum pervicaces, quod ad erudiendos in juſtitia mores, ac formandos, quod ad corripiendos ac revincendos errores utile poſſit eſſe; Ita ut in eorum doctrina repleri cellaria dici poſſint; in eorum libris univerſa ſubſtantia pretioſa & pulcherrima contineri; ex iis mille clypei, tanquam omnis armatura fortium, pendere, qua bellum contra veritatis adverſarios cum diſpoſitione prudentiſſima ineatur; & eo robuſtus ac validus quiſque juxta ſapientem fiat, quo ſe doctum eorundem lectione præſtiterit.

Pigebat in tenebris latere, qui tam luce publica digni eſſent; aut in ſitu & pulvere velut obſoletos jacere tamdiu, qui tam inſigne ſibiapud omnes nomen dereliquiſſe debuerant, nulla ſatis memoria celebrandum; & ſiccatis pene tantæ ſapientiæ fontibus, vel occluſis, nihil aliud quam rivulos, qui ex eorum ſcaturigine in alienos canales detorti ſunt, ſupereſſe; immo & ea ipſa occaſione in eorum nonnullis factum eſſe, ut poſtquam ipſi non ſibi tantum, ſed & omnibus exquirentibus veritatem tanto ſtudio laborarent, alii tamen in eorum labores uſurpatione injuſta introirent, ac fiducia latebrarum arrogarent ſuo nomini, quod eorum induſtria præſtitum latuiſſet. Nam id in Galatino ſpeciatim notatum, qui Raymundi noſtri Arnaldi Barcinonenſis opus, Capiſtri Judæorum nomine, circa S. Ludovici Galliarum Regis tempora inſignitum, ante circiter centum annos tertio poſt ſæculo, ſub libri de Arcanis inſcriptione ſibi confidenter aſcivit, ut convincere Fuxenſis apud Toloſam codex poteſt, clariſſimi viri opera nuper exſcriptus.

Ac tanto quidem alacrius hanc Ordinis gloriæ, hanc ſcriptorum illius ornamento, hanc veſtro profectui navare operam juvat, quanto juſtius publica celebrati nuper Capituli Generaliſſimi vota id exigunt, cujus nutu ea nobis cura commiſſa eſt, qua committi vix dignior potuiſſet; ut quam doctrina bona dat gratiam cum libenter impenditur, eam nos ab omnibus vobis demereri poſsimus, dum tam diligenter communicamus, tam ſalubrem; ut in magno illo Alberto ſua fama majori Lugduni jam cœpimus, & in Maluendæ ſacris in totam Scripturam commentariis pergimus exequi, quibus nihil enucleatius, nihil doctius, nihil ad communem profectum utilius excogitatum, aut editum eſſe poſſit. Sed eſt quod properantem conatum, niſi omnium veſtrum cura ſuccurrat, remoretur; penuria nempe nummorum, qui tantis editionum ſumptibus undequaque ſufficiant; nec ſuppetere nobis poſſunt, quin gratia veſtra ſuppleat, quod inopiæ noſtræ deeſſe hac parte probe noſtis.

Veſtrum eſt, ut collectis undique per vos ipſos, aut ſaltem aliquos ad id laboris deputatos eleemoſinis, aliiſque, ut Deus dabit, publicis privatiſque ſubſidiis, veſtram ſinguli ſymbolam in tam neceſſarium opus conferatis, ex quo tanta in vos utilitas, ac profectus redundet; atque ut in omnibus abundatis charitate veſtra in nos, ita & in hac gratia vos abundare declaretis. Non quaſi imperans dico; ſed veſtræ charitatis ingenium bonum comprobans, & conſilium in hoc do quia vobis utile eſt; ut quemadmodum promptus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi ex eo quod habetis; non ut cuiquam tribulatio ſit; ſed qui multum, multum; qui modicum, modicum, prout in corde ſuo, non ex triſtitia, ſed ex hilaritate deſtinavit. Unuſquiſque igitur quod collegerit apud Provinciales, aut Vicarios reſpective reponat, qui ſubinde illud ad nos, tanquam benedictionem, & gratiam pro ſui officii cura perferendum ſuſcipiant; Noſtram viciſſim pro hac obſequii promptitudine ſpecialem gratiam, & benedictionem cum iis om-

omnibus inituri, qui ex obedientia charitatis exhortationem noſtram ſuſceperint, & facto ipſo perfecerint, quod optamus. Ac ne oſtenſio charitatis veſtræ in nos, & gloriæ noſtræ pro vobis evaneſcat, aut quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte, iiſdem Provincialibus & Vicariis in virtute Spiritus Sancti, & in charitate Dei diſtricte præcipimus, ut eorum qui ad hoc tam ſanctum opus aliquid quovis modo contulerint, & ſummæ, quam ſinguli dederint, Catalogum texant, quamprimum ad nos etiam tranſmittendum; & inſuper ad pleniorem obedientiæ cumulum, ac inſtituti noſtri exitum volumus, ut quicumque veſtrum omnium qualeſcunque noſtrorum libros nondum editos, aut excuſos, vel apud ſe habuerint, vel alicubi eſſe reſcierint, eos nobis aut tranſmittant, aut ſignificent; noſque interim, ac ſocios noſtros aſſiduis apud Dominum precibus plurimum habeant commendatos.

Pariſiis è Conventu noſtro S. Jacobi, die 17. Februarii 1646.

Jam vero quum anno 1747. generale a ſe indictum Capitulum Valentiæ celebraret, Patribus ſingulatim expoſuit, quæ ad editionum operum complurium feliciter agebantur. Aperte etiam conſtare voluit, unde pecuniæ non exiguam vim tanto operi perficiendo accepiſſet: quæ quidem pecunia non ab eo imperata, ſed ſponte a multis collata fuit. Itaque in *Denunciationibus* num. V. hæc habentur.

5. *Denuntiamus juxta id, quod continetur in Capitulo Generaliſſimo Romæ 1644. Reverendiſſimum Magiſtrum Ordinis pro imprimendis operibus Beati Alberti Magni, & etiam P. Magiſtri F. Thomæ Malvendæ contraxiſſe cum Dominis Claudio Proſt, Petro, & Claudio Rigaud fratribus, Hieronymo de la Garde, & Joanne Antonio Huguetan bibliopolis Lugdunenſibus, eiſque nomine Religionis promiſiſſe dare 200. ſcuta aurea, ſeu mille libras gallicas pro ſingulo Tomo, recepturus completa impreſſione tot ex impreſſis exemplaribus, quot reſpondebunt ad ratam pecuniæ datæ ſecundum pretium in inſtrumento taxatum, quod ad inſtantiam bibliopolarum modo non evulgatur. Et inſuper denuntiamus, jam impreſſos extare quinque tomos, ſcilicet ſcripta ſuper quatuor Evangeliſtas, ſupra omnes Prophetas minores, cum quibuſdam opuſculis de Sacramento Euchariſtiæ, & aliis, quæ omnia in præſenti Capitulo vidimus: nunc vero actu imprimi ejuſdem ſcripta Theologica ſuper Sententias. Et pariter denuntiamus, Pariſiis imprimi Opera omnia Paludani ſub cura Adm. Rev. Patris Magiſtri Fratris Joannis Nicolai Primarii Regentis Pariſienſis, & Bibliothecam aſceticam Ordinis Prædicatorum ſub cura R. P. Fr. Franciſci Combeſis, & Toloſæ omnia opera Innocentii V. Pontificis ex Ordine noſtro aſſumpti, ſub cura A. R. P. Fr. Antonini Reginaldi. Et item denuntiamus eundem Reverendiſſimum Magiſtrum Ordinis recepiſſe pro hujuſmodi impreſſionibus infraſcriptam ſummam pecuniæ &c.*

(2) De editione Pugionis fidei chriſtianæ mentionem fecit Turcus ipſe in epiſtola, quam paulo ante deſcripſimus. Nam etſi Turco vita functo perfectum, vulgatumque id opus fuerit an. 1651. Ordinis Magiſtro Jo. Baptiſta de Marinis; tamen cura, & auſpiciis illius, atque impenſis Ordinis ſuſceptum eſt a D. de Mauſſac, qui prolegomena in idem opus ſcripſit, addiditque obſervationes doctiſſimi viri Joſephi de Voiſin. Extant ea de re Turci ad Mauſſacum, & Vicinum epiſtolæ, quas mox afferam. Ex his clare dignoſcitur plagium Petri Galatini, qui *Pugionem* vel e mss., vel e Porcheto in ſuum fere tranſtulerat librum *de Arcanis catholicæ veritatis*. Conſtat præterea Thomam Turcum illuſtres hujus operis editores juviſſe quibuſcumque modis potuit: ac tandem diſcimus, quo ille ſtudio, quibuſque officiis doctos, & bene de ſuo Ordine meritos viros proſequeretur. Epiſtolæ autem hæ ſunt ex Pariſienſi *Pugionis fidei* editione deſcriptæ.

FR. THOMAS TURCUS Magiſter Prædicatorum Generalis Philippo Jacobo Mauſſaco Comiti Conſiſtoriano Cameræ Comput. Monſpelienſis Protopræſidi.

Illuſtriſſime, & Ampliſſime Domine.

Ut familia Prædicatorum debet Raymundum Eccleſiæ, ſic utraque tuæ Amplitudini. Ita ſemper & ubique ad tui nominis dignitatem ingenue profitebor; quippe qui in tenebris forte diu adhuc latuiſſet, aut nuſquam adeo gratus exiiſset in lucem, niſi tantum obtinuiſſet vindicem, & aſſertorem. Quamvis enim ſua ſatis

tis ſpecie ſpectabilis, ſeque ipſo pretioſus ſemper fuerit apud omnes adeo ut Doctorum vota jamdiu obtineat, eorumque oculos in ſe facile convertiſſet, ſi ut ut eſt tandem ſpectandum præbuiſſet; ita tamen a ſuæ antiquitatis ſitu, & amanuenſium vitio mutilatus, deformatuſque fuerat, ut nunquam, qualis primum fuit, nobis apparuiſſet, niſi ei in manus veſtras incidere, & a vobis ad nos venire contigiſſet. Neque enim a vobis, aut ut detineretur quæſitus, aut ut expoliaretur ſuſceptus, aut ut ſuffocaretur, fuit complexus, ſicut ei apud alios ſequiore fortuna evenerat, qui tantam apud te invenit gratiam, ut non modo pia ſollicitudine refoveri, ab injuria temporum vindicari, contractis aliorum iniquitate, aut injuria vitiis repurgari, verum etiam induſtria veſtra formari ad lucem, ſibique atque adeo ordini noſtro donis veſtris, & luculentiſſimis in eum prolegomenis auctior, ſpecioſiorque factus reſtitui meruerit. Adeo juvit Raymundum apud vos divertiſſe, adeoque profuit illi ad gloriam temporum injuria qua tantum ei in ultionem conciliavit patronum, fecitque ut quod fere ſub alieno nomine perdiderat nomen, ſub tuo glorioſius recuperaret, ejuſque dignitas ex tua in tantum augeretur: & ſane ſapientiæ tuæ gloria Raymundi debebatur genii, & ingenii ſocietate, tuæ inquam ſapientiæ, cujus doctrina ſublimior in argumento tam gravi, tamque difficili ſola poſſet verſari, cujus in propugnanda fide ardentior zelus in eo maxime geſtiret auctore vindicando deſudare, qui in Evangelica doctrina verbo, & opere potens merito primus Hæbreorum doctor, & Magiſter, & vere pugio Judaicus, devictis a ſe Judæis, mereretur appellari; cujus modeſtia ſatius duxerit exſcribere ad prælum, quam dictare quæ poterat, & plura, & meliora: cujus denique fides laudare maluerit præclare dicta, quam uſurpare ingenua plane, & generoſa: utpote quæ ſuis ſatis ſuperque dives neſcit aſpicere aliena niſi ut probet, & dominio tueatur. Sic reſpuit fucum quem ſua ornant, ſeque ipſa contenta virtus nec furto gaudet, nec alieno paſcitur. Quem ergo ſuum uſucapione noluit, dono & ſuo recipiat veſtra amplitudo, quem ſuum efficit dum noſtrum, quem de manu tua eo lubentius ſuſcepi, quod facilius redditurum ſperavi, quod placeret & gratia tua gratitudinem Ordinis, & meam ſi non abſolvere; neque enim aut poſſim, aut velim, ſaltem probare poſſem: cætera & vota, & conſilia veſtra, ſingularemque veſtram in Ordinem pietatem Deus interim ex votis noſtris quotidianis, gratiarum ſuarum cumulet incrementis, diuque ſuis, nobiſque incolumem ſervet, & felicem amplitudinem veſtram, cujus æternum ero. Romæ XIX. *Octob.* 1648.

Illuſtriſſime ac ampliſſime Domine

Humlmus & obſermus in D. Servus
Fr. Thomas Turcus Magiſter Ord. FF. Prædicarorum.

Epiſtola Reverendiſſimi Patris
THOMÆ TURCI
Ord. Præd. Magiſtri Generalis ad D. Joſ. de Voiſin.

Illuſtriſſime Domine

Quam gratæ mihi venerint epiſtolæ tuæ, reſcribent obſequia in te mea cum juſſeris. Et qui enim gratiſſima non veniſſent, quæ tuum in Ordinem Prædicatorum affectum tot humanis officiis loquuntur, tot operibus probant, iiſque adeo luculentis, ut & vota mea, & promiſſa tua non impleant modo, ſed & ſuperent: adeo neſcit tua in nos charitas modum, qui tanto ſtudio, tantaque induſtria Martini noſtri Raymundi Pugionem efformas ad prælum, veriuſque acuis ad prælium, doctiſſimiſque lucubrationibus tuis doctiſſima illius in Judæos opera illuſtras, & commendas poſteritati non minori ſane Ordinis ſplendori, quam illi decori, tibi gloriæ. Neque enim potuerat Raymundus ille noſter doctos inter & Hæbreos cæteroqui non inglorius, dignioribus elogiis quam tuis in eum notis, eo laboribus venturis ſæculis commendari, nec docti facilius intelligere, quis & quantus eſſet Raymundus, qui Vicinum meruit commentatorem: eum inquam Vicinum (neque enim eſt quod erubeſcat modeſtia veritati candorem) cujus locupletiſſima, & reconditioris ſapientiæ monimenta non modo ſapientum commentaria, verum etiam principem inter ſapientes locum illi jure merito meruere. Sic ergo tua humanitate factum eſt, vir illuſtriſſime, ſcientiarum decus & deliciæ, ut gloria tua, & Ordinis Prædicatorum gloria futura ſit: & unum idemque opus vicino, & Raymundo in Hæbraicæ ſapientiæ titulum aſſurgat, ut poſt ſingulares utrique, ſuis cuique viribus, partas de Judæis

dæis victorias, tibi in tua Hæbreorum Theologia, quam ex ipſis Hebræorum fontibus, & Talmudicis Bibliis erutam, & conſtitutam tanta ſubtilitate, & ſapientia in Hæbreos retorques, ut iiſdem penitus telis vincantur, quibus vincere ſperaverant; dumque mortem in viribus tuis aſpiciunt, habent, ſi ſuo periculo ſapiunt, unde feliciter erudiantur ad vitam; Raymundo vero noſtro in ſuo Judæorum capiſtro, quo domitam Hæbream ſuperſtitionem, triumphatamque ad aras Catholicæ religionis trahit ſiſtitque: in hoc demum ejuſdem Raymundi pugione collectis in unum utriuſque armis, & animis de pravitate Judaica, & Rabinorum commentis commune utrique apud poſteros erigeret trophæum; idque eo tibi glorioſius, quo de tua manu jam recepit Raymundus, quod aliis huc uſque ſcriptoribus, & Eccleſiaſticis contulerat, tuaque jam opera lucem, & gloriam obtineat, per quem alii fere omnes in iſto doctrinæ genere lucem, & gloriam ſibi invenere. Felici ſiquidem omnino ſorte factum eſt, ut quo tempore de illuſtriſſimi, & ampliſſimi D. de Mauſſac, viri in utraque ſapientia ſummi bibliotheca receptum hunc noſtri Raymundi pugionem, ejus vigiliis & laboribus mirum quantum deſudatum, emaculatum & auctum prælo appararem, tua ſe conſiliis meis & votis adeo opportuna, & ſecunda obtulerit ſapientia, quæ, ſeu Lucina altera, parturientis dumtaxat Ordinis labores juvaret, fœtumque in lucem euntem erudita manu componeret, educeretque. Hoc enim officii genus ea induſtria, eo labore, eo affectu Raymundo noſtro præſtitiſti cum in tuis paſſim notis, tum in univerſi operis œconomia, tum in rerum, temporumque, doctrina vindicanda, cum denique in aſſerenda Authori fide, & dignitate, cui labori ſolus par fuerat Vicinus (tot & tanta erant loca, & teſtimonia ex ipſis Talmudicis & Rabinorum libris probanda, quibus Raymundus paſſim in Judæos utitur ex Judæis) ut nemo ſtatim non intelligat, quanto jure veſter ſit, & dicetur Raymundus. Hoc inter cæteros, ut gratius, ita & clarius profitebitur Ordo noſter univerſus, æternumque ſibi, tibique gratulabitur, quod tantum talemque obtinuerit in Raymundo gloriæ ſuæ vindicem. Cæterum ut veſtra illum ſollicitudine jam ſub prælo ſudare gaudeo; ſic ut ipſi, tuoque in illum labori & gloriæ deſideretur nihil, quantum in me erit efficiam. Quæ enim in noſtro ſeu Fuxenſi exemplari deſunt, jam curavi ex Neapolitano ſuppleantur, & Rabini qui apud vos non extant, tum Romæ, cum Venetiis conquirantur, nulla mora ad vos, ſi occurrant, tranſmittendi; nulli omnino labori parciturus, aut ſollicitudini, modo tibi placita, aut profutura intellexero nedum hocce in negotio, verum etiam quocumque vocaverit tui nominis dignitas: quæ ut meis ſemper votis erit inferior, quantacumque eſſe poſſit, ſic nunquam non præſtabo & precibus, & officiis cum meis, tum Ordinis, ut in dies amplius in eam felicitatem creſcat, & confirmetur, qua vel me optem eſſe felicem, hoc eſt, vera, & æterna. Vale.

Datum Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam XIX. *Octobris* 1648.

Illuſtriſſime Domine

Hum̃lus & obſm̃us in Chriſto ſervus
Fr. Thomas Turcus Magiſter Ord.
FF. Prædicatorum.

MAR-


D . O . M
ANTONIO M. EX MARCHIONIBVS PALLAVICINIS
PATRITIIS CREMONENSIBVS
PATRIARCHÆ ANTIOCHENO
ORDINIS S. SPIRITVS GENERALI MAGISTRO
ET NOSOCOMII PRÆCEPTORI
RELIGIONE IN DEVM
STVDIO IN ROMANAM SEDEM
CHARITATE IN PAVPERES INSIGNI
A.M. MARCHIO PALLAVICINVS CLAVELLVS
PATRVO AMANTISSIMO MŒRENS P.
OBIIT X KAL AVG. MDCCXLIX
ÆT. AN. LXXVI.

MARCHIONI

MUTIO PALLAVICINO CLAVELLO

FR. THOMAS AUGUSTINUS VAIRANI ORD. PRÆD. F.

QUod aliis mea voluntate contingit, ut patienter ob humanitatem ferant, quæ in illuſtrandis monumentis Romæ noſtris Civibus poſitis ſcribo, ad eoſque mitto; contra, neceſſitate quadam compulſus, nunc tibi moleſtus ſum Muti Marchio ſpectatiſſime. Hanc vero ut tu æquiore etiam animo moleſtiam feras, res ipſa ſuadet. Ampliſſimi enim Præſulis Antonii Mariæ Pallavicini monumentum cui nam, niſi cl. illius Pronepoti offerrem? Itaque mihi hanc veniam dabis: & quoniam ea, quæ perſequor, ad genus tuum maxime pertinent, illud intelliges, diligentiorem quidem deſiderari in me latine ſcribendi rationem poſſe; voluntatem autem erga te meam, atque erga eum Præſulem immortali memoria dignum, eſſe non poſſe majorem. Gaudeo autem id negotii ſic mihi eſſe agendum, ut ea de præſtantiſſimo viro prædicem, quæ & ſatis teſtata ſunt, & extra invidiam poſita. Miro enim Romanorum conſenſu ita commendatur, ut nemo magis; ſuntque Romæ hoc etiam tempore complures, qui tantum virum optime noverunt, atque intima illius familiaritate uti conſueverunt. Quo fit, ut quæ de illo opinio pietatis erat, & virtutis,

dum viveret, eadem teſtimonio graviſſimorum virorum mirifice confirmata ſit, & poſteritati tradita, & immortalitati. Igitur talem illum dicam, qualis Romæ adhuc per ora hominum fertur, qua certe nulla aptior eſt, tutiorque viri celebrandi ratio.

Antonius M. Cremonæ natus eſt anno 1674. genere antiquiſſimo. Eadem enim eſt progenies, quæ aliorum Romæ, & Genuæ maxime florentium Pallavicinorum, Adelberti ſcilicet Germani, qui cum uxore Adelaide Othoni III. Imperat. affinitate conjuncta, in Italiam venit an.980., neque uſquam diſceſſit; ſed ſtirps illius, aucta prole, in tres abiit propagines, ut harum rerum ſcriptores narrant, tuæque origo ipſa, Muti Marchio præclariſſime, ſubtexitur genealogia, quam manuſcriptam novi in archivo ſervari domus tuæ. Hac Antonius M. ſtirpe generatus, cum majorum, tum multo magis propria virtute claruit. E ſinu parentum prima adoleſcentia avulſus, ſedem, & domicilium ſtudiorum habuit nobiliſſimum S. Antonii Brixienſe Collegium, ubi per omnem honeſtarum artium cultum plures annos tranſegit. Mediolanum deinde miſſus id ſolum viſus eſt omni ſedulitate agere, ut ſcilicet pietatem, & humanarum, divinarumque rerum ſtudia coleret: a cupiditatibus enim aberat omnino, quæ animum a virtute detorquent. Poſteaquam in Ticinenſi Regia Academia Doctoris Iuris utriuſque lauream impetravit, Romam ſe contulit hoc ineunte ſæculo, inſtituens Deo unice, & Eccleſiæ inſervire. De muneribus, quibus Romana in Aula perfunctus ad annum uſque 1737. fuit, breviter, atque capitulatim dicam. Clemens XI. illum ſtatim Domeſticum, & honoris, ut vocant, Prælatum habere voluit; deinde anno 1711. die 24. Sept. Signaturæ utriuſque Referendarium dixit. Jam vero ab Innocentio XIII. iis, qui ſuffragium ferunt in Congregatione Signaturæ Gratiæ, idem anno 1722. annumeratus eſt; poſtque annos fere duos a Benedicto XIII. die 11. Sept. an.1724. Archiepiſcopus Naupacti renunciatus, ac Dominica prima Octobris conſecratus, mox menſe Decembri die 17. Aſſiſtens Solio Pontificio dictus. Quum autem is Maximus, Optimuſque Pontifex a ſe conſtitutæ Congregationi demandaſſet, ut de fide, quæ in Miſſis ex legato celebrandis ſervari debet, diligenter in Romana ditione quæreret, Antonium M. (quem paullo ante a Secretis Congregationis Viſitationis Apoſtolicæ creaverat) a Secretis ejus quoque Congrega-

gationis eſſe voluit. Quaſi vero hæc alacriter, & egregie obeuntem Pallavicinum nunquam fatigandum Pontifex Optimus exſultans animadverteret, eundem in ampliſſimum Romanæ Inquiſitionis, ut vocant, Conſultorum cœtum recenſuit, quod accidit die 13. Febr. an. 1728.

Virtutibus Pallavicinus emicuit, quibus erat ad omnia comparatus. In primis rerum Eccleſiæ adminiſtrandarum ſecum reputabat graviſſimum eſſe negotium, non ſolum naturali quadam ductus modeſtia, ſed maxime divinorum judiciorum timore. Quamobrem aperte aliquando teſtatus eſt, paucis ſe Romæ diebus fuiſſe moraturum, ſi dignitatum, & rerum gerendarum ſitis illum cœpiſſet. Noverat enim omnem vitæ rationem perverti, divitiarum, honorum, & gloriæ cupiditate, in quo plures ſibi felicitatem fingunt opinionis errore. Jam inde ab initio ſic vitam inſtituit (nihilque mutavit, quoad vixit) ut Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, rerumque divinarum ſtudio incumbens, Myſteriorum Fidei meditationi ſummo mane, aliiſque Religionis officiis pluribus horis vacaret, tum, quibuſque annis, decem ipſos dies abditum locum peteret, ut ſe totum Deo traderet, & ad munera obeunda alacrior rediret.

De pietate autem Pallavicini Præſulis quæ potiſſimum dicam, vel quæ ſilentio prætermittam, neſcio. Audio enim a multis ita collaudari, ut non ſolum illi nemo anteferretur, ſed Prælatorum perfectum exemplar, etiam dum viveret, prædicaretur. Id ſuavitate morum effecit, & ea, qua ita uſus ſemper eſt, moderatione, ut pari faſtigio ſteterit quavis auctus dignitate. Liberalis erat natura ipſa, & virtute, nulla ductus gloria, ut beneficus videretur, neque calliditate, quaſi rerum cupidus, aut denique levitate, ut faciunt ii, qui libenter munera accipiunt, ut habeant quod effundant. In Antonio videtur perfecta virtus fuiſſe liberalitatis: neque enim erat major illius benignitas, quam facultates, neque, ut aliis prodeſſet, divitias quærebat. Nulla tum ſolum lege tenebatur, quum de ope calamitoſis ferenda ageretur. Pauperes enim illum veluti patrem habuerunt. Eadem ſunt juſtitiæ, & æquitatis, & innocentiæ illius teſtimonia. Sic autem hæc temperabat, ut nec iracundia ad ſeveritatem duceretur, nec ſeveritate manſuetudinem, & clementiam removeret, ſed mediocritatem tenebat. Idem illi ſemper vultus, eademque

frons, in qua ſemper facilitatem, & humanitatem cum gravitate conjunctam, candidos denique, ſanctoſque mores perſpexiſſes.

Pietati doctrinam, & prudentiam adjunxit, quibus ad tot præclare obeunda munera mirum in modum compoſitus fuit. Ea eſt Conſultorum Romanæ univerſalis Inquiſitionis dignitas, eaque rerum ab illis tractandarum moles, ac difficultas, ut ſpectatiſſimis, doctrinaque præſtantibus viris deferri ſemper conſueverit, ut nemo dubitet Theologicis in primis doctrinis, tum juris utriuſque prudentia præſtare oportere illum, qui in eorum cœtum adlegitur. Neque minus valent diſciplinæ ſtudio, qui Congregationem Viſitationis Apoſtolicæ conſtituunt. Hæc enim Congregatio præſto eſt Pontifici Maximo, uti Romæ Epiſcopo, idque efficit quod Synodi, & Epiſcopi in aliis Eccleſiis diſciplinæ tuendæ, morumque corrigendorum cauſa. Porro is Pallavicinus, aliiſque egregie perfunctus eſt muneribus, ut plurimum non prudentia modo, atque conſilio, ſed etiam doctrina, operaque valeret.

Splendore pulchritudineque virtutis clariſſimum Præſulem Clemens XII. an. 1737. prorſus inopinantem Noſocomii, & univerſi Ordinis S. Spiritus in Saxia Magiſtrum conſtituit. Splendidæ hujus dignitatis adminiſtrationem perdifficilem tempora fecerant. Quamvis enim domus illa opibus abundans in publicam utilitatem magnos ſumtus effundere ſemper potuerit, ita tamen per id tempus maleverſa erant, & perturbata omnia, ut domum univerſam in maximum diſcrimen hominum malitia adduxerit. Cardinali Porziæ paullo ante, ut rem cognoſceret, atque componeret, Clemens ampliſſima demandaverat poteſtate. Præſulem vero non alium Noſocomio, omnique domui præficiendum duxit, quam Pallavicinum, in quo excellentem virtutem eſſe perſpiciebat. In Tuſculano ille parumper quieſcebat a curis, quum die 1. Octobris nuncium accepit, ad tantam provinciam, talique tempore capeſſendam, ſe ab optimo Pontifice delectum fuiſſe; cui, ut rem perpendit, magis obſequendum ſibi eſſe ſtatuit propter caritatem afflictæ domus, quam ob rei difficultatem repugnandum. Magnam ſtatim a prædicto Cardinali iniit gratiam cum propter integritatem vitæ, tum propter diligens in rebus agendis, & prudens ſtudium. Non modo omnium conſiliorum, voluntate illius, & Pontificis Max., particeps fuit, ſed rei univerſæ reſtituendæ magnam operam ingenio, ſolertiaque contulit. Inſtans periculum brevi tempore depulſum: cæte-

teræ res pari prudentia paulatim refectæ; tardiora enim ſunt remedia, quam mala. Illud initio dignum memoria egit, ut ſibi primum detraherentur multa, quæ ad domeſticum Præceptoris cultum conferri ære communi conſueverant. Qua re id commodi captum eſt, ut ſtipendia cæterorum minui facile potuerint. Neque inde minus liberalis in omnes fuit: avitæ enim illi copiæ ſuppetebant etiam ad largiendum. Nulla autem fuit univerſæ domus pars, quam non juverit opibus ſuis: nullus denique calamitoſus, qui aliquod indigentiæ levamen ab illo non retulerit: neque vero quiſquam fuit tam humilis, cui non ad eum aditus pateret. In iis, quæ cultus domeſticus deſiderat id quidem conſtituerat, ut omni diligentia munditiem ſectaretur; affluentiam tamen refugiebat, illumque ſplendidum dixiſſes, non magnificum, & ſumptuoſum. Clemens fuit admirandum in modum, tantaque præditus ſuavitate, ut iraſci alicui nefas duceret. Quum autem tantam rerum gerendarum curam ſuſtineret, diem unum præterire non ſivit, cujus binas ſaltem horas Religionis officiis, pluresque operibus pietatis non tribueret: qua re incitabat alios exemplo ſuo, & in officio continebat; ut non minus bonus paterfamilias in tam magna domo haberetur, quam vigil animarum paſtor. Atque hæc non audita, ſed ab iis cognita prædicamus, qui propter familiaritatem domeſticis piiſſimi Præſulis rebus interfuerunt. Deiparam ſanctiſſime colebat, cujus imaginem vetuſtiſſimam in ipſo domus S. Spiritus templo ſervatam, & miraculis commendatam, ut populus majore pietate veneraretur, memoriam veterem renovavit, juxta poſito lapide cum hac inſcriptione.

BEATÆ VIRGINIS MARIÆ
IMAGINEM
VETVSTATE ET MIRACVLIS CELEBERRIMAM
PASCHALE ET LEONE IV. PP.
INCOLVMEM INTER FLAMMAS SERVATAM
CAPITVLVM S. PETRI ANNO DNI MDCLV.
AVREA CORONA DONAVIT
A. M. ARCHIEPISCOPVS NAVPACTI
PRAECEPTOR GENERALIS ORDINIS
S. SPIRITVS IN SAXIA
AD ILLIVS CVLTVM AVGENDVM
M. P. ANNO MDCCXL.

Ap-

Apparet jam omnibus, Clementem XI. cæteroſque Pontifices Maximos mirabiliter conſenſiſſe ad Pallavicinum augendum, atque honeſtandum. Hac vero eſſe ſingulari quadam laude efferendum videor mihi poſſe contendere. Sed illos anteceſſit Benedictus XIV., qui præmia virtutis, & meritorum ſummis honoribus Pallavicino tandem conferenda eſſe intellexit. Sacro enim Cardinalium Collegio eum adſcribere decreverat anno 1742. Sed quum per id tempus optimus Præſul neſcio quo laboraret ſtomachi vitio, falſa de illius adverſa valetudine ad Pontificem Medici ipſi decepti, ut fertur, detulerunt. Quare alteri obtigit Pallavicino decretus honor. Id ipſum tamen homini ſatis eſſe puto ad gloriam virtute, & meritis partam: memoriam enim virtutis permanere, honorum vero, atque dignitatum videmus morte evaneſcere. Paucis fere diebus Pallavicinus convaluit; qui rumorem de ea re ita deſpexit, ut majori nemo potuiſſet hilaritate lætum nuncium accipere. Illum ſtatim Benedictus Pontifex Max. Patriarcham creavit Antiochenum, & Congregationi adſcripſit examinis, ut vocant, Epiſcoporum, hæc adjungens aliis laudatiſſimi Præſulis muneribus, quibus raro unus perfungitur. Omittendum hoc loco non eſt, Pallavicinum, cumprimum intellexit ſe ab optimo Pontifice Patriarcham renunciatum, ſuos animi ſenſus ita aperuiſſe: magni facienda, quæ Summus Pontifex honoris dat inſignia; ſed hæc ſibi ſeni nullam afferre jucunditatem; plurimum contra habere quod doleat, impenſam ſcilicet pro dignitate faciendam, non exiguam auri vim ſuis adimere puellis. Multum enim opibus ſuis juvabat ſpurias, vel parentum ignaras puellas, quas domus S. Spiritus excipit, alit, atque ad connubia contrahenda adjuvat dote conſtituta.


Interea compoſitis Noſocomii rebus Pallavicinus curam, operamque impendit omnem, ut communes eidem utilitates compararet, fautore Pontifice, apud quem multum gratia, magniſque meritis valebat. Oſtium domus ſervando Noſocomii ærario, ut impoſterum militibus cuſtodibus ſepiretur, effecit. Auctor etiam fuit Pontifici, ut Noſocomii ædes ampliarentur, commodiora multa fierent, cœmeterium denique & nova forma, & longius a domo ædificaretur. Illas ædium partes, quas prædictæ puellæ incolunt, ampliatis operibus aptiores reddidit, & elegantiores. Bullam ab eodem Pont. impetravit, qua decretum eſt, ut Canonici Ordinis S. Spiritus, qui in Regnis Hiſ-

Hiſpaniæ, & Poloniæ degunt, ſuis poſthac uterentur rebus, nulla Romanæ domus, & Generalis Magiſtri habita ratione. Non levis Magiſtro, ac Præceptori inde adempta moleſtia eſt, quod ii Canonici Romam advenientes, hoſpitio in ædibus Noſocomii uti vellent, operamque peterent Magiſtri in rebus dijudicandis, & componendis, quæ ad eorum jura pertinere exiſtimaſſent, quæque, contendentibus etiam Epiſcopis, incerta reddebantur. Igitur Romæ abjecta eorum cura omnis ad ipſos locorum Epiſcopos delata eſt, his conditionibus, ut integer haberetur titulus generalis illius Ordinis Magiſtri, quo Romanus præceptor gaudebat, & ſingulis annis ab unaquaque Canonicorum domo quatuor ſcutatorum, ut vocant, aureorum cenſus ſolveretur. Tali modo quinquaginta annos in Romana Curia Pallavicinus noſter verſatus erat, ſeptimum vero, & ſeptuageſimum ætatis attigerat, quum nulla erumpente, ſed magna latente, atque enitente vi morbi, repentino interitu ex hominum conſpectu deceſſit an. 1749. die 23. Julii, ea hora, qua evigilans divinas res mente revolvere ſolebat: cubicularius enim, qui primus omnium lecto illum jacentem horrens animadverit, librum apertum juxta habentem conſpexit. Domus univerſa ſubito luctu occupata, omniſque vulgato illius mortis nuncio, commota Urbs. Ita omnibus ordinibus propter opinionem virtutis, ac pietatis probatus, & acceptus erat, ut nullus non dederit indubia mœſtitiæ, ac doloris ſigna. Elatus eſt magna pompa funeris, maximaque vulgi frequentia. Eo autem die, ut teſtamento mandaverat, pauperibus, qui patrem ſe amiſiſse clamabant, non modica diſpertita pecunia. Sepultus eſt in templo S. Spiritus juxta gradus Aræ majoris, & lapidem cum inſcriptione, quam ære inſculptam edidi, Antonius M. Marchio pater tuus, Muti egregie, poſuit. Cremonæ in amplum funus tota civitas exivit, & laudationem demortui præſtantiſſimi civis habuit Joannes Ignatius de Ambroſiis Societatis olim Jeſu alumnus, quæ typis Cremonenſibus vulgata eſt. In illa autem nihil eſt redundans, nihilque, quod non ego Romæ melius cognoverim: plura contra addenda comperi, quæ nunc proferre licuit, unde cives noſtri Præſulis optimi, qui patriam virtute, dignitate, honoribus illuſtravit, abſolutam, quam ille inchoavit, imaginem conſpiciant, quibus ipſius quoque, ære inciſum, tranſmittimus ſimulacrum, ex tabula depicta in Sacrario Templi S. Spiritus.

Tibi

Tibi vero Muti Marchio ornatiſſime in primis gratulandum nemo non fatebitur, quod in iis, quos antiquum genus tuum edidit, clariſſimis viris, Antonius M. dignus habitus ſit, qui pari omnium virtutum laude feratur. Gaudendum vero etiam mihi magnopere intelligo, cui id fortuna dedit, ut de illius rebus geſtis hæc ſcriberem, teque hoc tempore talem virum haberet ampliſſima Pallavicinorum familia, cui monumentum quoddam obſervantiæ meæ, meque ipſum fidenter committerem. Vale.

Dabam Romæ XV. Kal. Octobris an. MDCCLXXV.


FRANCISCVS ARISIVS CREMONENSIS
C. V. C.
Θ . EVPHEMO . BATHIO . P . A .
HISTORICO . ET . POETÆ .
COLONIA . CREMONENSIS . DEDVCTORI
ET . VICECVSTODI . BM . POS .
OLYMP . DCXXXI . AN . III .
AB . A . I . OLYMP . XV . AN . II .

JOSEPHO MARIÆ DE LUGO
CONGREGATIONIS DE SOMASCHA
COLONIÆ ARCADUM CREMONENSIUM VICECUSTODI

FR. THOMAS AUGUSTINUS VAIRANI ORD. PRÆD. F.

EXtant Romæ etiam in amœnis Muſarum receſſibus monumenta Cremonenſium . Hæc tibi offerenda eſſe, erudite Joſeph de Lugo, eadem ipſa poſtulant, vel hoc ſolum nomine, quod Cremonenſis Arcadum Coloniæ ſpectatiſſimus Vicecuſtos præes. Hæc ſcilicet tibi Congregationis de Somaſcha alumno cl. laudis acceſſio facta eſt, quod eloquentia, & poeſi præſtanti (cujus illuſtre ſpecimen extat tom.2. latin. Arcad. Carm.) eam Coloniam tibi jure, & merito regendam cœtus tradidit univerſus. Ingenia ad artes optimas (quod hic liceat interponere) Cremona ſemper extulit. Quibus non major quidem ſeverioris doctrinæ, quam Poetices laus debetur . Aurea Leonis X. ætate, quam ſolum commemorabo, M. Hieronymus Vida, Benedictus Lampridius, Gabriel Faernus Romæ floruerunt, dum in Inſubria pari ferebatur laude Ælius Julius Crottus *poeta acrior interdum*, *& liberior*, *ſed latini coloris gnarus*, *ac peritus*, quod obiter notavit cl. Hieronymus Ferrius Longianenſis in Commentario de Alexandro Sardio Romæ fere in his diebus edito . Id mihi vere videor poſſe contendere, Cremonenſes poſt Auguſti tempora non habere quod aliis invideant

urbibus, ſive numerus ſpectetur, ſive excellentia latinorum poetarum, quos nemo ſuperavit. Sed plura perſequi prohibet feſtinatio, ut id exponam, quod exorſus ſum. Franciſco Ariſio noſtro poſitum plane monumentum in Parrhaſio Arcadum Romanorum nemore videmus *Euphemi Bathii*, quo ipſe appellabatur, nomine. Cujus rei quæ cauſa fuerit, breviter narrabo. Marius Creſcimbenius illuſtrium Arcadum vitas vulgari ſermone vel ab ipſo ſcriptas, vel ab aliis acceptas typis edere inſtituit anno 1708., quarum vitarum collectio ad quintum tomum perducta fuit an. 1751. Arcadi, cujus vita probata eſſet, cœtus univerſi conſulto decernebatur inſcriptio cum effigie in Parrhaſio nemore collocanda. Ne Patriæ noſtræ hoc decus deeſſet; quoniam Franciſcus Ariſius illuſtris in Arcadia fuerat; Thomas Auguſtinus Ricchinius Magiſter S. Palatii avunculus meus vitam illius ſcripſit; qua a Cenſoribus perlecta, & re ad univerſum cœtum delata, lapis ſummo plauſu eidem conſtitutus fuit, cujus forma edita eſt una cum illius vita an. 1751. parte quam dixi quinta.

Jam inde ab adoleſcentia Ariſius muſas ſecutus eſt, attulitque ad hanc facultatem, præter ingenium, nativum quemdam leporem. Natus anno 1657. incidit in ea tempora, quibus indociles poetæ ſpretis non ſolum græcis, & latinis, ſed etiam italis in Apollinis aula principibus viris, imaginationi temere indulgebant, atque hac illac inani murmure vagabantur, ſtylo utentes turgido, tropiſque, ac immanibus figuris, quæ, veluti portenta, ſequens ætas profligavit. Ita tamen immoderati illi Poetæ, & Oratores, quibus eadem monſtra in deliciis erant, ſibi ſapere videbantur, ut ſanos ſe eſſe, &, quum delirarent, ſe longe ſuperioribus anteire arbitrarentur. Quo apparet homines ſæpe præjudiciis abripi; & quo tempore ſibi maxime illi lucem effulgere gloriantur, fortaſſe monendi ſunt Evangelii verbis, *vide ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint*. Ariſius id habuit a fortuna, ut in ipſa juventute renaſcentes in Italia literas cognoverit, eaſque arripere potuerit. Romæ inſtaurata Arcadia anno 1690. ſuos poeſi reſtituit colores, novamque literis lucem afferre viſa eſt, quæ ingenia excitavit Italorum, atque, ut in viam redirent, commonſtravit iter. Academiam Ariſius inſtituerat Cremonæ anno 1676. quæ *de i Diſuniti* appellabatur, de qua Garuffus multa ſcripſit in ſua Italia Academica p.1., ipſoque Ariſio Principe cla-

claruit, ut tum ferebant tempora. Politiores inde muſas gratiarum ductu feliciter excoluit, & inter Romanos Arcades Euphemii Bathii nomine connumeratus, multa vulgavit, ex quibus poſſis judicare illum non ultimum Paſtorum locum obtinuiſſe. Ex illis quædam extant to.VII. italicorum Arcadiæ carminum, & in collectionibus, quæ Faentiæ anno 1723. & Venetiis prodierunt an.1739. tom.IV. auctore Gobbio. Hæc, & minutiora omnia deſcripſit cl. Comes Jo. Maria Mazzucchellius in Epiſtola de Ariſii rebus ad D. Angelum Abbatem Calogerà, qui illam edidit to.XXXI. opuſculorum.

Boni poetæ famam hæc Ariſio conciliarunt, qua celebriores permotæ in Italia Academiæ ſibi illum collegam adjungere honoris gratia decreverunt. Illuſtrium virorum, ac poetarum amicitias coluit, atque in primis Caroli Mariæ Madii Mediolanenſis, & Franciſci Lemene Laudenſis, cum quibus diu, & familiariter epiſtolarum commercio verſatus eſt. Interea ut in patria quoque ſua, cujus amantiſſimus ſemper fuit, hæc ſtudia literarum alerentur, Ariſius curam omnem, operamque contulit. Priore illa, quam ipſe inſtituerat, ſuppreſſa Academia, auctor Cremonenſibus fuit, ut veterum exemplo Coloniam Romana deducerent Arcadia. Quod quum feliciter contigiſſet anno 1721. ipſe deductæ Coloniæ Viceculſtos omnium plauſu fuit conſtitutus, eamque, quoad vixit, non modico juventutis Cremonenſis bono rexit, ac fovit.

Hactenus de Ariſio Muſarum cultore ſcripſimus, & quæ cauſa fuerit, cur eidem poneretur in Arcadia a nobis editum monumentum, plane expoſuimus. Nunc, quoniam aliis etiam claruit nominibus, docti ſcilicet Juriſconſulti, & hiſtorici diligentiſſimi, plura a nobis eſſent perſequenda, quæ ad imaginem præſtantiſſimi civis, & de literaria Republica benemeriti viri perficiendam pertinent. Sed quum illius vita, ut ſupra ſignificavimus, in manus hominum pervenerit, eadem a nobis recoquenda fore non arbitror. Ex ea apparet præcipua Ariſium ferri laude, quod patriæ ſtudioſiſſimus fuerit, ejuſque tuendæ, augendæque claritati, & famæ, ingenium, laborem, & operam omnem ſuam contulerit. Inter Decuriones urbis adlectus florente ætate, munus *Conſervatoris Ordinum*, quod uni illorum defertur præfinito legibus biennio, ipſe per annos trigintaſex mira omnium voluntate obivit; in quo ſummam prudentiæ, & in

in rebus agendis peritiæ laudem eſt conſecutus. De hiſtoria autem literaria Cremonenſium quid dicam, ſingulari ab ipſo diligentia conſcripta? Tribus voluminibus illa concluditur, quorum duo priora typis Parmenſibus edidit an. 1702. & 1705. Illuſtres doctrina & eruditione Cives ab ultima urbis origine ad hanc ætatem ordine enumeravit, notans qua quiſque facultate præſtans, quæ obiverit munera, quæ reliquerit ingenii monumenta, quæ eruditorum judicia retulerit, quibuſque temporibus floruerit, quo loco, ac tempore deceſſerit, & quo conditus monumento. Tantas vero res plerumque nullo præeunte ſcriptore, longaque obducta nocte deliteſcentes, Ariſius protulit in lucem. In actis eruditorum, quæ per id tempus Venetiis prodibant to. x. & XIII. ſua illi conſtat laus. Par eſt de Ariſiano opere commendando Lypſienſium judicium. Qui tamen, quum ſeverius cenſuræ præeſſent, elegantiam ſe in illo, diligentiamque majorem deſiderare pronunciarunt; quorum hæc eſt ſententia part. 2. pag. 337. an. 1746. Kal. Jun. *Non quidem placebit elegantioribus lectoribus ejus ſcribendi genus, iiſdemque gratius futurum erat, ſi vitam cujuſque ſcriptoris expoſuiſſet diligentius, nec ipſos emortuales annos plerumque præteriiſſet ſilentio. Tamen cupide exceptum iri credimus hoc opus, cum, ut Plinius ait, hiſtoria quoquo modo ſcripta delectet.* Hæc ipſa primum, quæ illis arridet, reſponſio eſt, eruditos, & elegantes lectores delectari quidem, ſi ſtylum ſuavitate, & leporibus conditum ſcriptor hiſtoriæ guſtandum exhibeat, ſed illum non multum deſiderare, ſi deſit. Natura ipſa ingenitum nobis eſt hiſtoriæ oblectamentum, ut nulla alia re alliciente narrationem rerum libentiſſime audiamus, atque legamus. Eruditis, qui clarorum virorum notitiam amant, librum Ariſius dedit ſuum, latino, ut opus erat, ſermone, non quaſi ex Rethoris, ſed Forenſis officina, parum ſollicitus, an concinnam, & verborum, ac ſententiarum floſculis conſperſam funderet orationem, dum colore, & ſucco ſuo hiſtoria pateret. Alterum imprudenter oppoſuerunt. Nulla enim major Ariſio laus debetur, quam diligentiæ, & laboris. Quæ diruta ſunt temporis injuria, quæ perdita, quæ mutila, quæ manca ex antiquitate ſuperſunt, reſtaurare ne, aut divinare hiſtoricus poteſt? Verum maximo in pretio hoc ipſum Ariſii opus habendum eſſe, adverſa etiam effecit fortuna. Prioribus enim jam editis voluminibus, caſu domus illius incenſa anno 1727., non

non pauca perierunt ex antiquis monumentis, quæ in ſuam retulit hiſtoriam, ejuſque flammæ vi pene abſumptum tertium volumen improbo labore refectum edidit anno 1741.

Ad ea quæ Ariſius ſcripſit addendæ ſunt vindiciæ Marci Hieronymi Vidæ Albæ Pompejæ Epiſcopi, calumniæ cauſa olim a nonnullis vulgatæ, nuper vero recoctæ per Juſtum Vicecomitem, quod Actiones tres Cremonenſium adverſus Papienſes in cauſa Principatus, quarum auctor habitus eſt Vidas, publico decreto flammis damnatæ, ac traditæ fuerint. Extant vindiciæ illæ inter Opuſcula Calogeriana to. XXII. anni 1740. Vid. quæ ſcripſimus pag. 27. ſeq.

Non minus pietate Ariſius noſter, quam literis claruit, & ſingulari in patriam amore, quæ viciſſim illum honoribus proſecuta eſt. Hæc ſi quis cognoſcere velit, perſcripta ſunt in illius vita, quam laudavi. Longiſſimum ille ævum peregit, tantaque uſus eſt proſperitate valetudinis, & viriditate quadam, ut ad extremum uſque tempus tenacis memoriæ fuerit, ſenſibus integer, & expeditus, jucundus amicis, eademque mentis acie negotia pertractaverit, & carmina compoſuerit. Deceſſit viſcerum morbo conſumptus anno 1743. die 25. Junii annos natus 86. menſes 4. dies 22. Vitam illius ſcripſit cl. Jo. Lami, ediditque an. 1747. to. I. operis quod inſcripſit *Memorabilia Italorum eruditione præſtantium, quibus vertens ſæculum gloriatur*.

Poſtremo loco inſcriptionem ipſam referam, quam Collegii XII. viri incidi mandarunt poſitis pro more ſiglis, quarum greca Θ denatum Arcadem ſignificat.

Cœtus Univerſi Conſulto.

Θ *Euphemio Bathio Paſtori Arcadi Hiſtorico & Poetæ Colonia Cremonenſis Deductori & Vicecuſtodi poſuit Olympiade* 631. *anno* 3. *ab Arcadia inſtaurata Olympiade* 15. *anno* 1.

Habui hæc de Franciſco Ariſio, quæ hoc tempore ſcriberem. Quæ tametſi non ad omnem ejus vitæ rationem exprimendam, ſed ad illud proprie, quod edidi illuſtrandum monumentum valeant, tamen tu Joſeph Maria pro ea, qua præſtas humanitate, & in rebus iſtis peritia, ſi quid mutandum eſſe videbitur, aut ſi quid erit præteritum, velim hoc mihi dicas. Quæ enim ad patriam exornandam

per-

pertinent, quantum conniti poſſum, cupio eſſe perfecta. Antonium Mariam Patruum tuum nobiliſſimi Clementini Collegii Rectorem non minus generis, quam virtutis claritate conſpicuum bene valere, certiorem te facio. Summa illius eſt apud me auctoritas, cujus ſunt & de ampliſſima Congregatione tua, & de re literaria, atque hiſtorica præclara merita. Etiam atque etiam me tibi commendo. Vale.

Dabam Romæ iv. Non. Oct. 1775.


Defecerunt præ
oculi mei
Thren. X. XIII.
Venerabilis P. MONETA Cremonenſis
ORDINIS PRAEDICATORUM
Cauſarum Fidei per Inſubriam Quaeſitor,
Catharorum atque Valdenſium Profligator
Jugi lacrymarum vi Luminibus captus
Flor. ult. Anno Æ. C.



PETRO MARTYRI DE RUBEIS
ORDINIS PRÆDICATORUM
IN TOTA EUGUBINA PROVINCIA
CAUSARUM FIDEI QUÆSITORI

FR. THOMAS AUGUSTINUS VAIRANI EJUSD. ORD. S. P. D.

QUum his diebus finem ſacris concionibus fecerim, quas in hac ampliſſima Aula ſtatutis temporibus me habere noſti, ad intermiſſum ſtudium me retuli, Petre de Rubeis ornatiſſime, quo noſtrorum civium monumenta, quæ Romæ extant, in lucem edere, atque illuſtrare inſtitui. Nihil porro eſt literarum, aut eruditionis, quod majore voluptate in vita ſuſceperim agendum, perficiendumque: ita nos allicit amor patriæ, ut jucundum etiam laborem efficiat, & laudem quamdam vel unam hanc rem audenti, ac nitenti promittat, quæ gratiſſima eſt ſine alio emolumento ac præmio. De Moneta Cremonenſi noſtri Ord. quidpiam ſcribere ejuſdem inſtituti eſt. Non extat quidem tanti viri in Urbe monumentum ſepulcri, aut inſcriptionis; extat tamen aliquod. Codex is eſt membraneus, quo deſcripta fuit ſæculo, ut conſtat, decimoquarto SUMMA FRATRIS MONETÆ DE ORDINE FRATRUM PRÆDICATORUM, qua Catharorum, & Valdenſium præcipua errorum capita latine expoſuit, & oppugnavit. Volumen illud, ſicut cæteram bibliothecam Mariæ Chriſtinæ Svecorum Reginæ, tenet Vaticana n. 428. Res vero ipſa literas poſtulat

tuo

tuo nomine inſcriptas, qui eodem, quo olim Moneta, fidei Quæſitoris munere ſumma laude, & omnibus merito cariſſimus perfungeris. Nihil autem mihi evenire jucundius poterat, quam ut ad te virum dignitate, doctrina, & religionis ſtudio præſtantem de Moneta ſcriberem; tum vero benevolentiæ erga me tuæ aliquid palam redderem, eamque neceſſitudinem commemorarem, qua ab ineunte juventute multis nominibus, ac ipſo denique amicitiæ profiteor me tibi conjunctiſſimum. In mentem veniunt ea tempora, quibus Mantuanum nos Cœnobium tenebat; te quidem rerum Theologicarum tironibus inſtituendis peritia, ac eruditione, tum mira comitate, ſuavitate morum, atque integritate jam florentem; me vero imberbem, & plenum nugarum, exempla tamen eorum ſuſpicientem, quos revereri neceſſe erat. Quæ dum animo revolvo, toties occurrit vir clariſſimus Fidei & ipſe Quæſitor apud Mutinenſes Raymundus Migliavacca, cui traditus fui philoſophicis diſciplinis imbuendus. Utinam vero tantum profeciſſem, quantum ille vel monebat, vel alliciebat, vel demum impellebat ipſa, qua præſtabat, in rebus quibuslibet pertractandis eloquentia, gravitate, facilitate, patientia. Quod denuo dicendum mihi eſt, dum illum Cremonæ audivi Rethoricæ artis præcepta tradentem. Qua ille facultate, ut cætera prætermittam, adeo præſtat, ut omnia quæ ad dicendi artem pertinent, natura fautrice, ſit aſſecutus, atque perfectus Orator merito habeatur. Ineſt illi ad hanc eloquentiæ laudem doctrina ſummo ſtudio, & labore comparata, ac mentis acies, qua omnium argumentorum vim, naturamque cernit; eidem latera, vires, ipſaque actionis contentio ad commiſerandum, ad arguendum, ad deterrendum. Animos commovens leni, ac ſummiſſa oratione, idem improbos acriter inſequens, terrens, ſupplicans, & quoſdam quaſi aculeos in animis eorum relinquens; quam ſe cumque in partem dat, vi, acumine, copia, gravitate, ſuavitate ſemper excellit. Inſigniora Italiæ illum ſuggeſta habuerunt; idque ei contingere conſuevit, quamdiu dixit, ut concurſus non modo ex tota civitate, ſed aliis etiam ex locis fieret, complerentur templa, & multiplex corona eum admiraretur. In his commemorandis ſumma nos cum voluptate verſamur, dum ſcilicet tibi Petre Martyr ornatiſſime obſervantiæ, & amoris erga te noſtri aliquod monumentum damus, &

Præ-

Præceptori olim noſtro nequaquam pares illius beneficio, at pro noſtro tamen ſtudio meritam gratiam hoc loco, debitamque referimus. Sed redeamus jam in viam.

Moneta vir pietate, & doctrina præſtantiſſimus Ordini noſtro paullo ante inſtituto nomen dedit Bononiæ, ubi magno Academiæ plauſu philoſophiam docebat: quod non ſine quodam divini Numinis ſingulari afflatu accidiſſe proditum memoriæ eſt. Quum enim ſe nulla a re magis quam a diſciplina Cœnobitarum abhorrere declaraſſet; tamen Reginaldum Aurelianenſem Ord.Præd. de rebus divinis ad populum concionem habentem audiens, repentino conſilio mirabiliter ejus mutata eſt voluntas, ut nulla interpoſita mora ſtatuerit illud vitæ genus inire, quod ſanctiſſimi viri Dominici probatis legibus continebatur. Id vero an.1220. perfecit. Cremonam felicem omni ævo ingeniorum parentem illum genuiſſe ejus ætatis ſcriptores tradunt: quo tamen gens illius fuerit loco apud Cremonenſes non commeminerunt, quia fortaſſe in tanta nominis celebritate, virtutiſque ſplendore minus æſtimantur quæ a fortuna ſunt: quod utinam omnes intelligerent, ſcilicet, niſi quæ agimus virtute explendeant, omnem inanem eſſe gloriam genere, ac divitiis, & honoribus partam. Ejuſdem nominis familia apud Mediolanenſes, quam hanc noſtram eſſe, quæ ſequutis temporibus illuc commigraverit, multorum opinio eſt. Cremona id ſæpe tulit, ut civium propagines Mediolani, ſuis etiam eo translatis fortunis, deinceps effloreſcerent; ex quo accidit, ut qui noſtri ſunt, ſibi ea urbs vindicet, quod de Gregorio XIV. alibi ſcribens notavi. Ne vero aliquis id temere dictum putet, vel nimio in patriam ſtudio, verba proferam viri cl. Mauri Sartii Abbatis Camaldulenſis ex libro de claris Archigymnaſii Bononienſis Profeſſoribus pag.497. ubi noſtrum Monetam celeberrimum philoſophiæ doctorem laudat, " Cremonenſium, ait, vel ma-
„ xime hoc quoddam veluti fatum eſt, ut illuſtriorum civium do-
„ ctrina alias civitates ſæpenumero impertiant, priventur etiam ali-
„ quando ſplendore familiarum, quibus civitatis principis domici-
„ lium ad majorem famam comparandam aptius videtur. Sed ci-
„ vitatis ampliſſimæ gloriæ haud magnopere illud obeſſe poteſt, cum
„ novos ſemper hujuſmodi fœtus ex ſe promat, neque ipſa ad quam-
„ dam miſeriam, & ſqualorem relinquatur. Si quæ vero Acade-

„ mia, hæc certe noſtra plurimum eidem debet: nam Bononia ſinu
„ ſuo excepit tot ejus alumnos, qui egregiis ſuis laboribus eamdem
„ plurimum illuſtrarunt, quemadmodum ex cujuſque diſciplinæ Pro-
„ feſſorum ſerie intelligere licet. Et quidem neſcio an ullus ex iis
„ cum Ven. Moneta comparari poſſit, ſive pietatis, ſive doctrinæ
„ conſideratio ſuſcipiatur".

Ordini Prædicatorum adſcriptus pietatem, & divinas literas pari ſtudio Moneta coluit, & Dominicum æmulatus brevi tempore religionis zelo, & doctrina adeo valuit, ut adverſus hæreticos præſertim Catharos, atque Valdenſes, qui tum maxime Eccleſiam divexabant, acre bellum ſuſceperit, eoſque inſecutus ſtrenue fuerit, & oppugnaverit. Eum propterea laudatus Sartius Theologis accenſens hæc ſcribit. "Novam, quam ſuſcepit vitæ rationem, novo etiam
„ ſtudiorum genere, & magis ad eam accommodato ornatam vo-
„ luit. Itaque philoſophia valere juſſa, totum ſe ſacris diſciplinis
„ addixit; & quidem ita felici conatu, ut famam, quæ de eo fue-
„ rat in Philoſophia, facile vinceret alia, quam in Theologia ſibi
„ comparavit. Crediderim ſane ipſum Bononiæ inter Dominicanos
„ ſuos commorantem ſacras diſciplinas noſtris tradidiſſe, in quibus
„ ſtatim excellere viſus eſt. Certe Leander Albertus (lib v. hiſtor.)
„ id affirmat, additque exterorum etiam, atque in primis Roma-
„ norum Procerum concurſum ad eum factum, ut admirabiles de
„ Theologia lectiones ex ejus ore exciperent". Quo vero ille in tota Inſubria adverſus Catharos, & Valdenſes munere functus fuerit; quam fortunato auſu Peraldum ejus factionis principem, qui inſidiis illum interficere ſtudebat, comprehenderit, quod omnibus mirabile viſum eſt; quæ illius fuerit cum Dominico auctore Ordinis ob ipſam morum ſimilitudinem conjunctio; quid in illo ſene duritia vitæ, ac jugis lacrymarum vis effecerint, ut ſcilicet oculorum lumina amiſerit, aliaque plura hoc loco non exponemus. Etenim harum rerum cupidis Petrus Maria Domaneſchius ſatisfecit in libro *De rebus Cœnobii Cremonenſis Ordinis Prædicatorum, deque illuſtribus, qui ex eo prodiere, viris*.

Sed pauca dicenda omnino ſunt de Summa Monetæ, quam ex Vaticano aliiſque Codicibus, Th. Auguſtinus Ricchinius Magiſter S. Pal. Avunculus meus ſummo ſtudio, ac diligentia edidit Romæ amplo vo-

volumine an. 1743. Nihil ille prætermiſit, quod eſſet ab eruditis doctiſque lectoribus deſiderandum. Nam de ratione operis prælo demandandi primum egit: deinde quæ ad auctoris vitam & ſcripta pertinent, expoſuit: demum duabus diſſertationibus originem, errores, moreſque Catharorum, & Valdenſium ſtili, quo excellit, nitore, puritate, & elegantia, critices peritia, eruditionis copia, & delectu, multiſque præclaris ex hiſtoria erutis monumentis complexus eſt; ut edito operi magna ex illius lucubrationibus laus acceſſerit, quod palam fecerunt acta eruditorum Romæ, Florentiæ, & Lypſiæ ad annum 1744., eaque de cauſa doctiſſimi viri Ricchinio gratulati ſunt, Joſeph Auguſtinus Cardinalis Orſi in libro de vita & rebus geſtis ſociorum ſanctiſſimi parentis Dominici, quem a Tourono gallice ſcriptum, ipſe italice reddidit, Joan. Chryſoſtomus Trombellius Abbas Congregationis Rhenanæ S. Salvatoris to. 1. anecdot., laudatus Sartius, & alii. Appoſuit vero etiam notas uberrimas, quæ vel loca SS. Patrum indicant, quibus Moneta conſentit, vel errores illorum veterum hæreticorum a recentioribus renovatos oſtendunt; quo in laborioſo negotio perficiundo Ricchinius multum ſe debere cl. Thomæ Mariæ Mamachio profeſſus eſt. Hoc veluti regio ornatu in lucem educta eſt Monetæ Summa adverſus Catharos, & Valdenſes. Jam illius ſi modum orationis ſpectes, non ſane concinnam, non urbanis ſalibus conditam, non elegantem, immo vero dices incultam, & paullo rudiorem, ut tum erant tempora: " at neminem fortaſſe „ reperies, inquit Ricchinius, qui tanta rerum copia, argumento- „ rum pondere, ac vi adverſus eas peſtes diſputaverit ". His adiungam viri doctiſſimi Pii Thomæ Schiara a ſecretis Congreg. Indicis graviſſima verba, quibus editionem operis probans, totam Monetæ diſſerendi rationem complexus eſt. " Summa illi vis, inquit, & acu- „ men ingenii ubi ratione decertat: ubi vero Scripturarum autho- „ ritate pugnat, tanta affluit locorum frequentia, tanta opportuni- „ tate illi obvia, & præſto ſunt, ut quod initio profitetur, divini- „ tus ſibi inſpirata ſacrorum librorum teſtimonia, legenti facile pro- „ bet. Tanto autem robore & copia argumentorum adverſarios ve- „ xat, atque perſtringit, ſeu Philoſophum agat, ſeu Theologum, „ ut ne rimulam quidem illis elabendi ſinat ". Simili ratione librum Monetæ qui legerunt, faciunt tanti, ut difficile ſit in eo diſputandi genere parem invenire. Sed de Moneta ſatis.

Nolo autem epiſtolam hanc meam patriis monumentis carere. Itaque duas ad te mitto inſcriptiones marmori inſculptas, quas nuper reperii in Templo Deiparæ nomine ſacro in ipſo Portæ Flaminiæ ingreſſu. Georgius Ferrarius, cujus eſt apud nos nobilis gens, priorem Olympiæ Mangoniæ conjugi poſuit in pariete ad latus Aræ maximæ dexterum cælaturis ornatam, ipſaque conjugis ſuæ picta effigie, & inſigni gentilitio utriuſque, eaque eſt hujuſmodi.

D. O. M.
OLYMPIAE . MANGONIAE . R.
RELIGIONE . HONESTATE
PVDICITIA . MOR . SVAVITATE
ORNATISSIMAE
GEORGIUS . FERRARIVS
CREMONENSIS . CONIVNX
CONIVGI . LECTISSIMAE
QVACVM . CONIVNCTISSIME
AC . IVCVNDISSIME . VIII. AN. VIXIT
MOESTISS . POSVIT
OBIIT . III. NON. MARTII. ANNO
AETATIS . SVAE . XXIX.
SALVTIS . VERO . MDLXXXII.

Georgius Ferrarius Bibliopola, Ariſio teſte, ſepulcrum in eodem Templo, eodemque anno ſibi vivens, poſteriſque ſuis fecit. Inſcriptionem in lapide ſculptam ipſe Ariſius edidit to. 2. pag. 426.
GEORGIVS FERRARIVS CREMONENSIS SIBI POSTERISQVE SVIS MDXXCII.
quæ fortaſſe pedum frictu conſumpta nullibi extat. Quam ego deſcripſi, quæque omnibus patet, ille non novit. An idem hæc fecerit, an vero extiterint Georgii duo, ejuſdem, vel alterius familiæ Ferrariæ, divinare non auſim.

Alterius inſcriptionis humi poſitæ formam cognoſcere ſtudens operam perdidi: conſumptæ enim pedum frictu aſſiduo literæ perierunt. Illam forte vidi in libro de Origine Templi ejuſdem, quem Am-

Ambroſius Landucci Senenſis Ordinis S. Auguſtini edidit Romæ typis Franciſci Monetæ anno 1646. Deſcripta vero eſt pag. 200. tali modo.

MARTIÆ IVLIANÆ CREMONEN. MAXIMO
IN DEVM ET DEIPARAM VIRGINEM CVLTV
PIETATE ET CHARITATE IN PROXIMVM
ADMIRABILI FRVGALITATE PVDICITIA
MORVM SVAVITATE CETERISQ. ANIMI ET
CORPORIS DOTIBVS INSIGNI LAZARVS
REALDI COLVMBI CREMONEN. CHIRVRGI
CELEBERRIMI FILIVS CHIRVRGVS ET IPSE
CONIVGI BENEM. FECIT. VIXIT AN. XL.
OBIIT KAL. IVLII ANNO SAL. MDLXXVII.

Realdus Columbus, de quo mentio fit in hoc lapide, præſtantiſſimus anatomicus, atque chirurgus fuit. Publice docuit Patavii anno 1540.; deinde Piſis an. 1544. ac demum Romæ an. 1548. ubi editum ejus volumen de re anatomica, quam complexus eſt libris xv., hoc titulo. *Realdi Columbi Cremonen. in almo gymnaſio Romano Anatomici celeberrimi* de re anatomica libri xv. Romæ kal. Junii 1559. Quod opus ea ætate ferebatur in primis: recuſumque fuit Venetiis an. 1569. in officina Nicolai Bevilaquæ, & an. 1587. apud Jac. Brechtanum: Pariſiis an. 1562. typis Ægidii Lilii: Francofurti apud Jo: Wechelum an. 1590, 1593., & germanice redditum a Jo. Andrea Schenchio an. 1608. An Romæ, & quo anno Realdus Columbus obierit nondum compertum habeo. Nullum enim, quod extet, monumentum eidem poſitum fuit.

Hic edendorum monumentorum finis. Quæ enim dicenda reſtant de Paulo Sfondrato Cardinali, & Epiſcopo Cremonenſi, cujus illuſtria Romæ in Templo S. Cæciliæ extant monumenta, iis adjungam, quæ de Gregorio XIV. ejus patruo ſcripſi, quum in unum collecta omnia, & emendata rurſus prælo ſubiiciam.

Poſtremum tibi nuncio, me ineunte Majo ad te venturum, ut tuo per aliquot dies perfruar jucundiſſimo aſpectu. Alia etiam, ut Umbriam relaxandi animi gratia percurramus, nos alliciunt, at-

que

que impellunt, ſcilicet Joannis Franciſci Arigonii Præſulis, & amici ſuaviſſimi inviſendi cauſa, qui Tifernatibus præeſt, & in ipſo juventutis flore ita præeſt, ut qua virtute ſe præbere valeat in ampliſſimis quibuſque muneribus præclare obeundis judicari facile poſſit: tum novus Peruſinorum Antiſtes Alexander Maria Odoardus, quem multis abhinc annis ſummopere colo, ipſumque Epiſcopatum adeuntem admiror; tanta eſt illius prudentia, pietas, gravitas, humanitas cum magna in egenos commiſeratione conjuncta, ut non novum, ſed peritum jam Eccleſiæ, & expertum Paſtorem dicas. Quantam vel hinc capturus ſim voluptatem, intelligis. Interim cura ut valeas, meque, ut ſemper feciſti, tibi addictiſſimum dilige.

Dabam Romæ xvi. Kal. Majas an. 1776.

INDEX RERUM

LITERA *a* PRIMAM PARTEM INDICAT, *b* SECUNDAM.

A

ACademia Bononien. a Cremonenſibus illuſtrata. *b.* 194.
Academia in monte Quirinali. *a.* 6. Everſa 9.
Alba a Vida Epiſcopo ab hoſtium impetu defenſa. *b.* 12.
Albertonus (D. Aloyſius) Canonicus Cremonen. Ad eum epiſtola. *b.* 103.
Albriconius (Fr. Zacharias) Cremonen. Ord. Min. Convent. eximius Theologus. *b.* 142.
Alexander VII. P. M. Ejus literæ ad Petrum Vidonum Card. creatum. *b.* 153.
Alexander VIII. P. M. Ejus literæ ad Coſmum Etruriæ Magnum Ducem. *b.* 158.
Allius Dulcius (Paulus) Cremonen. Romæ ſepultus in æde S. Marthæ. *b.* 121.
Amadutius (Jo. Chryſtophorus), laudatus. *a.* 29.
Anna Auſtriaca Galliarum Regina Th. Turcum Mag. Gen. Ord. Præd. plurimi facit. *b.* 166.
Annibaldenſium Gens S. Sylveſtri apud montem Compatrum patrona. *b.* 1.
Antonianus (Silvius) Faernum laudat. *b.* 67. Ejus Apologos juſſu Pii IV. in lucem edit. 74. Terentium a Faerno caſtigatum Card. Borromæo dedicat. 76.
Aribertus (Jac. Franc.) Præſul in Romana Curia. Inſcriptiones Romæ ab eo poſitæ. *b.* 137. *ſeqq.* 169. *ſeqq.*
Ariberti Cardinalis monumentum. *b.* 169. Recenter poſitum. 170. Quæ de illo mandata memoriæ ſunt. *Ibid.*
Arigonus (Jo. Franc.) Mantuanus. Tifernatium Præfectus. *b.* 197.
Ariſius (Franciſcus). Ejus vita a Th. Aug. Ricchinio Mag. S. Pal. deſcripta. *b.* 186. & a Jo. Lami. 189. Lapis in Arcadia illi conſtitutus. 186. Academiam Cremonæ inſtituit. *Ibid.* Coloniam romana deducit Arcadia. 187. Decurio Cremonæ, & Conſervator Ordinum. Ibid. Ejus Cremona literata. 188. Lypſienſium de ea judicium. *Ibid.* Vindicatur. *Ibid.* Hieronymi Vidæ cauſam adv. perſonatum Juſtum Vicecomitem defendit. 189. Moritur. *Ibid.* Jo. Mariæ Mazzuchellii epiſt. de Ariſii rebus. 186.
Artium bonarum laus præclariſſima. *a.* 109.
Aureus Peruſinus Platinam carminibus e ſuggeſtu laudat. *a.* 7.
Averſus (comes Franc.). Platinæ ad eundem epiſtola. *a.* 41.

B

BElli laus. *a.* 71.
Beſſarion Card. Nicænus Platinæ favet. *a.* 5. Platinæ ad eundem epiſtola. 33.
Bibliotheca FF. Prædicat. Cremonæ a Th. Aug. Ricchinio Mag. S. Pal. Apoſt. libris aucta. *b.* 99.
Birretum rubrum Cardinalibus Regular. conceſſum. *b.* 87.
Bonettus (Julius Cæſar) Patricius Cremonenſis. Patriæ monumentis ſummopere delectatur. 64. Optimarum artium ſtudioſus. *b.* 78.
Borgia (Rodericus) Card., deinde Alexander VI. P. M. Platinæ ad eundem epiſtola. *a.* 35.
Borgia (Stephanus) Congreg. de Propaganda Fide a ſecretis librum Aug. Card. Valerii de Benedictione Agnorum Dei ad Greg. XIV. illuſtratum edit. *b.* 85.
Borromæus (S. Carolus) Faerni patronus. *b.* 66.
Boſellus (Matthæus). Lapis eidem poſitus Romæ. *b.* 125.
Boſius (Antonius) laudatus. *b.* 90. 91.
Botta (Bartholomæus) commentaria parat in Vidæ Chriſtiadem. *b.* 11.
Bottani (Joſeph) pictor, & Academiæ Mantuanæ rector. *b.* 124.
Bozius (Thomas) Eugubinus laudatus. *b.* 90.

C

CAcetus (Hercules). Eidem poſita inſcriptio. *b.* 131.
Cadolinius (Th. Cajet.) Ord. Præd. laudatur. Ad eum epiſtola. *b.* 99.
Callimachus malorum Platinæ origo. *a.* 6. 33. 36. 37.
Calvinianorum motus in Gallia repreſſi a Gregorio XIV. R. P. *b.* 87.
Calvius (Joannes) Doctor rei medicæ in Academia Piſana. *b.* 89. Ejus commentarius

rius

rius de Vireto botanico Piſano . 90.
Campani (Antonii) epiſtola ad Platinam cuſtodia detentum . *a.* 43.
Canonici Ord. S. Spiritus in regnis Hiſpaniæ, & Poloniæ Epiſcopis ſubjecti . *b.* 183. Magiſtro gen. Romano cenſum ſolvunt. *Ibid.*
Capelinus (Rochus) Cremonen. architectus Caroli V. Imp. *b.* 124.
Capitulum gen. a Th. Turco Mag. gen. Ord. Præd. Valentiæ celebratum . *b.* 174.
Caſalii nobiles romani. Horum ſacellum in Templo S. Auguſtini . *b.* 111.
Caſimirus Poloniæ rex Carolum Guſtavum tota Polonia expellit . *b.* 153.
Caſſianus (Jacobus) Cremonen. Mantuæ docuit poſt Victorinum Feltrenſem . *a.* 25.
Cataneus (Coriolanus). Statuas Chriſti, & Petri Ap. Romæ in æde S. Auguſtini collocat . *b.* 110. Quæ ſtatuæ extant in Sacello Caſaliorum, in quo juſſum a Cataneo Sacrum celebratur . 111. Ex quanam familia Cataneorum fuerit Coriolanus . Ibid. Cubicularius fuit Greg. XIII. P. M. 112.
Cavalcabobus (Auguſtinus de) laud. *b.* 137.
Cavalcabobus (Joannes de) ex nobiliſſimo genere prognatus . *b.* 135.
Cavalcabobus (Clearcus de) Aſtronomus Philippo II. Gall. regi acceptiſſimus. *b.* 135.
Cavalcabobus (Ugolinus de) Cremonæ dominus, & Guelphorum Lombardiæ princeps . *b.* 136.
Cavalcabobus (Gulielmus de) factionis Guelphorum princeps, & Cremonæ dominus. *b.* 136.
Cavalcabobus (Jacobus de) Prætor Brixiæ, Parmæ, Mediolani, & dominus Cremonæ . *b.* 136.
Cavitellus (Ludovicus) Annalium Cremonenſium ſcriptor laud. *b.* 125.
Cipellus (Jo. Jac.) poeta Cremonenſis . Hujus nonnulli verſus eduntur . *b.* 110.
Clemens VII. Hieron. Vidæ Mecænas . *b.* 8.
Clemens VIII. P. M. ſolemni pompa corpora recondit SS. MM. Cæciliæ, Valeriani &c. *b.* 92.
Clerici reg. Theatini Cremonam accerſiti . *b.* 84.
Cœnobia reipublicæ utiliſſima . *b.* 162.
Collegium Cremonen. Juriſconſult. antiquiſſimum . *b.* 80. Qui in illo admittantur. Ibid. A Greg. XIV. R. P. honoribus auctum . 86.
Collegium Canonicorum in Templo S. Jo. in Cruce a Cæſare Vidono conſtitutum . *b.* 158.
Colonia Arcadum Cremonen. *b.* 187.
Columbus (Realdus) Cremonen. celeberrimus Doctor Anatomiæ, & Chirurgiæ . *b.* 197.
Congregatio Card. fidei Quæſitorum in ædibus Minervitanis . *b.* 168.
Corycius (*Janus*) a ſecretis ſupplicum libellorum apud Julium II. alioſque PP. *b.* 109. Marmoreum monumentum exhibens S. Annam, & B. V. Corycii juſſu inſculptum . 110. A poetis celebratum. *Ibid.*
Cremonenſes Hier. Vidæ mandant, ut patriæ cauſam ſcripto tueatur adv. Papienſes . *b.* 27. *ſeq.* Eorum plauſus in creatione Cyriaci Card. Roccii . 105. Legatos mittunt ad Greg. XIV. P. M. 84. Pictores laudantur . 123. Inſcriptionem Hier. Card. Vidono ponunt . 149. Funus ab iiſdem Hier. Vidæ conſtitutum . 13. & Ant. M. Pallavicinio . 183. Celebres in Academia Bononienſi . 193. Eorum familiæ quamplures Mediolanum commigrant . *Ibid.* Vid. Collegium.
Crottus (Ælius Julius) poeta Cremonen. *b.* 185.
Cruceji (Hannibalis) epigramma in Faerni obitum . *b.* 73.

D

DEmetrius Lucenſis funus Platinæ decrevit . *a.* 7.
Diſputatio academica de pace & bello . *a.* 67.
Diſputatio habita Cæſenæ a Th. Turco Ord. Præd. exemplo Pici Mirandulani . *b.* 162. 163.
Domaneſchius (F. Petrus Maria) Ord. Præd. laud. *b.* 100. 162. 194.
Donus (Paulus) Peruſinus a ſecretis Caſimiri Poloniæ regis Petrum Vidonum Apoſt. Nuncium ædibus ſuis excepit, eidemque inſcriptionem poſuit . *b.* 154.
Doratus (Evangeliſta) Cremonen. Congregat. de Somaſcha Gregorio XIV. acceptiſſimus . *b.* 90. 94.

F

FAballus (Hieron.) Orationem habet de Vida ad Cremonenſes . *b.* 9.

Faernus (Gabriel) egregia indole præditus, & liberaliter educatus. *b.* 64. Quo anno Romam venerit. 65. Patronis utitur Franciſco Sfondrato, & Marcello Cervino Cardd. *ibid.* Corrector & reviſor librorum conſtituitur in Bibliotheca Vaticana. 66. A Card. Mediceo, qui Pius IV. fuit, in clientelam & familiaritatem receptus. *ibid.* Ad optimos latinæ linguæ auctores emendandos ſe convertit. 67. A Thuano vir literaturæ, & puritatis antiquæ appellatur. *ibid.* Illuſtrium virorum amicitia clarus. *ibid.* propter ſingularem animi candorem, vitæque innocentiam omnibus acceptiſſimus. 68. Pii IV. intimus familiaris amicis, ac Poetis præſertim adjumento eſt apud Pontificem. *ibid.* A morbo recreatus Pontificias cœnas obit. *ib.* Adverſam Dionyſii Athanaſii fortunam ſublevat. 69. Severioris Philoſophiæ ſectator divitias, atque honores contemnit. 70. Nemini ob adeptas dignitates gratulatur. 71. Epiſcopatum ultro delatum recuſat. 72. Quo anno obierit. ibid. De ejus obitu illuſtrium Scriptorum monumenta. 73. Ejus Apologi aureo ſtilo, & vario carminum genere conſcripti. 74. In Gallicam linguam iterato translati. 75. Perperam a Thuano plagii inſimulatur. *ibid.* Ejus labores in Plauto, Livioque emendando. 76. Philippicas Ciceronis ab ſe emendatas edidit. 77. Faerni Terentius a Petro Victorio Florentiæ evulgatus. 76. Variæ Faerni operum editiones recenſitæ. 77. 78. Ejus marmorea effigies a Bonaroto exculpta. 61. 63.

Fatinus (Lucidus), Platinæ ad eundem epiſtola. *a.* 37.

Ferrarius (Georgius) Cremonen.. *b.* 196.

Ferrius (Hieron.) Longianen. laud. *b.* 185.

Ficinus (Marſilius) Platinam græce doctum laudat. *a.* 107.

Flaminii (M. Ant.) carmen de Faerno. *b.* 65.

Foliata (Doninus) Orator Cremonenſium apud Carolum IV. Imp. *b.* 109.

Foliata (Jo. Petrus). Hujus imago a Raphaele Urbin. expreſſa. *b.* 109. Abbreviator, Notarius, & Familiaris Leonis X. Pont. Max. 120.

Foliata (Petrus) poeta, & ab epiſtolis Herculis Ferrariæ Ducis. *b.* 109.

Fraganeſchius (Ign. Maria) Cremonæ epiſcopus laudatur. *b.* 79.

Fraganeſchius (Marchio Jo. Bapt.) Mediolani pro Cremonen. Orator. *b.* 161.

Fricianta (Gregoria). *b.* 110.

G

Galatini (F. Petri) Ord. Min. Conv. plagium. *b.* 174.

Galleratus (Rogerius) Aromatarius Cremonen. *b.* 130.

Gallettus (Aloyſius) Abbas Benedictinus laud. *b.* 111. Inſcriptiones omnes, quæ Romæ extant, collegit. 141.

Gariboldus (Andreas) mercator Cremonen. *b.* 129.

Gonzaga (Ludovicus) Mantuæ Marchio Platinæ patronus. *a.* 4.

Gonzaga (Ferrantes) Cæſarianus dux ab Albæ expugnatione Vidæ Epiſcopi literis, deterritus. *b.* 11.

Gonzaga (Franciſcus) Card. Platinæ patronus. *a.* 4. Platinæ ad illum epiſt. 35.

Gravinæ (Vincentii) de Vidæ Chriſtiade judicium. *b.* 16. De cæteris Poematibus. 17.

Gregorius XIV. (Nicolaus Sfondratus) Cremonæ vindicatus. *b.* 80. *ſeqq.* Cremonæ Epiſcopus. *Ibid.* Concilio Trident. interfuit. 84. Seminarium Cremonæ extruxit. *Ibid.* Clericos Reg. Theat. Cremonam accerſivit. *Ibid.* Synodum celebravit. *Ibid.* Fit Cardinalis -- & ſummus Pontifex. *Ibid.* Inter ejus virtutes mira patientia fuit. 85. Commendatur ab Aug. Card. Valerio. 86. Quæ præclare geſſit. *Ibid. ſeqq.*

Guſtavus (Carolus) rex Svecorum Poloniam invadit cum magnis copiis. *b.* 153. Expellitur. *Ibid.*

Guzmanus (Gaſpar Alphonſus Pereſius) Methimniæ Aſſidoniæ Dux Th. Turcum Mag. gen. Ord. Præd. honoribus proſequitur. *b.* 167.

Gybertus (Jo. Matthæus) Vidæ amicus beneficentiſſimus. *b.* 6. Pontificis legatus ad Europæ reges. 7.

H

Hoſii (Stanislai) Epiſt. ad Latinium de Faerno nunquam edita. *b.* 69. Ejus judicium de rigidiore Faerni dogmate. 71.

I

INnocentii X. P. M. dictum in obitu Thomæ Turci Mag. gen. Ord. Prædicatorum *b.* 168. Ejuſd. literæ ad Caſimirum Poloniæ regem, 152.

Innocentii XI. P. M. Literæ ad Joann. Sobieſki Poloniæ regem. *b.* 155. ad Gregorium Carafam Magnum Magiſtrum Hoſpit. S. Jo. Hieroſol. 157. ad Marchionem de Carpio Proregem Neapoli. *Ibid.*

Inſcriptio Hieronymo Card. Vidono a Cremonenſibus poſita. *b.* 149. & in eremo Monachorum Camald. prope Tuſculum a Petro Card. ejus nepote 160.

Inſcriptio in ædibus Epiſc. Laud. Petro Vidono poſita. *b.* 154.

Inſtrumentum anni 1479. quo ſtatuuntur confinia domus Pomponii, & Platinæ in Quirinali. *a.* 9. 10.

Inventio corporum SS. MM. Cæciliæ, Valeriani, Tiburtii, Maximi, Urbani, & Lucii. *b.* 91. *ſeqq.* & Agnetis 97.

Iræ ſedandæ præcepta. *a.* 119.

f. Jucundus de Verona Ord. Præd. inſignis Mathematicus. *a.* 2.

Julianæ (Martiæ) poſitus lapis a viro ſuo Lazaro Columbo Cremonen. *b.* 197.

L

LAmi (Joannes) vitam edit Franc. Ariſii. *b.* 189.

Lagomarſinius Thuanum Faerni cauſa non neceſſario exagitat. *b.* 75.

Lampridius (Benedictus) poeta Cremonenſis laud. *b.* 185.

Laſteſius (Natalis) laud. *a.* 14.

Latinii (Latini) præclara de Faerni virtute teſtimonia. *b.* 68. 70.

Lauretum Academicum Pomponii Læti. *a.*9.

Legati Cremonenſes ad Greg. XIV. P. M. *b.*84.

Leo X. P. M. Vidæ Mæcenas. *b.* 5. *ſeqq.* Ejus juſſu Vida poema Chriſtiados aggreditur. *Ibid.*

Leonicenus (Omnibonus) Platinæ præceptor. *a.* 17. Mantuæ docuit poſt Jac. Caſſianum Cremonen. *Ibid.*.

Lucatello (Sfortiæ) poſita inſcriptio. *b.* 126.

Lugo (Ant. M. de) Romæ Collegio Clementino præeſt. *b.* 190.

Lugo (Joſ. M. de) Congreg. de Somaſcha Coloniæ Arcadum Cremonen. Vice-Cuſtos. *b.* 185.

M

MAffejus (Marius) Urbani VIII. Cubicularius ad Cyriacum Roccium Card. mittitur. *b.* 107. *ſeqq.*

Mamachius (Th. M.) Ord. Præd. Theol. Caſanat. laud. *b.* 195.

Manara (Hieron.) Abbas Canonicor. Reg. Lateranen. S. Petri Cremonæ. *b.* 1.

Manna (Petrus) Cremonen. grammaticus, & rethoricus probatiſſimus. *a.* 25.

Mantegatius (F. Ant.) Cremonen. Auguſtinienſis. Ejus doctrina, & mira prudentia. *b.* 140. 141.

Mantuæ Academia Pictorum. *b.* 124.

s. Margaritæ templum in urbe Cremona Vidæ ſumptibus magnifice reædificatum. *b.*13.

Marinus (Cajetanus) Archivi Vaticani Propræfectus laudatus. *b.* 66. 69.

Martini (F. Raymundi) Ord. Præd. Pugionis fidei Chriſt. editio. *b.* 174. *ſeqq.*

Maurocenus (Petrus) Orator Venetorum apud S. Sedem. *a.* 42. Platinæ ad illum epiſtola. *Ibid.*

Mauſſac (Phil. Jac.) Th. Turci Mag. gener. Ord. Præd. ad eum epiſtola. *b.* 174.

Mazzucchellius (Comes Jo. Maria). Ejus epiſtola de Ariſii rebus. *b.* 187.

Medices (Coſmus, Petrus, & Laurentius) Platinam in clientelam recipiunt. *a.* 4.

Migliavacca (Raymundus) Ord. Præd. Mutinæ fidei Quæſitor. *b.* 192. Præſtantiſſimus Orator. *Ibid.*

Mingarelli (Jo. Aloyſius) Abbas Congregat. Rhenanæ S. Salvat. laudatur. *b.* 120.

Monachi Congreg. S. Bernardi Cæſaris Vidoni liberalitate Monaſterium extruunt prope oppidum Caſalisbutani. *b.* 159.

Moneta (Ven. F.) In Academia Bononienſi Philoſophiæ doctor. *b.* 193. Singulari Dei afflatu Ordini Præd. adſcriptus. *Ib.* Theologiam docet. 194. Fidei Quæſitor in tota Inſubria. *Ibid.* Ejus geſta & ſcripta adv. Catharos & Valdenſes. *Ibid.* Mauri Sartii de eo teſtimonium. *Ibid.* Clarorum virorum de ejuſd. ſcriptis judicium. 195. Editio eorundem. *Ibid.*

Mons Compater prope Tuſculum Vidæ ſeceſſus. *b.*1. Familiæ Annibaldenſium patronatus. *Ibid.*

Morellius (Jacobus) laud. *a.* 14.

N

NErius (Petrus Martyr) pictor Cremon. Academiæ Romanæ Princeps. *b.*122.

Ne-

Noguerus (Jacobus) Faerni opere Summo Pontifici notus . 69.
Noſocomii Rom. S.Spiritus in Saxia res male verſæ . *b.* 180. Refectæ . *Ibid.* Ædes ampliatæ . 182.
Numiſmata in Vidæ honorem percuſſa . *b.* 23.

O

ODoardus (Alexander M.) Peruſinorum Epiſc. laud. , *b.* 197.
Ordo Præd. a Philippo IV. Hiſp. rege commendatus. *b.* 166. Ejus decreto Magiſtri gen. ejuſd. Ordinis omnes poſt Th. Turcum regni Magnatum numero adſcribendi . *Ibid.*
Oſcaſala (Leona) M.Hier.Vidæ mater. *b.* 3.

P

PAcis laus. *a.* 71.
Pallavicinorum genus antiquiſſimum . *b.* 178. Unde in Italia propagatum . *Ibid.*
Pallavicinus (Ant. Maria) Præſul commendatiſſimus . *b.* 177. Viventia de illo teſtimonia . 178. Ejus munera in Romana Curia uſque ad an. 1737. 178. Archiepiſcopus Naupacti . *Ibid.* Ejus vitæ inſtitutum . 179. Religio , pietas , liberalitas in egenos , moderatio . *Ibid.* Cultus domeſticus . 181. *Conſultor* Romanæ univ. Inquiſitionis . 180. Magiſter Noſocomii , & Ordinis S.Spiritus in Saxia. *Ibid.* Quæ in eo munere præclare geſſit . 181. *ſeqq.* Fama de illius Cardinalatu. 182. Patriarcha Antioch. *Ibid.* Ejus præclarum dictum . *Ibid.* Moritur . 183. Ejus funus Romæ , & Cremonæ . *Ibid.*
Pallavicinus Clavellus (Marchio Mutius) laud. . *b.* 177.
Pani (Vincentius) pictor, & architectus Cremonenſis . *b.* 124.
Paravicinus (Vinc.) Platinam dicit Baptiſtam, Veronenſem , Sacerdotem &c. *a.* 9.
Paulus II. P. M. Abbreviatores a Pio II. in Curiam adſcitos tollit . *a.* 6. In Platinam animadvertit . *Ibid.* Platinæ ad eundem epiſtolæ . 30. *ſeqq.*
Philippus IV. Hiſp. rex Th. Turcum Mag. gen. Ord. Præd. ejuſq. ſucceſſores regni Magnatum numero haberi mandat. *b.* 166.
Piazza (Zacharias) Auguſtinienſis laud. *a.* 1.
Piccolomineus (Franciſcus) Card. Senen. Platinæ ad eum epiſtola ſuper vita Pii II. P. M. *a.* 108.
Piccolomineus (Jac. Amannatus) Card. Platinæ patronus *a.* 5. Platinæ ad eundem epiſtolæ . 11. 36.
Pius II. P. M. pacem Italiæ conciliat . *a.* 67. 117.
Platina (Bartholomæus Saccus) unde dictus. *a.* 2. Quæſtio de ejus nomine . *Ibid.* Vita ejuſd. ab Angelo Caferrio deſcripta . 4. Militiam ſequitur -- Literas colit Mantuæ, & Florentiæ . *Ibid.* Romam venit . 5. Abbreviator Parci majoris -- Eo munere privatur -- Libertati reſtituitur. *Ibid.* Diſſerit coram Pont. de bello Turcis inferendo . 6. In carcerem iterum conjicitur -- Abſolvitur -- Ad Balnea ſecedit -- Vitas ſcribit RR.PP. -- Primus Vaticanæ bibliothecæ præficitur . *Ibid.* Moritur. 7. Funus ei decretum *ibid.* Ingenii ejuſd. , & eruditionis laus . *Ibid.* Ejus domus in Quirinali . 9. Quo loco ſita . *Ibid.* Eam Pomponio moriens reliquit . 2.
Platinæ opera , eorumque editiones , & verſiones. *a.* 11. *ſeqq.* Ejuſdem opuſcula nunc edita . Commentarius de vita Victorini Feltren. 14. Epiſtolæ quas cuſtodia detentus ſcripſit . 30. Ejuſd. tractatus de laudibus pacis . 67. Oratio de laudibus bonarum artium ad Pium II. P. M. 109. Interpretatio Dialogi Plutarchi de ira ſedanda , & in eundem dialogum Prooemium ad Sixtum IV. P. M. 119.
Plutarchi Dialogus de ira ſedanda a Platina latine redditus . *a.* 120.
Pomponius (Lætus) orationem habet in funere Platinæ . *a.* 7.
Pontificum Maximorum ad Vidam epiſtolæ . *b.* 30. 33.
Pope (Alexander) Vidæ laudem tribuit ſingularem . *b.* 9. 34.
Porto (Franciſcus) Cremonen. *b.* 128. Legata ab eo condita . *Ibid.*
Præfectus I. Bibliothecæ Vatic. *a.* 6.
Prendilaqua (Franciſcus) . Ejus Dialogus de vita Victorini Feltrenſis laud. *a.* 14.
Presbyteri Congreg. S. Philippi Nerii Thomæ Vidoni liberalitate Cremonam acciti ſubſiſtunt . *b.* 158.

Q

QUæſtio de ætate Hier. Vidæ . *b.* 24.
Quintilius Varus Cremonenſis , Virgilii amicus , & poetarum cenſor . *b.* 9.

R

RAparia (Iſabella) Cremonen. lapidem ponit viro ſuo . *b.* 143.
Raparius (Matthæus) Cremonen. Familiaris S. Pii V. *b.* 143.
Ricchinius (Th. Aug.) Mag. S. Pal. laudatur . *a.* 8. *b.* 87. Bibliothecam Cremonenſis Cænobii O. P. innumeris pene libris auget . 99. Vitam Franc. Ariſii ſcribit . 186. Summæ Monetæ editionem Romæ perficit . 195.
Roccius (Bernardinus) Cremonen. pater Cyriaci Card. *b.* 106. Sacellum & ſepulcrum Rocciorum ab eo poſitum Romæ in Templo B. V. Montiſſerrati . *Ibid.*
Roccius (Cyriacus) Cremonen. S.R.E.Card. *b.* 104. *ſeqq.* Inſcriptio eidem Cremonæ poſita . 105. Munera quibus Cyriacus perfunctus eſt antequam Cardinalis diceretur . 107. Urbani VIII. ad eum literæ . *Ibid.* Ad hanc dignitatem evectus poſt menſes ſex Legatus Ferrariam contendit . *Ibid.* In ſepulcro Rocciorum quieſcit . 106.
Rodianus (Cæſar) Sacellum Romæ ornat in Templo Hoſpit. Incurab. S. Jacobi , in quo Sacrum perpetuo fieri conſtituit ære ſuo . *b.* 127. Ejus , ſuorumque ſepulcrum . *Ibid.*
Romæ inopia publica levatur a Gregor. XIV. *b.* 87.
Rota (Jo. Franciſcus) Romæ variis muneribus , ac dignitatibus illuſtris . *b.* 112. Illius poema inſcriptum : *della noce di Benevento* . 114.
Rubeis (Petrus Martyr de) Ord. Præd. Eugubii fidei Quæſitor . *b.* 192.

S

SAcelli a Hier. Card. Vidono Romæ ædificati deſcriptio . *b.* 150.
Sancius (Rodericus) Epiſc. Calaguritanus Præfectus arcis S. Angeli . *a.* 29. Ejus ad Platinam cuſtodia detentum epiſtolæ . 45. *ſeqq.* Ejuſd. commendatio armorum militarium . 70. *ſeqq.*
Sartius (Maurus) Abbas Camaldulenſis . Ejus de Moneta , aliiſque Cremonenſibus illuſtre teſtimonium . *b.* 193. 194.
Sartius (D. Ubaldus) Abbas Hieronymita . Ad eum epiſtola gallice ſcripta . *b.* 115.
Scalia , ſeu Scalea (Deſiderius) cooptatur in Ord. Præd. *b.* 100. Eximius Theologus , ac Inquiſitionis Commiſſarius. *Ibid.* Cardinalis renunciatur , & Epiſcopus Melphien. , deinde Novocomen. 101. Romam accerſitus ab Urbano VIII. *Ibid.* Inſcriptiones poſitæ eidem duæ . 102. Alphonſi Ciacconii de eo judicium. *Ibid.*
Scalia (Hiacynthus) Abbas,& Cardinalis Deſiderii pronepos . *b.* 102.
Scaliger (Julius Cæſar) Vidæ obtrectator a Vulpio præclare reprehenſus . *b.* 17.
Schiara (Pius Thomas) Ord. Præd. a ſecretis Congr. Indicis. Ejus judicium de Monetæ ſcriptis . *b.* 195.
Schinchinellius (Comes Alexander) laudatus. *b.* 63. Ad eum Auctoris Epiſtola Gallico idiomate exarata . 61.
Seminarium Clericorum Cremonæ conſtructum . *b.* 84.
Seraſſius (Petrus Ant.) laudatus . *b.* 22.
Sfondratorum familia Cremonenſis . *b.* 80. Mediolani adhuc viget . *Ibid.* Morerius emendatur . *Ibid.*
Sfondratus (Baptiſta) juriſc. Collegii Cremonenſis . *b.* 81. Senator Mediol. *Ibid.* Legatus ad Principes & RR. PP. *Ibid.*
Sfondratus (Bartholomæus) a ſecretioribus arcanis Reipublicæ Epidaurienſium. *b.* 81.
Sfondrati (Federicus & Nicolaus) fratres juriſconſulti Collegii Cremonen. *b.* 81.
Sfondratus (Ferdinandus) muneribus in Romana Curia perfunctus . *b.* 80.
Sfondratus (Franciſcus) Gregorii XIV. pater. *b.* 82. Patrio juriſc. Collegio adſcriptus -- Senator , & aulicus Caroli V. Imp. Conſiliarius -- Epiſcopus Sarnen. -- Deinde Archiep. Amalphitanus -- Demum Cardinalis -- Et Cremonæ Epiſcopus - Comitiis Spirenſibus nomine Rom. Pont. interfuit -- Bis Apoſtolicus Legatus ad Carolum V. Imp. *Ibid.*
Sfondratus (Matthæus) Cremonæ cl. Philoſophiæ & Aſtrologiæ doctor . *b.* 80.
Sfondratus (Nicolaus) Vid. Gregor. XIV.
Sfondratus (Paulus) Card. tit. S. Ceciliæ . *b.* 90. Detegit corpora SS. MM. Cæciliæ , Valeriani , Tiburtii &c. 91. Magno ſumptu ſepulcrum eorundem Martyrum ditat -- Templumque ipſum ornat . 92. Bononiæ Legatus . *Ibid.* Deiparam Lauretanam colit -- & pretioſis muneribus donat . 93. Detegit quoque corpus S. Agnetis V. M. 93. Ejuſd. inventionis deſcriptio 95. Templum eidem Virgini

ſacrum ornat. 93. Cremonæ Epiſcopus – Tum Albani. *Ibid.* Ejus victus, & cultus domeſticus – Sepulcrum ſibi vivens fecit – Hæredem inſtituit S. Cæciliam. *Ibid.* Tiburi obiit. 94.

Sfortia (Aſcanius Maria) S.R.E. Card. Huic a Julio II. P. M. monumentum ſepulcrale cum inſcriptione poſitum. *b.* 115. Cremonæ Aſcanius natus. 116. *ſeq.* Summa ejus vitæ capita. 117.

Sixtus IV. R.P. bibliothecam Vaticanam perficit. *a.* 6.

Sorexina (Georgius) Margaritam Vidonam ducit uxorem nomine Cæſaris Vidoni ſumpto, fortuniſque potitus Vidonorum. *b.* 156.

Spinula (Marius) Abbas, & Cubicularius Alex. VII. P. M. birretum ad Petrum Vidonum Card. Varſaviam defert. *b.* 153.

Stanga (Antonius) a Conſiliis Jo. Galeatii Ducis Mediol. & Orator ad Ferdinandum regem. *b.* 138.

Stanga (Chriſtophorus) Legatus Jo. Galeatii Vicecomitis ad Wenceslaum Imp. & ad duos RR.PP. Chriſtophorus alter a Jo. Galeatio Maria Sfortia commendatus. *b.* 138.

Stanga (Jo. Bapt.) Comes Caſtri novi Buccæ Abduæ. Ejus pietas. *b.* 137. *ſeqq.* An idem Legatus fuerit Urbis Cremonæ ad Gregor. XIV. P. M. 140.

Stanga (Marchiſinus) Annonæ Ducatus Mediolanenſis Præfectus, & Jo. Galeatii Mariæ ducis Mediol. a ſecretis. *b.* 138.

Sumus (Dominicus) Cremonen. Epiſcopus Biſinianenſis. *b.* 134. Inſcriptio illius ſepulcralis emendata vulgatur. *Ibid.*

S. Sylveſtri ædes cum monaſterio in monte Compatro antiquiſſima. *b.* 1. Canonicorum Lateranenſium Ordini oblata. 2. Abbatis titulo inſignita. *Ibid.* Carmelitis Diſcalceatis tradita Clemente VIII. P. Max. *Ibid.*

Synodus Cremonenſis. *b.* 84.

T

TArteſſius (Paulus) Poeticorum Vidæ libros Cremonæ publicæ interpretatur. *b.* 8. 9. De Virgiliana Vidæ imitatione verba facit. 19.

Templa a Vida Epiſcopo aut refecta, aut ornata. *b.* 13. 14.

Templum Caravagii B. M. V. a Fonte ſacrum XII. m. aureis donatur a Th. Vidono. *b.* 158.

Thuani calumnia in Faernum confutata. *b.* 74. 75.

Tolomeus (Jacobus). Platinæ ad eum epiſtola. *a.* 38.

Torrentius (Laevinus) Faernum laudibus extollit. *b.* 67.

Toſcani (Jo. Matthæi) carmen de Faerni laudibus. *b.* 78.

Triſtramus (Thomas) brevem de Hier. Vidæ vita commentarium ſcribit. *b.* 3.

Truchſeſii Othonis Card. Auguſtani Epiſtola de Faerni obitu. *b.* 73.

Turcus (F. Thomas) Mag. gen. Ord. Præd. mirabilis ingenii experimentum præbet. *b.* 162. 163, Bononiæ Artium doctor. Cardinali Ludoviſio cariſſimus – *Ibid.* Patavii doctor Metaphiſicæ – Linguarum Orientalium peritus. 164. Romæ Procur. gen. ſui Ordinis. *Ibid.* Quibus virtutibus maxime floreret. 165. Magiſter Ordinis renunciatus. *Ibid.* Provincias perluſtrat. 166. Ejus præclare geſta Pariſiis – Ab Anna Auſtriaca Gall. regina honoribus, & muneribus auctus – Clariſſimum in Hiſpania ejus nomen – Philippus IV. rex Catholicus regni Magnatum numero eundem adſcribit. *Ibid.* Gaſpar Alph. Pereſius Guzmanus Methimniæ Aſſidoniæ dux par illi imperium in ſuis ditionibus eſſe vult. 167. Capitulum gen. celebrat Valentiæ in Hiſp. – De ſtudiorum ratione multa ſtatuit huc uſque ſervata – Dat operam, ut auctores ſui Ordinis typis in lucem proferantur. *Ibid.* Ejuſd. epiſtola ea de re ad univerſos Prædicatores. 171. – ad Mauſſacum – & Vicinium. 174. 175. Patribus in Capitulo Valentino quæ agebantur exponit, & quas pecunias, & a quibus acceperit. 174. Romæ ampliſſimas ædes conſtruit celebrandæ Congregationi Cardinalium fidei Quæſitorum. 168. Moritur. *Ibid.* Innocentii X. P. M. dictum. Ejus laus præcipua. *Ibid.*

Turrianus (Janellus) Cremonen. Philippi V. Hiſp. regis architectus. *b.* 125.

V

VAinius (Julius Cæſar). Ad eum epiſtola. *b.* 133.

Vainius (Julius) laudatur. *b.* 133.

Valerii (Auguſtini) Card. liber de Benedictione agnorum Dei ad Gregor. XIV. *b.* 85. Et de Conſolatione ad eundem. 86.

Valiſcara. Platinæ ad eum epiſtola. *a.* 42.

Vicecomes (Anna) Greg. XIV. mater. *b.*83. Summæ moritur, & filius ex ejus utero educitur. *Ibid.*

Vicecomes (Comes Cæſar). Ad eum epiſtola. *b.* 119.

Victorinus Feltren. celeberrimus Mantuæ literarum doctor. *a.* 13. Ejus vita a Platina deſcripta. 14.

Victorius (Petrus) Faerni amiciſſimus. *b.*76.

Vida (M. Hieronymus) Cremonæ natus familia conſulari. *b.* 3. Ejus parentes, & educatio. *Ibid.* Ingenium, & incredibilis in optimarum artium ſtudiis profectus. 4. Mantuæ Canonicorum Regul. inſtitutum amplectitur. *Ibid.* Romam venit Julio II.Pont., & in Oliverii Carafæ Card. clientelam recipitur. 5. A Leone X. ultro accerſitus ad res divinas verſibus explicandas excitatur. *Ibid.* Giberti amicitia, & favore adjutus S. Sylveſtri monaſterium in monte Compatro obtinet. 6. Eo in receſſu literario otio perfruitur, & ſuis Camænis indulget. 7. Clementem VII. liberalem experitur, & ſuæ Chriſtiados legendæ cupidiſſimum. 8. Poeticorum, & Bombycum libri Romæ editi cum Scacchia ludo. *Ibid.* Virgilianam in Chriſtiade gravitatem aſſequitur. 9. Illuſtrium Scriptorum de hac re teſtimonia. *Ibid.* Albæ Epiſcopus creatur. 10. Ejus vitæ ratio in Epiſcopatu, & Chriſtianarum virtutum exempla. *Ibid.* Paſtoralis ſollicitudo & conſtantia in ſuo grege conſervando. 11. Albam a Gallicanis cohortibus prope expugnatam armato repente populo defendit, hoſteſque in foſſam præcipites deturbat. 12. Concilio Tridentino interfuit. *Ibid.* S. Margaritæ templum prope dirutum Cremonæ ingenti ſumptu ædificat. 13. Lapides duo cum elegantiſſimis inſcriptionibus a Vida in eo templo erecti. *Ibid.* Alias ſacras ædes alibi aut reſtituit, aut ornat. 14. Ejus pia mors, & funus ſumptu publico decretum, *Ibid.* Epitaphium cum inſigni elogio poſitum. 15. Ejus ſcripta, & doctorum virorum de iis judicia. 15. *& ſeq.* Chriſtiados libri. 16. Cætera poemata. 17. Carmina, vel ſuppreſſa, vel abdicata. 18. Ejus antiquos imitandi ratio. 19. De Vidæ adverſariis, & obtrectatoribus. 20. Variæ ejus poematum verſiones. *Ibid.* Opera ſoluta oratione conſcripta. 21. 22. Libri de Republica copioſiſſimi atque graviſſimi in hortis ſuburbanis apud Tridentum ſcripti. 21. Numiſmata in ejus honorem percuſſa. 23. Operum ab eo ſcriptorum ſeries, & multiplices editiones. 24. *& ſeqq.* Epiſtolæ nunc primum editæ. 28. 29. 30. 31. Carmina, quæ in editionibus deſiderantur. 37. *& ſeqq.*

Vidona (Anna) nubet Goldono. *b.* 156.

Vidonus (Cæſar) Collegium Canonicorum inſtituit -- Et poſſeſſionem dono dat Monachis Congreg. S. Bernardi. *b.* 158.

Vidonus (Hieron.) S. R. E. Card. Cubicularius Clem. VIII. P. M. *b.* 146. Refer. utriuſque Signat. -- Et Abbreviator Parci majoris -- Pro legatus in Piceno -- Cameræ Ap. Clericus -- Ærarii Pont. præfectus -- Flaminiæ Præes -- Curator militiæ Pont. -- Cardinalis. *Ibid.* & 147. Ejus elogium 148. Sacellum ædificat, ornatque. 150. Corpus S. Sebaſt. M. nobiliorem in locum collocat. *Ibid.*

Vidonus (Joannes) Marchio S. Jo. in Cruce Romæ adoleſcens moritur. *b.* 150. Eid. poſitum monumentum. *Ibid.*

Vidonus (Jo. Bapt. Goldonus) Referendar. utriuſq. Sign. *b.*159. Arimino, & Benevento præeſt -- Cameræ Apoſt. Præſes -- Moritur. *Ibid.*

Vidonus (Joſeph Sorexina) Marchio S. Jo. in Cruce laudatus. *b.* 145. Ad eum epiſtola. *Ibid.*

Vidonus (Petrus) S. R. E. Card. literis imbutus in Semin. Rom. & in aliis Academiis -- Utr. Sign. Refer. -- Tiburem regit -- Et Sabinam Provinciam -- Ariminum -- Urbem veterem -- Spoletum -- Marchiæ Præfectus -- Epiſcopus Lauden. *b.* 151. Quæ ibi præclare geſſit -- Nuncius Ap. ad Caſimirum Pol. regem -- Quæ illi contigerunt. *Ibid.* Cardinalis. 153. Romam redit -- Bononiæ Legatus - Ædem Legatorum inſtaurat -- Pinacothecam ornat. *Ibid.* Protector Ordinis Monach. Camald. -- & regni Poloniæ. 155. Abſidem Templi S. Pancratii ædificat -- Sacellum in Templo S. Mariæ de Victoria ornat. *Ib.* Dotem conſtituit, qua unus e familia ſua viciſſim, & Goldona *Prælatus* Romæ

mæ ſubſiſtat. 156. Franciſci Ariſii de illo judicium. *Ibid.*
Vidonus (Petrus Sorexina) laudatus. *b.*159.
Vidonus (Thomas Sorexina) utr. Sign.Refer. *b.*157. Præfectus Centumcellis -- Fabriani -- Firmi.-Melitæ Inquiſitor -. Archiep. Edeſſenus -- Et Florentiæ Legatus Sedis Ap. *Ibid.* Cameræ Ap. Clericus -- Moritur. 158. Ejus pietas -- Largitiones. *Ib.*
Vidona gens deſinit in Petro Card. *b.* 156. Margaritæ Vidonæ ejus ſororis conjugio Sorexinæ familiæ copulatur. *ibid.*
Voiſin (Joſeph. de). Th. Turci Mag. gen. Ord. Prædic. ad eum epiſtola. *b.* 175.
Volaterranus (Jacobus) laudatus. *a.* 7. Ejus Diarium. *Ibid.*
Urbanus VIII. P. M. Ejus literæ ad Cremonenſes 147.
Vulpii error de Vidæ Præfectura S. Stephani in litore Liguſtico. *b.* 8. Ejus teſtimonium de Carminum Vidæ præſtantia. *b.*15.

Z

Zeno (Apoſtolus) laud. *a.* 2. 67.

EDITIO ABSOLUTA
TYPIS GENEROSI SALOMONI
ANNO ÆRÆ VULGARIS MDCCLXXVIII.
DIE XXII. JULII
UNIVERSAM ECCLESIAM FELICITER REGENTE
SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
PIO DIVINA PROVIDENTIA PAPA VI.
PONTIFICATUS EJUSDEM
ANNO IV.

APPENDIX

AD MONUMENTA CREMONENSIUM

QUÆ ROMÆ EXTANT.


APPENDIX CONTINET MONUMENTUM THOMAE AUGUSTINO RICCHINIO MAGISTRO SAC. PALATII POSITUM . FRANCISCUS M. POLLIDORIUS ORD. PRAED. MAGISTER S.THEOLOGIAE ILLUSTRATUM ILLUD DEDIT AD AUCTOREM HUJUS LIBRI ATQ. ACERBISSIMUM EJUS LUCTUM ELEGANTI COMMENTARIOLO LEVAVIT QUEM EDERE NON DISTULIT . VIRTUTES ENIM EORUM QUOS CAROS HABUIMUS VULGARE ATQUE IMMORTALITATI TRADERE NON PARUM ADDIT SOLATII. ACCEDIT AUCTORIS AD POLLIDORIUM RESPONSIO QUAE EXHIBET QUAMDAM CONSUETUDINIS RICCHINII AVUNCULI SUI IMAGINEM ABSQUE MENDACIO .



Rev.mus P. Fr. THOMAS AUGUSTINUS RICCHINIUS
Ord. Praed. Sacri Palatij Ap.lici Magister

Petrus Fraſsi Cremonensis pinxit, eidemq; Civi suo Clariſsimo
L. M. D. D.

Ang. Camp[illegible] fecit



D · O · M

PII . VI . PONT. MAX. ANNO . V

F. THOMAE . AVGVSTINO . RICCHINIO

CREMONENSI . ORD . PRAED

MAGISTRO . S. PALATII . APOSTOLICI

PIETATE . INGENIO . DOCTRINA

SCRIBENDI . ELEGANTIA

PRAESTANTISSIMO

QVI . VIXIT . AN. LXXXIII. M. IX. D. XVII

FF. PRAEDICATORES . CREMONENSES

SODALI . INCOMPARABILI

ET. OPTIME . DE . SE . MERITO

M . P

OBIIT . XII. KAL. FEBR. MDCCLXXIX

FR. FRANCISCUS MARIA POLLIDORIUS
ORDINIS PRÆDICATORUM

FR. THOMÆ AUGUSTINO VAIRANO EJUSD. ORDINIS S. P. D.

QUUM volumen Monumentorum Cremonenſium, quæ extant Romæ, a te anno ſuperiore in vulgus editum, legiſſem, & paucis ab hinc diebus poſitum Thomæ Auguſtino Ricchinio Palatii Apoſtolici Magiſtro in æde S. Mariæ ſupra Minervam monumentum vidiſſem, hoc equidem addendum eſſe volumini tuo intellexi, non magis quod ille Cremonam habuit patriam, quam quod magnam reliquit ſui famam doctrina, & virtute partam. Jam vero rogaſſem te, mi Vairane, & etiam oraſſem, ut ejus quoque vitam conſcriberes, atque vulgares, ſi me, quæ tua modeſtia eſſet, lateret. Novi enim, ita eſſe te animo comparatum, ut ſatius ducas, res præclare geſtas Ricchinii proferri a nemine, quam a te, qui eum habuiſti avunculum. Nam pleroſque futuros proſpicis, qui & dignum te reprehenſione judicent, quaſi tua prædicaris, tibique narranti de conſanguineo, dubitent, an adhibeant fidem. Ego autem etſi modeſtiam laudem, probemque conſilium tuum, tamen hoc pro benevolentia noſtra mihi ſumpſi, ut ejuſdem vitam, breviter quidem, explicarem, ut, ſi a te vulgetur, ſaltem brevitate, ſi non elegantia, vitis illis tuis par eſſe videatur. Pergratum mihi erit, ſi meum hunc emittas qualemcumque laborem, quo teſtatum cuique fore puto, quanta avunculum tuum, quem mei amantiſſimum cognovi, obſervantia colerem.

THomas Auguſtinus Ricchinius Petri, & Antoniæ Soſſejæ filius, Cremonenſis, tertio nonas Aprilis anno MDCXCV. natus eſt honeſto genere. Hujus imaginem conſuetudinis, atque vitæ dubito quemadmodum exprimam, quod vereor, ne quantus fuerit ille vir minus lucide appareat. Nam a pueritia ad extremam uſque ætatem nunquam otium ſequutus eſt, ſed multis ſemper, variiſque perfungi laboribus rei Ordinis Prædicatorum publicæ, & Catholicæ Eccleſiæ cauſſa, non de-

ſtitit. Itaque majora, & potiora perſequar, quo ejus imago clarius exprimatur, conſulaturque brevitati, ne fatigentur lectores.

Hic puerulus, utpote non amplius novem annos natus, cum celeriter acciperet quæ tradebantur, ſtudium Rhetoricæ hortatu præceptoris arripuit, brevique tempore tantum in ea progreſſum fecit, ut omnibus condiſcipulis, etiam majoribus natu, anteponeretur, & confectis ab eo lucubratiunculis nonnulli viri docti mirifice delectarentur. Vorſa autem magis cum latina, tum italica, quam proſa oratione explendeſcebat. Cujus docilitate, celeritateque ingenii captus Julius Vincentius Crottus Ordinis Prædicatorum vir imprimis gravis, quum ejus voluntatem profitendi eumdem Ordinem cognoviſſet, fecit, ut Cœnobii Cremonenſis alumnus eſſet. Corregii exacto tyrocinio Ricchinius Bononiam venit, ut operam Philoſophiæ navaret. Hic eruditus a Friderico Toccolo Parmenſi philoſophicas theſes publice ſic propugnavit, ut cum magnam peradoleſcentuli induſtriam omnes ſuſpicerent, Paulus Hieronymus Galleratus Præfectus Provinciæ utriuſque Lombardiæ Ordinis Prædicatorum, cui dicatæ theſes fuerant, eum non ſecus ac filium cœperit diligere, & juvare quibuſcumque rebus poſſet. Univerſos quoque condiſcipulos, quorum magnus eſſe numerus in Bononienſi Cœnobio ſolet, conſuetudine ſua ſic ſibi devinxit, ut iis perpetuo fuerit cariſſimus. Inde Regium Lepidi, annoque MDCCXV. Mediolanum profectus, utraque in urbe ſtudio Theologiæ deditus, ſelectas ex ea propoſitiones pari felicitate defendit. At Mediolani annos circiter quatuor moratus, non modo qualis eſſet theologus, ſed etiam poeta, oſtendit. Nam poemata typis vulgata italice confecit duo, quorum uni titulus eſt: *l' ombre ſvelate*, alteri: *l'impegno delle virtù*, a muſicis ad chordarum, & tibiarum ſonum in æde S. Mariæ Gratiarum cantata, feſtis S. Thomæ Aquinatis diebus. Quæ tanti fecit Innocentius Frugonius poeta multo elegantiſſimus, illo tempore Mediolani degens, ut intimam amicitiam cum Ricchinio ſibi pepererit, eique auctor fuerit, ut in cœtum cooptaretur Arcadum Romanorum. Quo factum eſt, ut Franciſcus Ariſius Coloniam Arcadum Cremonæ conſtitueret, poſito Ricchinio in primorum numero, eidem tributo Geſaltis Scandei nomine.

Sacerdotio initiatus Ricchinius, anno ſecundo poſtquam Bononiam reverſit, a Præfecto Provinciæ miſſus ad Caſalenſes, docuit Philoſo-

loſophiam: tum ad Brixienſes, Ethicam, data ei venia, ne Bononiam demigraret, quod in ea urbe aeris temperie minus ſalubri uteretur: deinde ad Veronenſes, Theologiam. Apud quos omnes ita verſatus eſt, ut univerſi non minus ejus doctrinam, quam prudentiam, & ingenium admirarentur. Caſali, cum apud Moſſios, Paſtronios, Mirolios, alioſque nobiles viros plurimum gratia valeret, coortas quandoque inter eos ſimultates facillime compoſuit: cumque inveteratæ controverſiæ de hæreditate quindecim millium aureorum finem facere Piccus Paſtronius, & Piccus Uvilius vellent, rem ejus arbitrio permiſerunt. Qua de controverſia tanta æquitate conſtituit, ut libentiſſime utraque pars acquieſceret, & Caſalenſes eum efferrent in cælum laudibus: cumque Paſtronius grati animi ergo non modicam pecuniam dono dare Ricchinio vellet, is oblatam conſtantiſſime recuſavit, magnum exiſtimans quæſtum, cognoſci, ſe non pecuniæ, ſed hominibus eſſe amicum. Veronæ doctiſſimos viros ſibi devinxit Scipionem Maffæjum, Alphonſum Montanarium, Ottolinium, Vallarſium, & Ballerinios, quorum pervulgata ſunt nomina.

Hoc in tempore decus illud, & ornamentum Ordinis Prædicatorum, totiuſque Eccleſiæ, immortali memoria dignum, Benedictus XIII. Pontificatum Maximum tenebat, cujus erat a ſtudiis, ut ajunt, ſecretis, & bibliothecæ Præfectus Joſeph Aloyſius Andujar ejuſdem Ordinis, qui adhuc ſuperſtes annos natus VI. & LXXX. ſingulari ſapientia Epiſcopatum gerere pergit Dertonenſium. Is intimus Ricchinio cum plane noſceret hominis virtutem, majoremque in modum cuperet gratum facere Pontifici, & ſuam amico benevolentiam oſtendere, impetravit a Thoma Ripollio Magiſtro Ordinis Prædicatorum, ut Romam arceſſeretur, obtentu aſſequendi citius, quam legibus eorum licitum eſſet, Magiſterii Theologiæ gradum.

Igitur Novembri menſe anno MDCCXXVIII. ille Romam pervenit; ac poſt non multo tali ornatus honore tranſiit in Palatium Summi Pontificis apud Andujarem. Hìc ita vixit, ut omnia amico ſuo officia præſtaret, & cum nihil neque inſolens, neque glorioſum ex ore ejus exiret, effugeret aulicorum invidiam. Quamobrem Pontifex eum ſufficere in locum Andujaris conſtituit, quem deſignarat Peruſiæ Epiſcopum. At priuſquam Conſiſtorium indixiſſet, IX. Kalendas Martias anno MDCCXXX. Benedictus ex hominum conſpectu morte deceſſit.

Quamvis magna tunc commutatio rerum facta eſt, tamen cum Ricchinius nullum detrimentum exiſtimationis feciſſet, tanta ejus fuit apud S. R. E. Cardinales opinio ingenii, atque virtutis, ut unus omnium deligeretur, qui in funere talis, tantique Pontificis orationem latine conficeret, & in Templo Vaticano recitaret. Quam, licet valetudine minus commoda uteretur, non amplius quam trium dierum ſpatio conſcripſit, & imaginem optimi, ac religioſiſſimi Pontificis ſic expreſſit, ut nihil nobilius. Quare non Romæ modo, ſed etiam in aliis compluribus urbibus, atque imprimis Bononiæ, Ferrariæ, & Auguſtæ Vindelicorum ea oratio quamtocius edita typis fuit.

Menſe poſt obitum Pontificis fere tertio Ricchinius relaxandi animi cauſsa Roma profectus eſt, adiitque ad Laurum Piccinellum Præfectum Provinciæ Lombardiæ, in qua luſtranda eidem adfuit ſocius. Deinde cum Cremonam divertiſſet, in juſtis exequiarum Victorii Amadei II. Regis Sardiniæ latine ſcripſit, & x. Kal. Januarias anno MDCCXXXII. in ſacra æde FF. Prædicatorum recitavit orationem, maximo plauſu doctorum, ſapientumque virorum. Paulo poſt Bononiam venit, ubi Theologiam annos duos adoleſcentes ſui Ordinis multa induſtria docuit. Nam iis & complures dictavit diſſertationes, quæ ad declaranda dogmata Catholicæ Religionis, & hiſtoriam pertinent, & præcepta, veluti rationem, & viam, quibus percipere theologicas diſciplinas facilius, & commodius poſſent. Quo tempore animum appulit ad exſcribendos, & adnotationibus illuſtrandos libros, quos Moneta Dominici inſtitutoris Ord. Præd. diſcipulus, doctrina & integritate vitæ clariſſimus, confecerat adverſus hæreticos Catharos atque Valdenſes. Sed eum ab incœpto retardavit patrii ſui Cœnobii præfectura, quam non inire non potuit menſe Aprili anno MDCCXXXVIII.

Hac in præfectura non minus ille diligens cœnobita habitus eſt, quam bonus paterfamilias. Nam legibus Ordinis parebat, quantum poterat, ſuoſque, ut iis parerent, ſæpe monebat, & hortabatur; atque imprimis, ut formatis ad pietatem moribus, doctrina, prece, oratione de rebus divinis ſempiternæ ſuæ, & reliquorum mortalium ſaluti conſulerent. Cumque ad hæc plurimum prodeſſe Theologiæ, & bonarum artium ſtudia noſſet, jam tum inſtruere majore copia librorum bibliothecam cœpit. Odeum, in quo matutinæ preces noctu perſolvuntur, commodiore quidem loco extrui; tabulario ad ſuperiores

ædes

ædes translato; accuratum indicem membranarum, codicum, omniumque actorum confici; hoſpitum domicilium inſtaurari, & maximam Cœnobii ſcalam, ne leviora perſequar, magnifice exædificari curavit, quin ullum res familiaris detrimentum caperet.

Pari ſe diligentia, & ſolertia præbuit, cum nondum exacta Cremonenſi præfectura, Romam arceſſitus Thomæ Ripollio Magiſtro Ordinis Prædicatorum adſuit ſocius in rebus gerendis Italiæ. Summa humanitate aditum petentibus conveniendi dabat, & mira comitate ad ſe, aut ad Magiſtrum ſcribentibus reſpondebat, nullique fide, opera, rebus deeſſe conabatur. Poterat autem plurimum apud illum ſapientiſſimum nonagenarium ſenem, quod eſſet prudentiæ, & conſilii plenus, & æque promptus in gerendis, quam in excogitandis rebus. Ejus juſſu non modo omnes encyclicas, ut vocant, litteras latine, eaſque elegantiſſime ſcripſit, ſed etiam difficillimam geſſit procurationem apotheoſis virorum, & mulierum Ordinis Prædicatorum innocentia morum, & prodigiis illuſtrium; cumque decreti cuiquam ab Eccleſia fuiſſent beatorum, aut ſanctorum honores, præclare illius geſta breviter ſic expoſuit, ut in divinis officiis recitentur. Sed ex his elucent maxime, quibus Catharinam Ricciam colimus. Longum eſt omnia enumerare, & non neceſſarium.

Interim numero Theologorum Caſanatenſium adlectus, cum intellexiſſet editum in vulgus fuiſſe Dantis Alighierii opuſculum poteſtati, & juri monarchico Pontificis Maximi oppoſitum, quantocius typis vulgandum curavit librum Guidonis Vernani Ariminenſis Ordinis Prædicatorum, quo Dantis conatus, eique aſſentientium audacia reprimerentur; cui libro procemium docte a ſe confectum præfixit. Deinde latine ſcripſit libros duos, quorum unus eſt de vita, & ſtudiis Vincentii Ludovici Gotti S. R. E. Cardinalis, viri doctiſſimi, alter de vita, & cultu B. Alberti Villæonienſis: italice vero Epitomen vitæ S. Catharinæ de Ricciis. Sed magni ejus opera æſtimata eſt, cum libros Monetæ, de quibus ſupra mentionem fecimus, edidiſſet. Nam & hujus laudes diligenter perſequutus eſt, & qui hæretici Cathari atque Valdenſes fuerint, ex quibus orti, quibus artibus ſuas ſectas propagarint, quæ portenta errorum ſequuti, quibus moribus imbuti, quibus ritibus dediti, accurate oſtendit. Totum vero opus diviſum in libros quinque perpetuis adnotationibus ſic ornavit, ut qui eas legat,

non minus ſuſpiciat maximum ejus laborem, quam multam eruditionem, atque doctrinam. Nam præter variantes, quas dicimus, lectiones, ſubtexuit teſtimonia SS. Patrum, quibus Monetæ ſententiæ mirifice confirmantur, copioſeque expoſuit, veteres & novos hæreticos homines turpiſſime in nonnullis labi, quæ Cathari, & Valdenſes peccarunt. At ingenue Ricchinius teſtatur, ſibi in iis adnotationibus conſcribendis adjumento fuiſſe Thomam Mariam Mamachium, qui paucis ab hinc diebus, VI. Kal. Februarias, merito dictus eſt Sacræ Congregationis Indicis Secretarius.

Benedictus XIV. tunc temporis Reipublicæ præerat Chriſtianorum. Is optimus, & doctiſſimus ingeniorum æſtimator, & judex, ut comperiit ex iis, quæ Ricchinius monumentis tradiderat litterarum, qua virtute valeret, ſæpius ejus, quam aliorum excellentium virorum, uti opera cœpit, & quoad vixit, uti nunquam ceſſavit. Conſtat inter omnes, qui tunc apotheoſes Sanctorum procurarunt, Benedictum Pontificem nihil de iis prius decernere ſolitum fuiſſe, quam Ricchinii ſententia cognita, & nullam ex quamplurimis *lectionibus*, quas vocant, *Sanctorum* probaſſe, niſi quam ille confeciſſet, aut correxiſſet, aut probaſſet. Ejuſdem juſſu Ricchinius Martyrologium Romanum (quod Joannes V. Rex Luſitanorum fieri poſtulabat) ab innumeris pæne mendis, non amplius quam octo menſium ſpatio correxit, inque vulgus edidit. Hæc qualia ſint, facile judicabunt ii, qui norunt, Benedictum XIV. libros de Canonizatione Sanctorum vulgaſſe ſingulari doctrina refertos, & quantæ ſit difficultatis ſtylo eccleſiaſtico, ut ajunt, ita ſcribere, ut lectorum animi incendantur pietate in Sanctos, & religione in Deum. Quod ſi quis dubitet, talem fuiſſe Ricchinii ſtylum, is *lectiones* ejuſmodi legendo, an vera de eo prædicentur, intelliget.

Quamvis tantopere occupatus Ricchinius in imperatis Summi Pontificis faciendis, tamen nunquam non adfuit ſocius, omni cura diligentiaque munere perfunctus ſuo, cum Thomæ Ripollio, tum Antonino Bremundio, qui ejus poſt obitum delectus eſt Ordinis Magiſter. At ille anno MDCCXLIX. altiorem aſcendit honoris, & dignitatis gradum. Nam renunciatus eſt a Benedicto Pontifice Sacræ Congregationis Indicis Secretarius, Joſepho Auguſtino Urſo, poſtquam Nicolaus Aloyſius Rodulphius diem obiit ſupremum, Magiſtro Palatii Apoſtolici ſuffecto. Qua in dignitate ſic ſe geſſit, ut miram ejus humani-

manitatem plerique omnes ſuſpicerent; & cum amicis urbana officia præſtaret, & non difficulter tribueret petentibus legendi libros prohibitos facultatem, eum omnes non minus amarent, quam vererentur.

Ejus autem diligentiæ in eo munere perfungendo, cum complura poſſumus proferre teſtimonia, paucis contenti erimus, ne videamur non vitam ejus enarrare, ſed ſcribere hiſtoriam. Proſcripta Bibliotheca Janſeniana, quod in ea complures non doctrinæ modo, ſed etiam pietatis, & orthodoxiæ laude illuſtres Scriptores, atque imprimis Cardinales Bona, & Noriſius per ſummam calumniam in numerum Janſeniſtarum referebantur, edita in vulgus fuit nomine Doctoris Sorbonici ad amicum Belgam Epiſtola plena adverſus Ricchinium contumeliarum, & mendaciorum. Is cum intelligeret, e juſmodi epiſtola magnam non minus ſibi, quam toti Congregationi Indicis apud imperitos conflari invidiam, graviſſimam dedit epiſtolam nomine Romani Philaletis ad Theologum Lovanienſem de juſta Bibliothecæ Janſenianæ proſcriptione; qua mirifice defendit Congregationis dignitatem, & ſuam. Neque vero ab incœpto deterritus Ricchinius fuit, quod ei doctor ille Sorbonicus reſpondiſſet. Nam reſcripſit copioſius: ſed ſatius duxit non vulgare alteram epiſtolam, quam non gerere morem Antonino Bremundio Ordinis Magiſtro hortanti, ne vulgaret, ſi vellet fieri controverſiæ finem. Nam ſatis fuiſſe priorem epiſtolam ad depellendam calumniam, & contemni eos oportere, qui tunc ſe viciſſe exiſtimant, cum poſtremi reſponderint.

Sequuta eſt delatio libri inſcripti: *de Duello honoris vindice*, cujus proſcriptio decreta fuit a Patribus Congregationis Indicis. In hoc autem Ricchinii fuit prudens conſilium, ut ex multis pravis ſententiis auctoris ejus libri deligerentur non amplius quam tres, quæ ſimul cum duabus ejuſdem generis traditis ab aliis auctoribus proſcriberentur. Tali conſilio probato Benedictus Pontifex litteras apoſtolicas, quarum initium eſt: *Deteſtabilem*, emiſit, quibus delectæ illæ quinque ſententiæ adverſus Duelli defenſores proſcribuntur. Præclarum hoc quoque Ricchinii, quod rationem proſcribendorum librorum ſic expoſuit, ut ſapientiſſimus ille, atque doctiſſimus Pontifex nihil immutarit, aut correxerit: atque ea quidem ratio, cujus initium eſt hujuſmodi: *Sollicita, & provida* in diplomatibus Benedicti XIV. numeratur cunctis doctrinæ laude præſtantibus viris probata. Præterea novum confecit juſſu ejuſ-

dem

dem Pontificis, vulgavitque anno MDCCLVII. proſcriptorum librorum Indicem. Sed hæc nihil opus eſt pluribus verbis commemorare. Id unum intelligi volumus, Ricchinium apud Benedictum XIV. tantum gratia, opinioneque virtutis valuiſſe, ut ei adeſſet in multis rebus: quod ex epiſtolis, quas ſæpe Pontifex ad eundem dedit, cognoſcimus. Quare fuerunt, qui dicerent, Benedictum Pontificem non habuiſſe ſatis, Ricchinium augere reditu in ſingulos annos, quamdiu vixiſſet, ſcutatorum centum, & annumerare *Examinatoribus* Epiſcoporum; ſed etiam majora illi decreviſſe, quæ, cum anno MDCCLVIII. diem obierit ſupremum, perficere non potuit.

Clementis quoque XIII. qui Benedicto XIV. ſucceſſit, benevolentiam Ricchinius conſequutus eſt ſuis virtutibus. Nam eum Clemens S. Palatii Apoſtolici Magiſtrum dixit, ubi Joſephum Auguſtinum Urſum in S. R. E. Cardinalium Collegium anno MDCCLIX. menſe Septembri adſcripſit. Pari ſe ille diligentia in tanto officio, tantoque munere fungendo præbuit, ac in priore fuerat. Quod ſi minus ex ſententia quandoque res cecidit, id non Ricchinio quidem tribuendum eſt, ſed edendorum cognitoribus librorum. In Congregationes, more majorum, receptus ſupremæ Inquiſitionis, & Sacrorum Rituum, ſingulis ſemper ſic interfuit, ut ejus conſilia, atque ſuffragia magni æſtimarentur. Atque hoc non cognitum, ſed auditum a compluribus Conſultoribus prædicamus; quod nefas ſit ea proferre. Mirum autem videbatur, eum quamcelerrime & reperire in voluminibus Patrum, & aliorum excellentium veterum, novorumque Scriptorum quæ ſibi opus erant, & ſuffragia conſcribere, ut fama exiit, præclariſſima. Idem æque in laude fuit apud Patres Congregationis Indulgentiarum, Examinis Epiſcoporum, & Parochorum, & eorum, qui in Archigymnaſio Romano Theologiæ laurea donantur. Horum quemque oratiuncula latina adeo appoſite laudabat, ut omnes, qui aderant, Ricchinii nativam quamdam eloquentiam, non adſcitam admirarentur: cumque poetice, ut initio diximus, delectaretur, interdum binos, aut quaternos latinos verſus addebat. Quibus rebus, & ſumma præſertim humanitate effecit, ut apud quoſcumque eſſet, haberetur cariſſimus. Cum ne eas quidem horas, quibus Romæ relaxandi animi, & valetudinis cauſsa, interdiu ad ſpatia pergere, ac deambulare neceſſe eſt, vacuas eſſe vellet, ad aliquem bibliopolarum, aut typographorum

adire

adire ſolebat, ut diligenter munere fungeretur ſuo: libroſque data occaſione comparabat, quibus Cœnobii ſui Cremonenſis Bibliothecam copioſius in dies inſtrueret. In eam tam multa, tamque ſelecta volumina contulit, nedum quæ ad Theologiam, Philoſophiam, & Hiſtoriam, ſed etiam ad artes quaſque liberales pertinent, ut omnes ejus urbis, & complures Longobardiæ præclariores bibliothecas præſtet. Neque vero eam libris tantummodo inſtruxit, ſed etiam annuo ſcutatorum fere quinquaginta reditu dotavit. Quod eſt ſignum pietatis, & liberalitatis erga patriam, & ſuos.

Interim etſi tam variis, iiſque graviſſimis curis diſtineretur, tamen vertente anno, juſſu Clementis XIII., vitam B.Gregorii Barbadici latine conſcripſit, quæ cunctis probata non modo Italis, ſed etiam Hiſpanis, Gallis, Germanis, aliiſque nationibus fuit, non minus propter elegantiam ſermonis, quam ordinem, & delectum præclare geſtarum rerum. Cætera, quæ idem ſcripſit, præterimus, quod typis vulgata non ſint, & facile ex iis, quæ hucuſque attigimus, cognoſci poſſit, Ricchinium cupiditate flagraſſe nunquam otiandi, ſed dignitati munerum, quæ geſſit, & communi Ordinis ſui, & totius Eccleſiæ utilitati diligenter ſerviendi. Quare minime mirandum eſt, non modo Benedictum XIV. ſed etiam Clementes XIII. & XIV. & Pium VI. qui nunc ſingulari Dei O. M. beneficio annum jam quintum Chriſtianam Rempublicam moderatur, ejus opera uſos fuiſſe, & ingenium aptum ad omnes res laudaſſe.

Tali modo cum IV. & LXXX. annos compleſſet, & ad extremam ſenectutem virtutum fama creviſſet, nactus eſt morbum, quem initio medicus tertianam putavit. Sed cum modo lumbi, modo inteſtina, modo ſcapulæ, aliæque corporis partes doloribus graviter premerentur, cognitum eſt, rheuma, & podagram, qua interdum conflictatus fuerat, ſerpere. Igitur die poſtquam decubuit ſeptimo, iis maleficis humoribus thorace adſtricto, Eccleſiæ Sacramentis munitus naturæ debitum reddidit XII. Kal. Februarias an. MDCCLXXIX. Elatus eſt more Auditorum Rotæ, & in æde S. Mariæ ſupra Minervam ſepultus cum inſcriptione in marmore inſculpta: quam tu, mi Vairane, Cremonenſium monumentis addes. Sed velim plura ut inquiras, & quam citius edas. Fac ut valeas.

Dat. x. Kal. Apriles anno MDCCLXXIX. Romæ in Collegio Pœnitentiariorum Apoſtolicorum Baſilicæ S. Mariæ Majoris.

OPERA A RICCHINIO EDITA

Oratorio per la novena del S. Natale da cantarſi nella Chieſa di S. Maria della Roſa de' RR. PP. dell' Ordine de' Predicat. Milano 1715.

Le Ombre ſvelate. Oratorio da cantarſi nella Chieſa Ducale di S. Maria delle Grazie &c. nella feſta di S. Tommaſo d'Aquino. Milano preſſo Federico Bianchi 1718.

L'Impegno delle Virtù. Oratorio per la ſteſſa feſta. Milano preſſo il medeſimo.

Epinicio per la ſolenne profeſſione di Suor Maria Giuſeppa Tereſa Ricchini nel Monaſtero di S. Elena in Canneto l'anno 1724.

In Funere Benedicti XIII. Pont. Max. Oratio ad Emos & Rmos S. R. E. Cardinales habita in Vaticana Baſilica a P. Thoma Auguſtino Ricchinio Cremonenſi Ord. Præd. S. Theol. Mag. IV. Nonas Martii anno MDCCXXX. Romæ ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ.

In Funere Victorii Amadei II. Sardiniæ, Hieruſalem, Cypri Regis &c. Oratio habita in Templo S. Dominici Cremonæ a P. F. Thoma Auguſtino Ricchinio Ord. Præd. S. T. M. x. Kal. Jan. 1732.

L'Imitazione del P. S. Domenico propoſta alle Religioſe Clauſtrali del di lui Iſtituto da un Religioſo del medeſimo Ordine. Bologna, Napoli &c.

Catalogus PP. Priorum Conventus S. Dominici Cremonæ quotquot reperiri potuerunt ab anno 1238. ad 1740. additis ſuo loco Comitiis Provincialibus ibidem celebratis.

De Vita & Studiis F. Vincentii Gotti Ord. Præd. S. R. E. Card. Commentarius. Romæ typis Hier. Mainardi 1742. & in collectione Opuſc. P. Callogerà to.28.

Vener. P. Monetæ Cremonenſis Ordinis Præd. S. P. Dominico æqualis adverſus Catharos & Valdenſes libri quinque, quos ex manuſcriſcriptis codd. Vaticano, Bononienſi, ac Neapolitano nunc primum edidit, atque illuſtravit P. F. Thomas Auguſtinus Ricchinius ejuſd. Ord. S. T. M. ac Collegii Caſanatenſis Theologus. Romæ 1743. ex Typographia Palladis. Excudebant Nicolaus, & Marcus Palearini.

De B. Alberto Bergomenſi Cremonæ denato Tertio Ordini S. Dominici adjudicando. Diſſertatio Hiſtorica Bononiæ jam edita, & recens aucta. Mediolani 1746.

De Vita & Cultu B. Alberti Villæonienſis Tertii Ordinis S. Dominici. Commentarius. Romæ apud Hieronymum Mainardum 1748.

De Vita ac Rebus geſtis B. Gregorii Barbadici S. R. E. Card. Epiſcopi Patavini libri tres. Romæ 1761. ex Typographia Pontificia Vaticana apud fratres Salvionos.

FRAN-

F. FRANCISCO M. POLLIDORIO

ORDINIS PRÆDICATORUM

F. TH. AUGUSTINUS VAIRANI EJUSD. ORD.

S. P. D.

SI aliquid mihi unquam accidit gratum, & jucundum, id ſane eſt, quod abs te nudius tertius accepi, mi Pollidori cariſſime, de vita Thomæ Auguſtini Ricchinii avunculi mei ſcriptum benevolentia, gravitate, omnique elegantia refertum. Effeciſti, ut, ne cogitans quidem, haberem ſtatim libro meo addendum a te illuſtratum tanti viri monumentum, quod non modo mihi, & civibus meis, ſed omnibus litteratis viris fore acceptiſſimum dubitari non poteſt. Quare non modo de nobis, ſed etiam de univerſa eruditorum republica optime te ſcias eſſe meritum. Ego equidem ſponte mea huic elucubrando operi calamum non admoviſſem, quamvis ea de Avunculo prædicaſſem, quæ omni ſuſpicione adulationis caruiſſent. Sed nunc gaudendum mihi eſt, quod conſpiratione quadam factum ſit, ut jam abunde Ricchinii præclare geſta monumentis litterarum tradita ſint, ac mirifice pervulgata. Primum enim Domaneſchius vitam illius ſcripſit in libro de rebus Cœnobii Cremonenſis, deque illuſtribus, qui ex eo prodiere, viris. Scriptores deinde Ephemeridum Romanarum de elogio cogitant eidem contexendo in Anthologia ineuntis Aprilis. A te demum elucubratum aureum commentariolum in lucem emitto, & libro Cremonenſium monumentorum adjungo. Quibus certe nihil ſplendidius ad ingenium, dignitatemque Ricchinii exornandam deſiderari poſſe videtur.

Is ſane præclara edidit doctrinæ, & litterarum, quibus excelluit, monumenta; & quum non minus præſtaret vitæ innocentia, optimaque conſuetudine, ac demum mira quadam in rebus agendis alacritate, dexteritate, diligentia, factum eſt, ut annis omnino quadraginta, quibus Romæ egit, magna in celebritate ſemper fuerit, & habitus omnium conſenſione pius, apertæ voluntatis, ſapiens, eru-

eruditus, & talis denique vir, ut quidquid aggrederetur, egregie conficeret. Quæ ſingula quum hominibus laudem pariant, conjuncta, ſingulari naturæ munere, ita aliquos ornant, ut ſupra cæteros jure attolli videantur, ac quodammodo eminere. Tempus ita partiri ſolebat, ut quum nunquam in otio eſſet, pluribus rebus agendis eadem die operam daret. Erat enim adeo ferventis ingenii, & naturæ, ut neque unam rem diu agere, neque uno in loco diu poſſet conſiſtere. Hinc illa feſtivitas, qua ad eum ſimul advenientes negotiorum cauſa ſtatim audiebat, atque ita remittebat, ut vel contenti percepta re eſſent, vel ejus dictis libenter acquieſcerent propter ejus comitatem. Ad ea quæ meditabatur ſtatim redibat, & ne effugerent, ſcripto conſignabat, moxque de alia re libros conſulebat, inde conſcribebat epiſtolas, canonicas horas recitabat, carmina condebat, ſcripta typis imprimenda accurate legebat, ut non unum hominem, ſed plures eidem muneri incumbere dixiſſes. Libros evolvebat etiam animi levandi cauſa. Id enim illi ſciendi cupido jucunditatem afferebat, quod menſæ aſſidenti obſoniorum varietas ſolet. Scriptores in quolibet ſcientiarum, & artium genere noſcebat pæne omnes, eaque erat memoria præditus, ut non ſolum nomina auctorum, ſed etiam eorundem lucubrationes, ipſaſque editiones compertas haberet: quod viro acerrimi ingenii adjumento erat, quum pro munere de rebus graviſſimis ſcriberet, & efficiebat quoque, ut ſelectos ad Cœnobium Cremonenſe Ordinis ſui tranſmitteret libros, quibus comparandis ſedulo incumbebat. Quare inſtructiſſimam fere condidit bibliothecam, reliquitque nobiliſſimum monumentum amoris, quo litteras proſequebatur. Quæ muneris ſui erant, multa profecto, & gravia, nunquam intermiſit, niſi lecto decumbens; quo tempore id unum illi afferre mœrorem videbatur, quod Congregationibus, ut vocant, adeſſe non poſſet. In his vero ſive de cenſura librorum ageretur, ſive res ad Theologiam, & mores pertinentes expenderentur, ſive de probandis ſanctorum virorum virtutibus, ac miraculis quæſtio eſſet, ita diſſerebat, ut omnes doctrinam illius, judiciumque commendarent. Magnus enim Theologus & habebatur, & erat. In cauſis præſertim Sanctorum diſcutiendis ita verſabatur, ut appareret, illum non modo doctrinam ad virtutes pernoſcendas, ſed etiam medicæ facultatis ſyſtemata ad mira-

miraculorum veritatem inveſtigandam e propriis fontibus copioſe hauſiſſe. Hæc vero omnia voluptatem audientibus eo majorem afferebant, quod explendeſcerent ſtyli nitore, elegantia, ſuavitate. Itaque fama claruit virtutibus parta, quæ cum fortunæ munus non ſit, magnum affert ſolatium viris ſapientibus, qui ad immortalitatem reſpicientes, vitreæ gloriæ ſonitum vulgo admirandum relinquunt. Triſtem illum, diuque mœrore obrutum vidiſſes, ſi male eveniſſent, quæ ad munus ſuum pertinebant. Nihili vero faciebat honores, quos interdum fortuna ludens ei objiciebat, quoſque ipſum promeruiſſe homines prædicabant. Natura erat hypocondriacus. Comitate tamen, liberalitate, humanitate ſibi omnes devinciebat. Quos enim poterat, juvabat, miraque erat in omnes voluntate. Ita vero erigebatur ejus animus, quum in circulo eſſet, ut occaſione arrepta de re qualibet promptiſſimo ingenio, ac erudite, acuteque diceret, & amœnitate quadam ſermonem condiret. Nullas exercuit inimicitias neque cum litteratis. Nihil in eo non ingenuum, non moderatum, non pudicum. Cultu domeſtico uſus eſt ſemper ad modeſtiam compoſito, ſed eleganti, ut vitæ illius inſtitutum ferre poterat. Parce veſcebatur, & ſimplicibus cibis, ac facillimis ad concoquendum. Bellariis vero libenter indulgebat, quibus pituitam gigni opinio medicorum eſt. Poſtremis annis, quum tuſſi confliċtaretur, ſola aqua abunde utebatur, quod præcepta Smithii clariſſimi medici percepta haberet. Ea tuſſis cum excreatione pituitæ a podagra, qua interdum laboraverat, ortum habuit, quæ interius ſerpens nulla potuit ratione abſumi. Quum vero corporis vires ætate debiliores fierent, ipſa podagræ vis cum rheumate conjuncta in maximo hyemis rigore primum latera, humeros, caput, tum pectus invadens ipſum proditoris more jugulavit. Vixit ſenſibus integer uſque ad extremam ſenectutem, diemque obiit nulla unquam, ut optaverat, remiſſa muneris ſui parte. Hæc ipſe teſtatus eſt annum agens octogeſimum his verſibus:

Octoginta meæ decurrunt annua vitæ
   Tempora jam variis exagitata malis.
Nec tamen effœto languent in corpore vires,
   Nam regit innatus membra vieta vigor.

Non

Non lapſi aut moti dentes, non crura vacillant,
Non obtuſæ aures, nec tremebunda manus.
Non lippi aut hebetes oculi, non torpida mens eſt,
Sed rerum exacti temporis uſque memor.
Verum quod ſupereſt, ſi quid ſupereſſe ſtatutum,
Id labor atque dolor vitæ abeuntis erit.

Jam bis octo mihi decurrunt plena laboris
Luſtra, & adhuc laſſo non datur ulla quies;
Sed graviora humeris adduntur pondera onuſtis,
Augentur curæ, nec tamen auctior ops.
At licet attritæ maneant in corpore vires,
Nulla optanda mihi, nulla petenda quies.
In bello miles occumbit, in æquore nauta,
Et decet in propria quemlibet arte mori.
Ergo age, ad extremam juvat uſque operarier horam;
Hæc vitæ, hæc noſtri meta laboris erit.

Res ei pro voto ceſſit, ut dixi. Iis enim valuit corporis, & animi viribus, ut paucis, antequam morbo corriperetur, diebus, carmina etiam ſcripſerit vulgatiſſima, quibus Juſtinum Febronium ad frugem redeuntem, & PIUM VI. Pont. Max. alloquentem induxit.

De pietate illius erga Deum hoc ſolum afferam teſtimonium, me ſcilicet in ejus ſcriptis ingentem reperiſſe latinarum precationum numerum, quas in dies exarabat, quibuſque pro opportunitate utebatur. Aliquas etiam ex iis, quæ in ore omnium verſantur, latinis verſibus expoſuit, veluti illam ad B. Virginem:

Cælorum Regina potens, puriſſima virgo,
Numinis alma parens, hominumque piiſſima mater,
Vita, ſalus miſeris & ſpes certiſſima ſalve.
Quos Eva e Cælo pulſos detruſit in iſtam
Exilii vallem ſuſpiria mœſta trahentes
Suppliciter lacrymis ad te clamamus obortis.
Eja age, qua pietate ſoles, miſerata gementes,
Maternos oculos in nos converte benignos.

Poſt

Poſt hujus fluxæ fac nos diſcrimina vitæ
Aſpectu gaudere tuo, fructuſque beati
Virginei ventris viſu gaudere perenni,
Virgo pia, & clemens, dulciſſima virgo Maria.

Otium nunquam Ricchinius ſecutus, nullas tranſigebat vacuas horas. Menſa enim, & lecto conſurgens vel legebat, vel ſcribebat, vel aliquid meditabatur. Ampliſſimos dignitate, vel doctrina viros ſemper coluit. Jucundiſſime cum amicis verſabatur: ſed cogitationem alio divertebat, niſi utile aliquid, vel ſale conditum diceretur. Quum eruditus fere in rebus omnibus eſſet, & nativa quadam elegantia, & gratia præditus, voluptatem ipſo ſermone afferebat. Præcepta artium præſertim picturæ, & ſculpturæ percepta habebat, & quæ pulchra erant, & perfecta in operibus ſummorum artificum attingebat, quæque caſtiganda eſſent, recte pronunciabat, ut pictores ipſi libenter eum audirent. Denique incredibilis quædam, & prope ſingularis vis ingenii in eo fuit, & integritate vitæ, doctrina, eruditione, cæteriſque ornamentis floruit, ut in tam multis annis nullam unquam famæ, exiſtimationiſque jacturam fecerit.

Imaginem jam vides, Pollidori cariſſime, Ricchinii noſtri, quæ iis, qui eum noverunt probata, ut quidem puto, propter rerum veritatem, coloribus tamen tuis ſi illuſtrata eſſet, placeret etiam propter elegantiam. Sed meis, qualeſcumque ſint, delineanda erat. Nemo enim me propius, neque diutius cum illo vixit. Vale.

Dat. ex ædibus noſtris in Palatio Quirinali kal. Aprilis 1779.

SPECIAL 85-B
3299

THE J. PAUL GETTY CENTER
LIBRARY